Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de


Balthasar Rhaw Zacharias Grape

Theologiæ Polemicæ Libri, Qvibus Controversiæ De Christo Theanthrop, Mundo, Et Angelis, Ab Otiosis Et Curiosis Qvæstionibus Repurgantur, Ad Fidei Simplicitatem Adstringuntur, Et Soli Scripto Dei Verbo Commensurantur, Ut Compendiose Innotescant ...

Rostochii: Impensis Joh. Wepplingi[i], MDCCX.

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1011896508

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Regional-
bibliothek
Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1011896508/phys_0001
DFG

KB NB 0095.1-4

Regional-
bibliothek
Neubrandenburg

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1011896508/phys_0002

DFG

Nr. 137.

Praeparatum
Ubg.

Regional-
bibliothek
Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1011896508/phys_0004
DFG

THEOLOGIÆ POLEMICÆ LIBRI,

QVIBUS CONTROVERSIÆ
DE

CHRISTO ΘΕΑΝΘΡΟΠΙΩ, MUNDO, ET ANGELIS,

AB OTIOSIS ET CURIOSIS QVÆSTIONIBUS REPURGANTUR, AD FIDEI SIMPLICITATEM ADSTRINGUNTUR, ET SOLI SCRIPTO DEI VERBO COMMENSURANTUR, UT COMPENDIOSE INNOTESCANT

I. THESES SCRIPTO DEI VERBO CONGRUENTES.
II. ANTITHESES EIDEM VERBO CONTRADICENTES.
III. HYPOTHESES A VERITATE COELESTI, SIMPLICITATE FIDEI, ET PACE, QVÆ EST ἑνότης πνεύματος DIMOVENTES,

EX VARIIS SCRIPTIS THEOLOGORUM POLEMICIS COLLECTI

à

BALTHASARE RHAW,

SS. THEOL. LICENT. EJUSDEMQVE OLIM IN ACADEMIA GRYPHISWALDENSI PROFESS. PUBL. ORDINAR. CONSISTORII ASSESSOR. ET AD D. MARIÆ PASTORE, TANDEM AUTEM ECCLESIAR. STRALSUNDENSIUM SUPERINTENDENTE.

Jam p. m.

NUNC DEMUM E MSto EDITI, CERTISQVE DISPUTATIONIBUS IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI VENTILATI

à

B. AUCTORIS NEPOTE

ZACHARIA GRAPIO,

SS. THEOL. DOCT. EJUSDEMQ; PROFESS. PUBL. ORDIN. ET AD ÆDEM CATHEDRAL. D. JACOBI V. D. M.

ROSTOCHII,
Impensis Joh. Wepplingi, SER. PRINC. & Acad. Typogr. Ao. MDCCX.

Regionalbibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1011896508/phys_0005
DFG

BENEVOLO LECTORI
S. P. P.
ZACHARIAS GRAPIUS, D.



On ità pridem Librum primum & ſecundum Theologiæ Polemicæ Rhawianæ publici juris fecimus. Siſtimus nunc etiam tertium, qvartum & qvintum. Conſvetâ ſuâ B. Auctor utitur methodo, tractando nimirum Controverſias ſuo tempore agitatas, & omittendo illas, qvæ tum tanto qvidem cum molimine non fuêre motæ, vel non penitus diſcuſſæ, vel etiam ad notitiam B. Auctoris non pervenerunt. Non ergo B. L. in malam interpretabitur partem, ſi qvando in hâc vel illâ controverſia aſſeratur, non dari adverſarios, qvorum tamen furorem utiqve præſentibus hiſce temporibus noſtris experimur, vel etiam, ſi forte non omnia momenta tetigerit. Intervenerunt enim Operi huic pia fata Auctoris, qvi, ſi adhuc per aliqvot annos vixiſſet, in novâ reviſione qvam meditatus fuit, procul dubio adhuc plura addidiſſet. Defectus ergò hicce ex recentioribus Syſtematibus ſupplendus erit. Supereſt adhuc ſextus & ultimus Liber, nempe Anthropologia. Et hic, ſi Deus vires vitamq; conceſſerit, & ab Eruditis, qvorum cenſuræ Libri jam editi patent, lectione dignus judicabitur, qvam proximè ſeqvetur, Nomina Præclariſſimorum & Nobiliſſimorum Dnn. Studioſorum, qvi Reſpondendo & Opponendo in his ipſis qvoqve Libris, qvi jam prodeunt, ſingularem maximeq; laudabilem ſuam præſtiterunt operam, ſorte, citra cujuspiam præjudicium ſic collocatorum, ſunt ſeqventia:

I. DN. JOH. GEORG. LUGER, Gunzenhuſa Francus.
II. DN. ADOLPH. GIDEON BARTHOLDI. Neobrand. Meckl.
III. DN. JOH. DAVID HENRICHSDORF, Gedanenſ.
IV. DN. HENRIC. CHRISTOPH. POLTZIUS, Roſtochienſ.
V. DN. HENRIC. WULFFLEFF, Neobrandenb. Mecklenb.
VI. DN. SAM. JOACHIM. HOPPIUS, Stoltqvella-March.
VII. DN. JOH. DANIEL ENGELCKEN, Sargard. Pomeran.
VIII. DN. JOHANN. HERMANNI, Palæo-Marchic.
IX. DN. JACOB. CHRISTOPH. ZANDT, Durlacenſ.
X. DN. LUDOVIC. SCHULTZ, Gedanenſ.
XI. DN. ANTON. BALEMANN, Gedanenſ.
XII. DN. GEORG. HENR. HELLMICH, Dabera. Pomeran.
XIII. DN. JOACHIM. STEPHAN. KRüGER, Materſâ Meckl.
XIV. DN. JOACH. ANDR. BERGMANN, Parchimenſ.

Tu vero Benevole Lector interim in DOMINO Vale, ſtudiisq; noſtris fave.

Dabam Roſtochii d. 8. Sept. A. O. R. MDCCIX.

IN-

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1011896508/phys_0007
DFG

INDEX QVÆSTIONUM
Reſolutarum.

LIB. III. de FILIO DEI INCARNATO.

CONTROVERS. I.
De
UNIONE HYPOSTAT.

CAP. I.
De duarum Naturar. Veritate.

QV. 1. Eſtne infallibiliter certum, in Chriſto eſſe divinam & Humanam Naturam? pag. 2.

Qv. 2. Num H. N. fuit Phantaſma? 8.

Qv. 3. Annon H. Chriſti N. noſtræ eſt conſubſtantialis & ex ſanguine Mariæ Virginis aſſumta? 11.

Qv. 4. Eſtne H. Chriſti N. ex Deo genita, ut creatura dici non poſſit 14

Qv. 5. Eſtne Chriſtus integer & perfectus homo? 17

Qv. 6. Docetne ſcriptura Chriſtum hominem animâ intellectivâ & rationali fuiſſe præditum? 18.

Qv. 7. Suntne in Chriſto duæ diſtinctæ voluntates, divina & humana? 20

Qv. 8. Annon Chriſtus ſingularis & perfectus poteſt eſſe homo, ſi non eſt humana Perſona? 22

Qv. 9. Eſtne Chriſtus ſecundum H. N. filius Dei adoptivus. 25

Qv. 10. Eſtne Chriſtus homo immunis ab omni peccati labe? 29.

CAP. II.
De λόγῳ incarnatione, & duarum Naturar. Unione.

Qv. 1. Annon recte aſſeritur, div. Verbi Naturam eſſe incarnatam? 36

Qv. 2. Suntne duæ in Chriſto Naturæ ita unitæ, ut Deus & homo ſit unus Chriſtus? 38.

Qv. 3. Eſtne realis κοινωνία & περιχώρησις inter Naturas unitas 46

Qv. 4. Annon unitæ ſunt duæ Naturæ ἀσυγχύτως καὶ ἀτρέπτως? 50

Qv. 5. Eſtne Perſona Chriſti ita compoſita, ut ex unione Naturarum ortum ſit aliqvod tertium, qvod nec Deus, nec homo? 53

Qv. 6. Eſtne λόγῳ, unitus carni ἀχωρίστως καὶ ἀδιαστάτως, ut poſt Unionem nullibi ſit extra carnem? 54.

Qv. 7. Qvænam eſt differentia, qva Unio Perſon alis ab omnibus aliis modis Unionis diſtingvitur? 61

Qv. 8. Annon ex Unione duarum Naturarum in Chriſto ſeqvuntur duo actus Naturalis & perſonalis? 62

Qv. 9. Suntne quædam ſimilia, quibus aliqvatenus illuſtrari poteſt Unio perſonalis? 64

Qv. 10. Annon prædicationes perſonales: Deus eſt homo, & homo eſt Deus ſunt inuſitatæ? 66

Qv. 11. Eſtne in prædicationibus perſonalibus ſubjectum intelligendum de toto perſonali? 71

Qv. 12. Qvomodo tandem defi-

niendæ

niendæ sunt prædicationes personales ? 75.
Qv. 1. Estne toleranda hæc propositio: Christus secundum H. N. est filius Dei, adeoqve secunda Trinitatis Persona ? 76

CAP. III.

De Idiomatum Communicatione ?

Qv. 1. Estne realis qvædam idiomatum communicatio in Persona Christi ? 85.
Qv. 2. Suntne qvædam exempla quibus illustrari potest hæc idiom. Communicatio ? 87.
Qv. 3. Estne qvædam differentia inter communicationem, unionem & prædicationem ? 90.
Qv. 4. Suntne certa & præcise tria genera illorum, quæ de Christo per communicationem idiomatum prædicantur ? 92.
Qv. 5. Num in prædicationibus: Deus est natus, filius hominis est omnipræsens &c. Synechdoche vel Allæosis concedenda, ut realiter divina duntaxat de divina, & humana duntaxat de H. N. prædicentur ? 99.
Qv. 6. Annon λόγος sibi appropriavit carnis παθήματα ? 100.
Qv. 7. Annon simpliciter illi, qvi hanc Phrasin: divinitas in carne est passa, vel rejiciunt, vel approbant? 103.
Qv. 8. Estne carni communicata Majestas & gloria vere divina? 104.
Qv. 9. Estne H. N. communicata Omnipotentia? 111.
Qv. 10. Estne animæ Christi communicata Omniscientia? 118.
Qv. 11. Annon H. N. communicata Omnipræsentia? 123.
Qv. 12. Annon H. N. divino cultu afficienda? 132.
Qv. 13. Annon in Officii Operibus H. N. agit supra vires naturales? 138.

CONTROVERS. II.
DE HUMAN. NAT. STATIBUS.

CAP. I.

De Κένωσι Christi Hominis.

Qv. 1. Annon Christus secundum H. N. est exinanitus & exaltatus ? 143.
Qv. 2. Num Christus sese evacuavit Majestatis divinæ κτήσει, ita ut in statu Exinan. nec possederit, nec ullo tempore usurparit formam Dei? 149.
Qv. 3. Annon Christus sese exinanivit, qvando in humanitate sua plenariam, incessantem & universalem χρῆσιν communicatæ majestatis retraxit? 151.
Qv. 4. Annon per κένωσιν in carne Christi retracta incessans & plenaria χρῆσις Communicatæ Omnipotentiæ ? 157.
Qv. 5. Annon qvoqve retracta χρῆσις communicatæ Omniscientiæ ? 159.
Qv. 6. Annon & retracta χρῆσις Omnipræsentiæ ? 161.
Qv. 7. Annon Κένωσις carnem Christi privavit incessante cultu religioso ? 165.
Qv. 8. Annon κενωνάσει denorum

rum habitualium & ‖ finitorum privatio, & retractio in carne Christi intelligitur? 168

CAP. II.

De ταπεινώσει Christi hominis.

Qv. 1. Annon in partu & post partum mansit B. Maria Virgo? 174.

Qv. 2. Annon preces, qvas Christus fudit in statu Exinanit. ad τὰ πάθημα referri possunt? 176.

Qv. 3. Annon vere Christus est passus anima & corpore? 178.

Qv. 4 Num etiam cruciatus infernales vere Christus sensit? 179.

Qv. 5. Annon sangvis Christi effusus computruit? 181.

Qv. 6 Num veritas mortis Christi negatur, si negatur, unionem personalem in morte fuisse solutam, & asseratur Christum in triduo mortis verum fuisse hominem? 182.

Qv. 7. Annon in morte Christi anima localiter fuit separata â corpore? 186.

CAP. III.

De Exaltatione Christi.

Qv. 1. Annon Christus se ipsum propriâ virtute suscitavit è mortuis? 187.

Qv. 2. Annon etiam H. N. cooperata fuit, qvando Christus seipsum suscitavit? 191.

Qv. 3. Annon exaltationi Christi recte inseritur descensus ad inferos? 192.

Qv. 4. Num Christus sola anima descendit ad infernum, qvi Limbus Patrum vocatur? 194.

Qv. 5. Annon Verba in Symbolo Apostolico de descensu Christi ad inferos literaliter accipienda? 198.

Qv. 6. Qvibus argumentis convinci potest conscientia, ut credat, Christum vere & non κατὰ δόκησιν resurrexisse? 202.

Qv. 7. Annon Christi corpus surrexit lapide sepulchri nondum semoto, & ianuis clausis transiit ad discipulos? 206.

Qv. 8. Annon post resurrectionem corpus Christi mansit verum corpus, qvod etiam mortale & corruptibile? 207.

Qv. 9. Annon Christus vere adscendit in Cœlum? 210.

Qv. 10. Num Cœlum illud, in qvod Christus adscendit fuit locus physicus supra omnes orbes cœli creatos? 212.

Qv. 11. Annon dextra Dei notat Majestatem & gloriam infinitam? 216.

Qv. 12. Annon sessio ad dextram notat plenariam χρῆσιν infinitæ Majestatis? 218.

Qv. 13. Num exaltatio ad dextram recte definitur per manifestationem gloriæ, cujus plenaria χρῆσις in exinanitione occultata fuit? 223.

Qv. 14. Estne Christus exaltatus ad dextram secundum utramqve Naturam? 225.

Qv. 15. Num approbanda illorum Phrasis, qva dicitur, Christum cœpisse sedere ad dextram â primo momento unionis Personalis? 230.

CONTROVERS. III.

DE CHRISTI OFFICIIS.

CAP. I.

De Officiorum Numero, & subjecto.

Qv. Annon Officia Christo tribuenda secundum utramqve Naturam? 232.

CAP. II.

De Officio Prophetico.

Qv 1. Annon sano sensu Christus in Officio Prophetico dici potest Legislator? 238.

Qv. 2. Fuitne Christus ante initium ministerii secundum H. N. in cœlo â Patre cæleſti edoctus? 240.

CAP. III.

De Officio sacerdotali. Qvi.

Qv. 1 Annon Christus obtulit Deo sacrificium expiatorium, qvo genus humanum Deo per proprie dictam satisfactionem reconciliavit? 243.

Qv. 2. Num demum in cœlo Christus pro nobis obtulit sacrificium 260.

Qv. 3. Annon obedientia sua activa Christus pro nobis satisfecit, qvatenus nostri loco implevit legem? 264.

Qv. 4. Annon Deus intendit, ut Christus satisfaciendo redimeret omnes & singuos homines? 268.

Qv. 5. Num etiam Christus satisfecit pro Angelis? 282.

Qv. 6. Num etiam Christus sibi ipsi aliqvid meruit? 284.

CAP. IV.

De Officio Regio.

Qv. 1. Estne Regnũ Christi Spirituale 287.

Qv. 2. Annon Christus fuit Rex perfecte anteqvam resurrexit â mortuis? 293.

Qv. 3. Num expectandum seculare Christi regnum, qvo cum Electis suis per mille annos regnabit? 295.

LIB. IV.

DE MUNDI CREATIONE GUBERNAT. ET CONSUMMAT.

CONTROVERS. I.

DE MUNDI CREATIONE.

CAP. I.

De Deo Creatore.

Qv. 1. Annon Deus in tempore creavit mundum? 303.

Qv. 2. Estne solus & unus verus Deus Creator mundi? 306.

Qv. 3. Estne unus ille Deus, qvi creavit mundum, Pater, Filius & Sp. S? 308.

Qv. 4. Annon Deus condidit omnes creaturas secundum ideas ab æterno in mente sua præexistentes? 310.

Qv. 5. Fuitne Deus in creatione Agens liberrimum? 312.

CAP. II.

De Creatione.

Qv. 1. Estne creatio proprie sic dicta Productio ex Nihilo? 313.

Qv. 2. Num Deus simul uno momento creavit totum mundum? 316.

CAP. III.

De Creato Mundo.

Qv. 1. Annon omnia qvæ creata sunt, fuerunt valde Bona? 319.

Qv. 2. Num astra â Deo condita ut futuri eventus ex illis pronuncientur? 321.

CONTROVERS. II.

DE PROVIDENTIA

CAP. I.

De Providentia in genere.

Qv. 1. Annon omnia qvæ sunt, moventur, & vivunt subjacent divinæ Providentiæ? 325.

Qv. 2. Annon constat ex S. Scriptura qvalis sit concursus Dei ceu causæ primæ cum causis secundis? 330.

Qv. 3. Num Deus in gubernatione mundi alligat se ad causas secundas? 334.

CAP. II.

De Præscientia futurorum.

Qv. 1. Annon Deus omnes prævidit & præscivit qvæ futuræ sunt & fuerunt Angelorum atqve hominum actiones 337.

Qv. 2. Num Deus sua præscientia omnem tollit contingentiam, ut omnia tali necessitate eveniant? 342.

CAP. III.

De Peccatis â Providentia Dei non eximendis.

Qv. 1. Num consonæ sacris literis Phrases de Deo lapsum hominis & peccata ex eo exorta volente, approbante, præcipiente ac decernente? 349.

Qv. 2. Num Scriptura nos docet de Deo excitante, efficiente, vel adjuvante peccata & ad ea instigante, impellente, vel occasionem subministrante? 356.

Qv. 3. Num Calvinianis fit injuria cum dicitur

dicitur eorum ex hypothesibus seqvi Deum esse causam peccati? 365.
Qv. 4. Num Lutherani talem profitean-tur concursum Dei cum peccatis, qvo Deus vel otiosus Spectator vel causa peccatorum constituitur? 370.
Qv. 5 An tolerandaThesis: Deus est causa peccati per accidens? 377.

CONTROV. III.
DE MUNDI CONSUMMAT.
CAP. I.
De Consummationis Mundi Veritate ac qvantitate.

Qv. 1. Annon certissime futura totius visibilis mundi destructio? 379.
Qv. 2. Num omnia entia â Deo creata in fine mundi destruenda? 381.

CAP. II.
De Consummat. Mund. qvalitat. & temp.

Qv. 1. Suntne ut Hæretici condemnandi qvi negant mundum κατ' ἔσχατον interitu-rum? 383.
Qv. 2. Num evidenter patescit qvalis futu-rus Ignis, qvo mundus conflagrabit? 384.
Qv. 3. Annon indagare & explorare va-lemus tempus illud, qvo mundus inter-ibit 385.

LIBER V.
DE ANGELIS.
CONTROV. I.
DE ANGELIS BONIS.
CAP. I.
De Bonorum Angelorum Origine & essentia?

Qv. 1. Qvæ est doctrina Θεόπνευστος de Angelorum Creatione? 388.
Qv. 2. Num boni Angeli sunt saltem boni motus & bonæ qvalitates. 391.
Qv. 3. Suntne Boni Angeli incorporeæ & immateriales substantiæ. 392.
Qv. 4. Suntne Boni Angeli finiti, loco ac tempori subjecti. 395.
Qv. 5. Num inter Bonos Angelos possunt esse dissidia? 396.
Qv. 6. Annon Boni Angeli habent sub-stantiã incorruptibilem & immortalem? 398.

CAP. II.
De Bonor. angelor. Scientia potentia & voluntate.

Qv. 1. Qvæ est doctrina Θεόπνευστος de B. A. intellectu ac scientia? 400.
Qv. 2. An non B. A. libero arbitrio vel volun-tate & affectibus gaudent? 401.
Qv. 3. Qvid statuendũ de sermone Angelor. 402.
Qv. 4. Qvanta & qvalis A. B. tribuenda po-tentia. 403.

CAP. III.
De Officio Ordinibus ac dignitate angelor. Bonor.

Qv. 1. Annon certus nobis ostenditur Fi-nis, ad qvem ordinati Boni Angeli? 404.
Qv. 2. annon cuilibet homini certus assistit angelus? 406.
Qv. 3. Qvæ est Scripturæ sententia de nume-ro & ordinibus bonorum angelorum 408.
qv. 4. annon B. angeli ita sunt confirmati ut peccare amplius neqveant? 410.
qv. 5. Num angeli B. adorandi vel ut pro nobis intercedant, compellandi? 411.

CONTROV. II.
DE MALIS ANGELIS.
CAP. I.
De Malorum Angelorum Origine ac Naturâ.

Qv. 1. Annon libere qvidã Angeli lapsi sunt? 415
Qv. 2. Num mali Angeli existunt ut malæ qva-litates & pravi motus. 416.
qv. 3. Suntne Diaboli Spiritus completi, sim-plices & incorporei? 418.
qv. 4. annon mali angeli ita sunt obstinati ut nunqvam velint bonum 420.

CAP. II.
De Malorum A. intellectu, Scientia ac Voluntate.

qv. 1. Annon etiam futura præcognoscere valent mali Angeli? 424.
qv. 2. Num etiam mali angeli interna Homi-num cogitata intuentur? 426.

CAP. III.
De Potentia ac Operatione Damonum.

qv. 1. Num mali angeli vere proprie dicta miracula possunt edere? 428.
qv. 2. Num Dæmones creaturas possunt trans-formare, ut e. g. ex homine fiat lupus? 431.
qv. 3. qvalis est Diabolorum potestas in ani-mas hominum? 433. Cap. IV.

De Multitudine differentia ac pœna Malorum angelorum.

qv. 1. annon ad certa officia mali angeli â Deo destinati? 434.
qv. 2. Num plene revelatum, qvalis sit pœna diabolorum 435.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1011896508/phys_0012
DFG

IN NOMINE JESU AMEN!

LIBER

De

FILIO DEI INCARNATO SALVATORE HOMINUM.

Disp. I. Resp. JOH. GEORG. LUGER, Guntzenhusâ-Franco.

ETsi mirari qvam rimari malit vera Christi Ecclesia μυστήριον ὁμολογουμένως μέγα, qvo Deus est manifestatus in carne; tamen antiqvi Draconis vafrities novos Χριστομάχους subinde excitans non permittit, ut Sponsa Christi Sponsi sui admirabili in Persona, ac salutari officio absqve conflictu sese oblectet. Nisi enim personam & officium virulento Heterodoxorum sputo conspurcandam velit exponere, in aciem prodire cogitur, ut spicula retundat divibrata I. *in Unionem duarum Naturarum Hypostaticam.* II. *in Status Carnis assumtæ duos,* & III. *Officia Christi distincta.*

CONTROVERSIA I.

De

DUARUM NATURARUM IN CHRISTO HYPOSTATICA UNIONE.

HAnc allatrant, atqve impugnant (1.) Negantes duarum Naturarum in Christo Veritatem (2.) labefactantes duarum Naturarum personalem Unionem. (3.) depravantes idiomatum Communicationem. Tribus igitur Capitibus hæc Controversia se continebit.

CAPUT I.

De DUARUM NATURARUM IN CHRISTO VERITATE.

GIgantem geminæ ſubſtantiæ adverſus ſe in aciem eductum ut Sathanas per erroneas opiniones Hominum mentibus abſconderet, ab Exordio N. T. uſqve ad hæc noſtra Tempora excitavit Χριστομάχους, qvi vel Divinæ vel Humanæ Naturæ litem moverunt. Divina Natura vindicata eſt præced. Libri 2. Controv. 3. ſupereſt igitur, ut illorum invadamus cohortes, qvi vel in genere dualitatem Naturarum in Chriſto vel in Specie Humanæ Naturæ Veritatem, integritatem ac Perfectionem oppugnant.

Qvæſtio I. *Eſtnè infallibiliter certum, in Chriſto eſſe divinam & Humanam Naturam?*

THESES.

I. *Athanaſius* in ſuo Symbolo Fidem rectam appellat, qva credimus & confitemur, *qvod Dominus noſter Jeſus Chriſtus Dei Filius, Deus & homo ſit*: Conſentit *A. Conf. art.* 3. *& Form. Concord. art.* 8.

II. Sicuti Deus *divinam*, ita & Homo *humanam Naturam* præſupponit: Per *illam* Eccleſia Orthodoxa Eſſentiam Patri & Spiritui S. coëſſentialem; per *hanc* Humanam ſubſtantiam Anima rationali & corpore Organico conſtantem, nobisqve Conſubſtantialem intelligit.

III. Qvam invicta noſtratium Theologorum ſint argumenta, qvibus evincunt & Divinæ & Humanæ Naturæ in Chriſto Veritatem, diſcimus ex *Chemnit. lib. de duab. Nat. in Chriſto cap. 4. Gerhardi Exeg. L. IV. §. 34. ſeqq. Tom. 1. diſp. 1. & 2. Gieſs. &c.* Confer ex Pontificiis *Greg. de Valent. Tom. 1. diſp. 2. q. 1. punct 1. §. 13.* ex Calvinianis *Zanch. lib. 3. de trib. Elob. cap. 2. Polan. in Syntagm. Theol. lib. 6. cap. 16.*

IV. Brevioribus lineis ut Fidei noſtræ baſin depingamus, Chriſti Deitatem & Humanitatem adſtruimus. 1. Nomine *Immanuel*, qvo de notetur 1. divina impoſitio *Eſa 7. v. 14. Matth. 1. v. 23.* 2. Angelica expo-

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1011896508/phys_0014
DFG

positio *Matth.* 1. *v.* 23. 3. primaria significatio, qvæ designat utramqve Naturam, uti secundaria eum exprimit, qvi intercedendo, defendendo & Deum propitium reddendo &c. nobiscum est. 4. imperfecta applicatio, invecta ab illis, qvi Christum dixerunt Immanuel, qvia gratiosè nobiscum est præsens: Sed & Pater & Spiritus S. credentibus est gratiosè præsens, qvorum tamen Nemo in Bibliis appellatur Immanuel. 5. Duratio, cui non præjudicat Nomen in Circumcisione Christo impositum: Præterqvam enim qvod ἰησοῦς qvoad rem significatam involvat Immanuel, si ἔκφρασιν Angelicam *Matth.* 1. *v.* 23. attendamus Christo semper conveniunt Nomina, qvæ recensentur *Esa.* 9. *v.* 6. utcunq; nullum ex his, κατὰ τὸ γράμμα in Circumcisione Christo sit inditum 6. Cognatio, qvæ est inter hoc & nomen *Jesu*, qvoad *rem enim significatam* est eadem ratio, tantum hoc interest, qvod Jesus πρώτως officium, δευτέρως geminam naturam; Immanuel vero vice versâ πρώτως geminam naturam, δευτέρως officium designet. 7. *Synonymica* attributio, qvæ differt ab *æqvivocâ*, illis conveniens, qvibus Nomen Simplex אל nullibi assignatur, uti Tremellius & alii dicuntur Immanuel: Christus a. non solum Immanuel, sed & אל *Esa.* 9. *v.* 6. Confer *Cap.* 62. *v.* 4. *Jerem.* 23. *v.* 6. *Ezech.* 48. *v.* 35. *Zach.* 6. *v.* 12. *c.* 8. 3.

V. II. Nomine JESUS, de qvo exhibetur 1. Solennis impositio, qvâ attribuitur Christo ab Angelo *Matth.* 1. *v.* 21. *Luc.* 1. *v.* 31. & parentibus, qvando fuit Christus Circumcisus *Luc.* 2. *v.* 21. 2. Freqvens appellatio, qvæ hinc indè in scriptura N. T. obvia. 3. Vera ἔτυμος declaratio, qvam Angelus *Matth.* 1. *v.* 21. ex Hebraicâ lingvâ affert, ut ἰησοῦς Græcis idem sit, qvod Hebræis ישוע 4. Θεανθρώπου designatio, qvam Angelus d. l. indicat, qvando Jesum appellat, qvi potest σώζειν ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν, qvod non est, juxta scripturam, solius Dei *Hebr.* 9. *v.* 22. nec solius Hominis *Psalm.* 49. *v.* 8. sed Dei & hominis 2. *Cor.* 5. *v.* 19. 5. Impropria attributio, qva qvidam homines appellati sunt hoc nomine, qvorum exempla nostram non infringunt collectionem, qvæ talis est. *Qvicunqve homo ideò vocatur Jesus, qvia potest salvare à peccatis, is non purus putus homo, sed Deus & homo est.* Typica igitur & *impropria* significatio non tollit *principalem* & *propriam*. 6. Humanæ Naturæ connotatio, qvæ

non tam in voce Jesu, qvam in Angeli continuato sermone qværenda: Certum enim est, qvod & Pater & Spiritus S. possint *salvare â peccatis*, licet neuter sit incarnatus. Verum Angelus, qvi Josephum erudit, digito qvasi indice Humanam Naturam monstrat, cum de puero in utero Mariæ concepto, & in lucem edendo affirmet, qvod sit appellandus JESUS, qvi possit populum salvare â peccatis.

VI. III. Nomine CHRISTUS, cujus expendenda 1. Emphatica impositio *Psalm.* 45. *v.* 8. qvæ divinam, juxta qvam est *Deus ungens*, & humanam Naturam, juxtâ qvam *consortes habet, & ungi potest*, luculenter indicat. 2. Repetitio, qva utraqve connotatur Natura *Psalm.* 2. *v.* 2. 7. *Dan.* 9. *v.* 24. 25. 26. *Joban.* 1. *v.* 41. *seqq.* 3. diversa significatio in V. ac N. T. Anteqvam enim Christus fuit incarnatus, Filius Dei dictus est Christus, ob Unctionem â Deo *decretam*, & tam Vaticiniis qvam Typis *præmunciatam*. Post Christi incarnationem, Filius Dei hoc nomine insignitur, qvia in *tempore unxit Humanitatem assumptam & Personaliter unitam*. Confer *Gerh. in Exeg. L.* 4. §. 6. *seqq.*

VII. IV. Descriptionibus Θεανθρώπε, qvæ ostendunt Sanctum ex Mariâ natum, qvi Filius altissimi *Luc.* 1. 32. 35. Verbum, qvod Caro factum *Joban.* 1. 14. Filium Hominis, qvi Filius DEi vivi *Matth. XVI. v.* 14. 16. Venientem post Johannem & existentem antè ipsum *Johann.* 1. 27. Filium DEI factum ex semine David secundum carnem *Rom. I.* 3. Deum super omnia benedictum, qvi ex patribus, secundum carnem, *Rom. IX.* 5. *Parvulum* natum, qvi Pater æternitatis Esa. IX. 6. Secundum Hominem, qvi κύριος ἐξ οὐρανῦ 1. *Corinth. XV. v.* 47. Filium DEi factum ex muliere Galat. IV. 4. & DEum manifestatum in carne. 1. *Timoth. III.* 16. Personam, qvæ venit in carne 1. *Joh. IV.* 2.

IIX. Exceptionum tela ut confringas, tenendum I. Has descriptiones conjunctim sumptas ad purum & merum Hominem nunqvam legi applicatas. II. Alia esse S. Scripturæ Testimonia, qvæ disertè tam æternam Deitatem, qvam veram Humanitatem, Christi confirment. His harum Descriptionum Expositio semper est conformanda. III. *Carni* Christi non posse opponi *Spiritum*, qvia nec in peccatis concepta nec regenerata est Caro Christi. Licet igitur Hominibus peccatoribus, qvædam tribuantur secundum Spiritum, qvædam secundum carnem *Galat. IV. v.* 29. amen in Christo talis diversitas carnis & Spiritus non invenit locum, qva-

qvalis est in peccatoribus, sed illud κατὰ σάρκα notat in Christo aliqvid *Essentiale*, cui, vi oppositionis, aliud Essentiale opponendum, qvod in Christo, non apparet, si divinam denegas naturam. IV. Ex phrasi Johannis *Cap. I.* 14. non ineptè colligi, Christum fuisse Hominem, multis afflictionibus & calamitatibus obnoxium, hunc autem & extitisse in principio, & omnia condidisse qvatenus vocatur Verbum, patet ex Anteced. V. De mero & puro Homine non legi, qvod *veniat ἐν σάρκι*: De peccatoribus legitur, qvod *ambulent in Carne* 2. Cor. X. v. 3. *vivant in Carne* Galat. II, 20. & *permaneant in Carne* Philip. II, 24. Sed de solo Christo legitur, qvod *veniat in Carne*, qvia Persona fuit anteqvam in Carne venit, VI. *Φανέρωσιν ἐν σαρκὶ* 1. *Timoth. III*, 16. nullibi enunciari de DEO Patre, sed adjudicari Filio 1. *Johann. III. v.* 8. Non etiam Pater, sed Filius receptus est in gloriam. Confer *Gerh. in Exeg. L. IV.* §. 125. *seqq. Calov. in Exam. lib.* 1. *sect.* 2. *Cap.* 3. *Crellii de uno DEO Patre* §. 132.

IX. V. *Ἀποτελέσμασι*, Christo vendicatis, qvalia sunt, Livore sanare peccato infectos *Esai LIII.* 8. ponere pro peccatoribus animam *v.* 13. Sangvine emittere vinctos de lacu, in qvo non est aqva *Zachar. IX*, 11. dare animam in Redemptionem pro multis *Matth.* XX. 28 effundere sangvinem in Remissionem peccatorum. *Matth. XXVI.* 28. Sangvine Ecclesiam acqvirere *Actor. XX.* 28. dare Carnem pro mundi Vitâ *Joban. VI.* 51. sangvine emundare â peccatis 1. *Johan.* I. v. 7. Hæc exeqvi posse *ψίλον ἄνθρωπον*, anteqvam evictum non fuerit, Opera hæc *θεανθρώπα* esse, constanter credimus, confitemur atqve docemus.

ANTITHESES.

I. Qvotqvot vel Christi Divinitati vel Humanitati in specie adversati sunt nostrarum thesium sese professi sunt Hostes.

II. De Armenis referunt *Magdeburg. Cent.* 13. *cap.* 5. qvod noluerint concedere, in Christo esse duas Naturas.

III. Sociniani has eructarunt Blasphemias: *Tanta est Fabula ista duarum in Christo Naturarum Unio, ut vix alia illi par sit, Smaltz.* In Exam. 159. Error Err. 6. *Qvod idem Christus & DEUS sit & Homo, id vero inter impossibilia omnino numerandum est, multo magis qvam qvod idem*

Homo & Anima & Corpus sit. Nam multo etiam magis DEI natura cum Hominis naturâ, qvam Animæ cum Corporis pugnat. Adde, qvod, ut Christus si verus Homo est, DEUS qvalem hic intelligimus, esse neqveat, non necesse est DEUM & Hominem esse contraria, sed satis est, esse diversa Socin. in Defens. animadv. parte 2. cap. 4. pag. 63. 64. *Duo bruta & ἄλογα sunt Dogmata religionis Pontificiæ. Unum; Unam Naturam tribus Personis esse communem: Alterum; Duas Naturas in unâ Personâ, subsistere, qvæ nec in sacris literis expressa sunt, (unde ad salutem necessaria non esse constat,) nec ex sacris literis deduci possunt, nec denig; cum sanâ ratione qvicqvam commune habent, undè nec ad salutem utilia esse apparet, nec qvicqvam veri in iis esse, ad oculum videre est.* Smalz. lib. de vero & nat. DEI Filio Cap. 7. pag. 43.

HYPOTHESES.

Erumpunt hactenus allegata scommata I. Ex *corrupto judicio Rationis*, cui absurdum, impossibile & factum, apparet; DEUM *esse Hominem & Hominem esse DEUM*, item Deitatem uniri Humanitati & non constitui tertium qvid, qvale est in Homine, qvando unitur Corpus & Anima. Hoc autem de mysterio repetendum illud, qvod DEUS olim objecit incredulis Judæis: *Zachar. VIII.* v. 6. Si videtur difficile in oculis reliqviarum populi hujus, in diebus illis, nunc qvid erit difficile in oculis meis, dicit Dominus Exercituum.

II. Ex *nimiâ extensione hujus Regulæ: Perfectæ substantiæ nihil potest accedere.* Valet hæc Regula de perfectis substantiis, qvatenus perficiendæ, & qvatenus Ordinariè juxta Communem Naturæ Cursum illis aliqvid accedit. Divinitati λόγῳ autem ut perfectissimæ substantiæ non accessit Caro 1. ut *hac illam* perficeret, qvia *illa potius* hanc perfecit, qvatenus subsistentiam & multa ἀυχήματα λόγου Carni communicavit. 2. *Cursu naturæ Ordinario*, sed *Extraordinariè* per divinam potentiam, legibus naturæ non alligatam.

III. Ex *Confusione singularium Substantiarum*, qvarum status est diversus. Certum est, Christi Humanitatem singularem & individuam evectam esse in statum, qvem nulla Creatura attingit, qvia & â virgine nata, & â Spiritu S. concepta, & multis donibus, locupleta, qvæ nu li

nulli Creaturæ datæ sunt. Errant igitur, qvi illum subjiciunt Regulis exstructis inductione substantiarum, qvæ ad statum Humanitatis in Christo non pertingunt : Ut cunqve nullam intelligentem, finitam & singularem substantiam in Theatro Naturæ videamus, qvæ propriâ careat subsistentiâ & Personâ, cur æqve talem deposcimus Christi Humanitatem, qvam S. Scriptura multis modis supra sortem aliarum individuarum substantiarum evehit? Confer D. *Meisn. in Confid. Theol. Photin. pag. m.* 510.

IV. Ex *Defectu explicitæ Relationis de λόγῳ Incarnatione in Historiâ Evangelicâ Matthæi, Marci & Lucæ.* Hic parit ineptam ἀσυλλογίαν, qvæ talis: *Qvodcunqve nec Matthæus nec Marcus nec Lucas* explicitè *aperuerunt, illud, negandum. Non solum* Evangelium *Matthæi Marci &* Lucæ est sufficiens Fidei Norma. Sufficit, qvod implicitè tres prænominati Evangelistæ Incarnationem Filii DEI inculcarint. *Matth. I. v.* 23, *Cap. XVI. v.* 16. *Cap. XXII.* 43. *Cap. XXVII.* 54. *Marci XII. v.* 37. *Luc. I. v.* 35, 43, *c.* II. v. 11. & qvod Johannes ex professo de Incarnatione Filii DEI nos docuerit *Cap. I.* 14.

V. Ex *Concionibus Apostolicis, quibus expressè & ῥητῶς non semper Incarnationis mysterium commemoratur.* Verum & hic mera est fallacia ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, cum non possint consistere hæ illationes: *Aliqvando non expresserunt Apostoli* λόγῳ ἐνσάρκωσιν E. *nunqvam eam declararunt. Explicitè & ῥητῶς* non *tradita est* λόγῳ *Incarnatio.* E. *nec implicitè & διανοητικῶς. Hoc vel illud mysterium in qvibusdam Concionibus Apostolorum non est obvium.* E. *in nullis est explicatum.*

VI. Ex *Majestate divinâ, qvam abhorrere à Carnis humanæ assumptione, qvidam ex Scholasticis* (qvorum Crambem recoqvit *Crell. lib. 5 de Uno DEO P. Sect. 2. Cap. 32. pag.* 327.) opinati sunt. Vide *Bonavent. in lib. 3. sent. distinct. 12. n.* 1. Castiganda hîc est rationis Humanæ arrogantia, qvâ rectius nosse præsumit, qvid deceat divinam Majestatem, qvam ipsa Majestas divina. Hujus revelata voluntas cum innotescit, silcat ratio & Dei Misericordiam adoret, ne justitiam DEI severam in se concitet, cum Deo incongruum judicat, qvod Sapientia ineffabilis maximè consuit congruum. Regerit *Socinus. Qvandò de DEO legitur, qvod pœniteat, tristetur, irascatur, descendat, &c.*

&c. qværimus διάνοιαν divinæ majestati Congruam, cur non eandem attendimus, cum de DEO *legitur, qvod Homo sit?* Resp. Διάνοιαν qværimus sacris literis convenientem, qvemadmodum enim de DEO asserimus, qvod ipsi per ἀνθρωποπάθειαν tribuatur Pœnitentia, tristitia, ira, ascensus &c. Ita de Filio DEI docemus, qvod sit Homo, non *essentialiter*, sed *personaliter*. Si dicas, *illum planè expertem Humanitatis*, impugnas Dicta, qvæ ejus Deitatem & humanitatem luculenter demonstrant. Vide D. *Calov. d. l. §.* 421. *sqq.*

VII. Ex *Unitate Naturæ divinæ in Patre, Filio & Spiritu S.* qvæ svadere videtur, & Patrem & Spiritum *S.* esse Hominem, si Filius sit Homo, qvia ea *Natura* divina in Patre & Spiritu S. qvæ incarnata creditur in Filio. Cave autem de hoc mysterio ne ita crepas, ut te Rationis tuæ *διαλογισμοὶ* inclinant. Spiritus S. nullibi docet, vel Patrem vel Spiritum S. factum esse Hominem, de Filio autem docet, qvod sit parvulus natus *Esa IX.* 6. factus Caro *Joh.* I. 14 conceptus in utero B. Mariæ *Luc. I.* 31. 32. factus â muliere *Galat.* 4. *v.* 4. Non igitur admittit S. Scriptura, ut Patrem & Spiritum S. profiteamur incarnatum, nec admittit, ut aliam Deitatem in Filio agnoscamus, qvæ qvoad *οὐσίαν* diversa est â Deitate Patris & Spiritus S. Qvomodo autem fieri potuerit, ut Deitas *genita* facta sit particeps Humanitatis, qvum Deitas *gignens* & *procedens* manserit ἀσυγχύτως, non capimus, nec intelligimus. Scholastici distinguunt Deitatem ἀπλῶς sic dictam, & Deitatem σχετικῶς s. *relatè* consideratam, qvatenus certo Charactere personali est limitata. *Hæc* non *illa* est incarnata, qvia Spiritus S. semper ad *genitam* Deitatem nos remittit, cum Θεάνθρωπον introducit vel incarnationis mysterium exponit. *Hâc* in Simplicitate acqviescendum, ne scrutemur qvæ DEVS voluit esse occulta, nec nostræ ad Rationis discursus, divina commensuremus mysteria. Vide *Lomb. l. 3. sent. dist. 3. & Scholasticos h. l. Greg. de Valent. tom. 4. disp. l. q. 3. punct. 1. Gerh. in Exeg. L. IV. §. 103. 104. Calov. d. l. §. 805. seqq.*

Qvæstio II. *Num Humana Christi Natura fuit* Φάσμα *vel* Φαινομένη?

THESES.

FOrm. Conc. art. 8. pro confesso sumit tanqvam αἴτημα πρω-

νατὸ-

ὑπόθετον ; Naturam humanam â λόγῳ aſſumptam non fuiſſe aliqvid imaginarium, ſive Spectrum aut phantaſma qvoddam, ſed veram naturam ſive eſſentiam humanam.

II. Scriptura ſacra tradit de Chriſto Homine, qvod 1. Non ſit φάντασμα vel ſpectrum *Matth.* 14. *v.* 26, 27. *Marc.* 6. *v.* 49. *Luc.* 24. *v.* 39 2. Sit caro *Johan.* 1. v. 14. h. eſt particeps σαρκὸς καὶ αἵματος uti τὰ παιδία *Hebr.* 2. *v.* 14. Nota a. 1. carnem ſæpè notare verum naturalem hominem uti Pſalm 78. v. 39. Eſa. 40. v. 6. Matth. 24. *v.* 22. (2.) Humanam Chriſti naturam voce carnis inſigniri, ne cogitemus, Spiritum fuiſſe ipſius naturam hum. qvippè Caro & Spiritus opponuntur. (3.) Carnem non poſſe hoc loco notare ſolum corpus, ſed σῶμα ἔμψυχον teſte Epiſt. ad Hebr. (4.) carnem non includere peccatum. qvando de illo enunciatur, qvi in ſcripturis paſſim prædicatur ἀναμάρτητος.

III. 3. Sit verè conceptus *Eſa.* 7. *v.* 14. *Matth.* 1. *v.* 18. *Luc.* 1. *v.* 36. natus *Matth.* 2. *v.* 2. *Luc.* 2. *v.* 7. circumciſus *Luc.* 2. *v.* 21. in templo Domino oblatus v. 22. 23. in Nazareth educatus *v.* 51. â Johanne baptiſatus & digitis monſtratus *Matth* 3. *v.* 16. *Johan.* 1. *v.* 29. 36. ad Nuptias invitatus *Johan.* 2. *v.* 2. cum hominibus converſatus *Johan.* 5. *v.* 14. cibum ſumpſerit ac potum. *Matth.* 11. *v.* 19. *Luc.* 14. *v.* 1. de loco in locum ambulaverit, uti paſſim teſtantur Evangeliſtæ, eſurierit *Matth.* 4. *v.* 2. *cap.* 21. *v.* 18. ſitiverit *Johan.* 19. *v.* 28. lachrymatus ſit *Luc.* 19. *v.* 41. dormiverit *Matth.* 8. *v.* 24. defatigatus fuerit *Johan.* 4. *v.* 6. Loqvutus ſit cum aliis, uti Evangeliſtæ hinc inde teſtantur. Hæc & ſimilia veri hominis πάθη non ἀληθηνῶς ſed κατὰ δόξαν hominum de Chriſto prædicari nullibi ſcriptura innuit : Circumſtantiæ potius ſtudioſè inſpectæ Rei Veritatem confirmant.

IV. 4. Sit tempore paſſionis ſuæ contriſtatus, oſculo traditus, vinculis ligatus, de uno judice ad alium deductus, colaphis percuſſus, flagellatus, ſpinis coronatus, ſputo conſpurcatus, purpurâ indutus, crucifixus, mortuus & ſepultus : Item, qvod reſurrexerit tertia die, vivum hominem ſe monſtrârit, viſibiliter in cælum aſcenderit, & ad dextram patris conſederit, ut pedibus ipſius ſint ſubjecta omnia.

Hæc in Historia de Passione ac Resurrectione Christi ita describuntur ab Evangelistis, ut rem veraciter gestam, non præstigiis & φαντάσμασι, homines illusos fuisse, pateſcat. Confer dictum Esa. 53. v. 7.

V. 5. Sit agnitus & agnoscendus, verus homo. Agnitus qvidem â Pastoribus *Luc.* 2. *v.* 16. Simeone *v.* 28. Magis *Matth.* 2. *v.* 11. Samaritanâ *Joban.* 4. *v.* 29. Judæis *Joban.* 10. *v.* 33. *Actor.* 5. *v.* 20. Pilato *Joban.* 19. *v.* 5. Centurione *Marc.* 15. *v.* 39. Stephano *Actor.* 7. *v.* 56. & multis aliis, qvos omnes præstigiis fascinatos habuisse oculos, qvis hominum credet? Agnoscendus autem in reditu ad extremum judicium *Matth.* 24. *v.* 39. *Cap.* 25. *v.* 31. *Cap.* 26. *v* 64. *Luc.* 21. *v.* 27. *Joban.* 19. *v.* 37. *Actor.* 1. *v.* 11. 1. *Thess.* 4. *v.* 17. Confer interim Dn. *D. Chemnit. l. de D. N. Cap.* 3. *Gerh. in Exeg. L. de Pers. Christi* §. 7. *Tom.* 1. *Disp. Giess. d.* 2. *th.* 24. *seqq.*

ANTITHESES.

Multi Hæretici nugati sunt, non assumpsisse λόγον veram humanam Naturam, sed φάντασμα & putativè fuisse visum hominem; Ita deliravit 1. Saturnius de qvo *Iren. lib.* 1. *cap.* 22. 2. Basilides teste *Epiphan. hæres.* 24. 3. Cerdon, de qvo *August. lib. de hæresib. cap.* 21. & *Cent.* 2. *Magdeb. cap.* 2. *Col.* 75. 4. Marcion, de qvo *Cent.* 2. *d. l. Col.* 94. 5. Manes, de qvo *Cent.* 3. *Col.* 112. & *Cent.* 5. *Col.* 532. 6. Eutyches, de qvo *Cent.* 7. *Magd. Col.* 527.

HYPOTHESES.

Duo prædictorum Hæreticorum sunt fundamina, qvorum *primum* ex Christi atqve Angelorum apparitionibus, *alterum*, ex qvibusdam scripturæ dictis est exstructum.

Primum planè est stramineum; Nam. 1. Ab apparitionibus λόγε in V. T. ad incarnationem ejus in N. T. non valet consеq. cum in V. T. non legatur: *Verbum caro factum*; uti legitur hoc impletum in N. T. Sicuti enim *incarnandus* λόγος φαινομένως fuit homo, ita *incarnatus* λόγος ἀληθῶς est homo. 2. Non qværitur, qvis Incarnationis modus nostris cogitationibus maximè videatur concinnus; sed qvis in Verbo divino sit patefactus? 3. Uti V. T. habuit *figuram*; ita N. offert *rerum substantiam* Colos. II, 17. Hebr. X, v. 1. 4. De Angelis, cum non legatur, qvod ob redimendum genus humanum

ap-

apparuerint in carne, probari neqvit, Apparitionem λόγε ἐν σάρκι prorsus fuisse eandem, cum Apparitionibus Angelorum in assumptâ formâ: Qvæ etiam λόγε ἐνσάρκωσιν describunt scripturæ dicta, Angelis applicari non possunt.

Alterum fundamentum corruet, observatis his Distinctionibus 1. Differt corpus Christi in ἐκτάσει & *Visione oblatum*, â Corpore Christi â λόγῳ *assumptum*; *Illud* per imaginem & speciem *Danieli c.* 7. 13. & *Johanni Apocal.* 1. *v.* 23. repræsentatum, concedimus. *Hoc* non item, qvando extra visiones propheticas consideratur. 2. Aliud est ὁμοίωμα: Aliud φάντασμα: Potest enim esse Filius *Similis* Patri, qvi non statim spectrum & phantasma. Concedimus igitur, Christum venisse in carnis similitudine; Negamus, eum venisse in carnis phantasmate. 3. Alia est *Similitudo Imaginis*: alia *Similitudo qvalitatis*: *Illa* apparentis formæ; *hæc* certarum affectionum est congruentia. *Illam* Christo non vendicamus, sed *hanc*, qvia Apostolus non simpliciter dicit, in similitudine, sed in similitudine carnis peccati. *Rom.* 8. Confer *Hebr.* 4. *v.* 15. 4. Similitudo alia *accidentalis*, alia *substantialis*: Non enim seqvitur; Corpus Christi simile est nostro corpori, E. fuit assumptitia forma; qvippè & illa sibi dicuntur similia, qvæ speciem habent eandem ut *Genes.* 5. *v.* 3. 5. Aliud est χρῆμα; aliud humanæ Naturæ φάντασμα: Etsi enim Christus in Resurrectione nostra corpora μεταχηματίσει *Phil.* 3. *v.* 21. non tamen in phantasmata convertet. Futilis ergo hæc consequentia. Ambulavit Christus ἐν χρήματι. *Philip.* 2. *v.* 7. E. ambulavit in corporis φαντάσματι.

Qv. III. *Annon humana Christi Natura Nostræ Naturæ est consubstantialis, & ex sanguine Mariæ Virginis assumptâ?*

THESES.

I. AGnoscimus nostram confessionem B. Lutheri in Catechismo minori his expressam verbis: *Credo, qvod Jesus Christus sit verus homo, natus ex Mariâ Virgine*, vel uti *Confess. A. art.* 3.

effert : *Docent Ecclesiæ nostræ, qvod Verbum h. e. Filius Dei assumpserit humanam Naturam in utero beatæ Mariæ Virginis.*

II. Confirmatur hæc doctrina apertis sacræ S. testimoniis, qvibus legitur de Christo, qvod sit 1. conceptus & natus de Mariâ Virgine *Esa.* 7, 14. *Matth.* 1, 22, 23. *Luc.* 1. *v.* 31, 35. *Galat.* 4. *v.* 4. Concipi autem & nasci ex Muliere neqvaqvam dicitur, qvi habet naturam â matris natura ἑτεροούσιον.

III. 2. Filius hominis *Dan.* 7. *v.* 13. *Matth.* 8. *v.* 20. *Marc.* 2, 10. & passim ap. Evangelistas. Inauditum autem est, qvendam dici Filium hominis, qvi nobis in suâ Essentiâ non sit consubstantialis.

IV. 3. Filius Mariæ *Matth.* 2, 11, 20, 21. *cap.* 12, 46. *Marc.* 6. *v.* 3. *Luc.* 2. *v.* 48. *c.* 8, 19. *Joh.* 2. *v.* 3. *cap.* 19, 25. *Actor.* 1, 14. & πρωτότοκον μεριάμ *Luc.* 2, 7. Matrem autem & Filium in specificâ essentiâ distingui, nulla scriptura affirmat.

V. 4. Fructus Ventris Mariæ *Luc.* 1. *v.* 42. fructus lumborum David *Actor.* 2, 30. Radix & genus David *Apocal.* 22. *v.* 16. Virga de stipite Jesse *Esa* 11, 1. germen Davidis *Jerem.* 23. *v.* 5. Leo de tribu judâ *Apocal.* 5. *v.* 5. Qvæ Epitheta licet figurata sint, tamen ita explicantur alibi, qvod dicatur Christus Filius David *Matth.* 1. *v.* 1. *cap.* 15. *v.* 22. *cap.* 22. *v.* 45. *Luc.* 18, 38. &c. Idcirco consubstantialem Davidi fuisse Christum hominem, & λόγον assumpsisse carnem ex sangvine Mariæ, infallibiliter seqvitur.

Vl. 5. Semen mulieris *Genes.* 3, 15. Abrahæ *Genes.* 22. *v.* 18. *Hebr.* 2. *v.* 16 *Galat.* 3. *v.* 13. Isaaci *Gen.* 26, 4. Jacobi *Genes.* 28, 14. Davidis 2. *Sam.* 7. *v.* 12. *Psalm* 89. *v.* 36. qvod sanè de illo homine dici neqvit, qvi ex nullo humano semine est natus.

Vll. 6. Ortus ex semine David *Rom.* 1. *v.* 3. 2. *Timoth.* 2. *v.* 8. & ex Patribus *Rom.* 9. *v.* 5. qvibus testimoniis κατὰ τὴν λέξιν thesis nostra continetur.

ANTITHESES.

I. Per *Valentinianos* Sathanas hanc eructavit ἑτεροδοξίαν: Christus nullo unqvam tempore habuit carnem nobis consubstantialem, neqve ex Mariæ substantiâ qvicqvam assumpsit, sed transiit per Mariam, sicut aqva labitur per Canalem. *Iren.* l. 3. *c.* 32. *Cent.* 2. *Magdeb. col.* 85.

II. Ho-

II. Horum ê cineribus excitati sunt *Anabaptistæ*, qvi negant, Christum esse ex substantiâ Mariæ Virginis. Vide *Colloq Embdan.*

III. *Flaciani* humanitatem Christi non esse prorsus ejusdem speciei cum nostrâ, in Theologia scribere non sunt veriti teste *Gerh. d. l. §. 88.*

IV. *Appellitæ* blaterârunt, Christum accepisse carnem ex Elementis mundi. *Aug. de hæres. cap. 23. Epiphan. hæres. 56. Iren. l. 3. cap. 32 Cent. 2. Magdeb. col. 95.*

V. *Marcionitæ* mentiti sunt, corpus Christi cælitus fuisse delatum *Cent. 2. Magd. col. 59.* qvibus *Eutyches* & *Albienses* se sociârunt *Cent. 13. col. 555.*

VI. *Thammerus* fuit fabulatus, carnem Christi esse divinam, Spiritualem & creatam initio â Deo in Paradiso. Vide *Aretium in L. Theolog. loco 9. fol. 110.*

HYPOTHESES.

I. In dictis *Johan. 3. v. 13. cap. 6, 50, 62. 1. Corinth. 15. v. 48.* non notatur humanitas de cælo demissa: Præterqvam enim qvod dicta in Thesib. allata hunc sensum non admittant, inepta etiam hæc est consequentia. *Qvicqvid de Filio hominis dicitur, illud secundum humanam naturam tantum dicitur:* Cum multa etiam de illo in scripturis prædicentur secundum divinam naturam & personæ unitatem, uti in primo genere communicationis Idiomat. videbimus. Verus ergo sensus horum dictorum iste est, qvod Filius hominis sit cælestis persona, qvi de cælo dicitur descendisse, qvatenus cælesti ex arce prodiens in carne fuit manifestata.

II. Etsi ex semine Davidis tanqvam materiâ sit Christus conceptus, tamen virile semen ut causa Efficiens non operata est conceptionem. Credimus ergò, docente nos Scripturâ, humanam Christi naturam conceptam esse ex Semine & sangvine humano propagato â Davide, sed absqve congressu Viri & fœminæ, per obumbrationem Spiritus S.

III. Eadem in Christo qvoad οὐσίαν est natura, qvæ in nobis: *Origo* autem alia in nobis, alia in Christo; Origo dissimilis; sed Natura consimilis.

IV. Actus Naturalis humanæ in Christo Naturæ, non evertitur

per prædicata & elogia, qvæ ipsi Actu personali & propter sessionem ad dexteram Dei tribuuntur. Vide *Gerh. d. l.* §. 90,

Qv. *IV*, *Estne humana Christi Natura ex Deo genita, ut Creatura dici non possit* ?

THESES.

I. SUppeditat nobis thesin Athanasius in suo Symbolo, qvæ hæc est: *Christus est* DEUS *ex substantiâ Patris ante secula genitus, & homo ex substantia matris in seculo natus*: Huic effato nostræ subscribunt Ecclesiæ, damnantes illos, qvi Carnem Christi, ex substantiâ Patris genitam esse, mentiuntur, & creaturam eam vocare subverentur. Hinc in conventu Smalcaldico, improbarunt nostrates delirium Swenckfeldii, & dixerunt, humanam naturam in Christo & manere & esse Creaturam.

II. Thesis â nostris Theologis approbata promanat 1. ex proximè adductis Testimoniis S. Script. qvæ falsam & erroneam evincunt doctrinam, qvâ Caro Christi ex substantiâ Patris & non substantia B. Virginis producta, fingitur.

III. 2. Ex *S. Scripturæ silentio*, qvo prædictum portentum prorsus est involutum, ut perspicuis testimoniis ne qvidem probabiliter persvaderi possit.

IV. 3. Ex *absurdis*, qvæ invehuntur, si doceatur, Carnem Christi non esse creaturam, sed genitam ex substantiâ Patris: Seqvitur enim ex hoc præsuppositio 1. Humanam Christi naturam, ejusdem cum Patre & Spiritu S. esse naturæ 2. filium Patris & Spiritus S. & Mariæ filium dici posse, conceptus enim â Spiritu S. ut homo, â Mariâ itidem conceptus homo & â Patre genitus homo. 3. nostram, naturam non esse à Christo redemptam; sed talem utopicam hominis naturam, qvalis ex Patris & Spiritus S. essentia sit genita; *Nam ἀπρόσληπτον ἀθεράπευτον.* 4. Christum bis â Patre esse genitum semel ab æterno, semel in tempore.

V. 4. Ex Argumentis, qvibus Eutychiana Naturarum in Christo destruitur *σύγχυσις* qvæ infrà recitanda. Vide *Disp. I. D. Olearii conf. Anabapt. de Incarnat. & Tom. 2. Disp. Giess. Disp.* 8.

AN-

ANTITHESES.

I. De Apollinaristis referunt ex Athanasio & aliis *Magdeb. Cent.* 4 *c.* 5. *Col. m.* 213. qvod asseruerint 1. Domini Carnem esse increatam supracælestem & Deitati consubstantialem, 2. Corpus Deitati ipsius Verbi esse consempiternum per omnia genitum.

II. *Svenckfeldius* non intelligens *Naturarum* & idiomatum Communicationem in Christo, de Majestate Humanitatis in Christo Verbis Fidei haud analogis disseruit, ut Calvinianos, Majestatem infinitam Carni Christi subtrahentes, confutaret. In Tomo Primo Opp germ. hæc occurrunt Enunciata: Christus ist ins gantze Göttliche Wesen auch nach seiner Menschheit gebohren. p. 30. Der Mensch JEsus Christus ist nicht eine Creatur /. sondern der wahre Sohn GOTTes und jetzt in der glorien regierende gantz unserer Herr und GOTT. p. 93. Christus ist gantz ein neuer Mensch / ein Himlischer Göttlicher doch wahrer leiblicher Mensch vom Heil. Geist empfangen und aus einer auserwehlten hochbegnadeten Jungfrawen neu und Heilig gebohren / dann er kein Geschöpff oder Creatur / sondern GOttes des Allmächtigen Vaters eingebohrner Sohn ist. p. 108. GOTT der Himmlische Vater gebraucht sein Vätterlich Ampt nach seinem Zustande Heilig und Geistlich / das Maria schwanger wird / im Leibe empfähet / und gebieret einen Sohn / daß Christus nicht von einem andren erschaffen / sondern von seinem Vater / und einer reinen hochbegnadeten Jungfrauen als der Sohn GOttes im Heiligen Geist wird gebohren. p. 121. Christus ist nach seiner Menschheit in die Herrligkeit des Wesens GOttes kommen / darinnen gantz Göttlich und Geistlich / ja nach dem Wesen alles das / was GOTT worden. p. 126. Vide & pag. 220. 230. 257. 282. 273. 511. 514. 524 sqq. 548. &c. Docuit igitur Svenckfeldius Christum secundum humanam *Naturam* ex Dei essentiâ genitum, qvia conceptus â *Spiritu* S. & licet Caro ejus in statu Exinanit. infirmitatibus fuerit subjecta, tamen in Resurrectione, Ascensione & Sessione ad Dextram planè esse exæqvatam Divinæ Naturæ in Essentia gloriâ & Majestate.

HYPOTHESES.

I. CReatura in scripturis vocatur Caro Christi implicitè & διανοητικῶς, qvod nobis sufficit, qvi scimus hanc Enunciationem, caro Christi est Creatura, explicitè & ῥητῶς non legi.

II. In

II. In Judæis, Turcis, & Paganis *Natura* distingvenda est â *vitio*, *humanitas* â *Judaismo*, *Turcismo* & *Paganismo*: in *illis*, Caro Christi, non in *his* cum Judæis, Turcis & Paganis habet convenientiam.

III. Grata mente devenerari debemus Incarnationis modum, DEO comprobatum, non autem indecorum æstimandum, qvod in mysteriis fidei, indecorum censet Ratio nostra: Admiranda potius DEI φιλανθρωπία, qvâ dignatus, carnem nobis consubstantiale mi unire, cum nihil possit proficisci vel temerarium vel indecens a eo, qvi omnia benè fecit.

IV. Christum secundum humanam naturam esse & dici filiu DEI, ipsimet docemus, at non *per se* & *actu naturali*, sed per *Unioni gratiam* & *actu personali*.

V. Scriptura, qvæ peccatum Christi humanitati adimit, non statim veritatem humanitatis tollit, cum peccatum ad humanitatis principia συσατικὰ non possit referri. Uti ergò verus & ὁμοούσιος Patri febricitanti potest nasci filius, licet febris filio non adhæreat: ita ὁμοούσιος nobis Christi humanitas, qvamvis peccati labe non sit infecta.

VI. Creaturam nec adorationis religiosæ nec fiduciæ esse capacem haud ignoramus. Distingvendæ autem Creaturæ in statu *Communi*, & *ordinario*, â Creaturâ in *statu singulari* & *Extraordinario*. In *priori* statu nulla Creatura nec Caro Christi adorationis religiosæ & Fiduciæ cultu digna: In posteriori statu sola caro Christi prærogativâ præ omnibus aliis Creaturis fruitur, qvia in unitatem personæ λόγου est assumpta.

VII. De semine mulierum, qvæ disputant Physici & Anatomici, nostræ Theologiæ nihil officiunt, posito enim, qvod tamen pleriqve recentiores Physici & Anatomici non concedunt, mulieres per naturam nullum emittere semen, qvalis qvæso, esset consequentia, â muliere imprægnatâ â Viro, ad mulierem, qvæ concepit â Spiritu S, â possibilitate Naturæ, ad possibilitatem Virtutis divinæ. Si mulier qvædam sine Viro fieri potuit fœcunda, qvod non contigit aliis mulieribus, cur non potuisset ex illius sangvine formari semen, si vel maximè id non fiat in aliis mulieribus.

VIII. Etsi Svenckfeldius aliqvoties protestetur, se non tollere Discrimen Naturarum in Christo, tamen Verba & Phrases illi adversan-

santur. Uti enim Calviniani in Defectu errant, qvum majestatem divinam Carni Christi communicatam, negant, ita in excessu Svenckfeldius mediam deserit viam, cum carnem Christi Divinæ *Naturæ* exæquat.

IX. Christus in statu gloriæ adhuc est Creatura, si Humanitatem ejus *in se* & *actu Naturali* consideremus; sed non amplius est noster Conservus, qvia in statu gloriæ Formam servi deposuit *Philip. II. v. 9. Act. 2. n. 36. Forma* enim *Servi* ab Humanâ ejus naturâ differt, uti in *Controv. de diversis Christi statibus* erudimur.

X. Scholastici prudenter monent, Christum Hominem dici Creaturam, si nomen Creaturæ significit *rem in Tempore â DEO productam*; Si autem Creaturam intelligas *Ens ex nihilo in mundi Exordio productum*, Carnem Christi non posse vocari Creaturam. Vide *Bonavent. in lib. 3. sent. dist. 11. n. 17. Greg. de Valent. Tom. 4. disp. 1. qv. 16. p. 2. Becanum p. 3. Theol. Schol. tr. 1. cap. 7. q. 2. pag. 67.*

Qv. V. *Estnè Christus integer & perfectus homo?*

THESES.

I. AThanasii & hic profitemur fidem, qvod Christus sit *perfectus Deus* & *perfectus homo*, ex animâ rationali & humanâ carne subsistens. Perfectum esse Deum: suo loco evicimus, humanitatis perfectionem qvomodo profiteantur sacræ literæ breviter indicabimus.

II. Christus appellatur homo *Johan. 8. v. 40. Rom. 5. v. 15, 19. 1. Timoth. 2. v. 6. &* vir *Jerem. 31. v. 22. Zachar. 6. v. 12. Actor. 17. v. 31. 2. Corinth. 11. v. 2.* qvæ nomina perfectionem tam in Naturâ qvam in sexu ostendunt.

III. Tribuitur Christo *Anima humana* & *Corpus humanum*. *Anima humana* exeruit se 1. per *Intellectum* & *Voluntatem liberam*, qvæ paulò post de Christo demonstrabimus. 2. per *Sensus*, qvi Christo vendicantur, qvando legitur de illo, qvod viderit *Luc. 19. v. 41. cap. 22. v. 61.* &c. audiverit *Esa. 11. v. 3. Matth. 4. 12. cap. 14. 13.* &c. odorem senserit *Johan. 12. v. 3.* gustârit *Matth. 27. v. 34.* tetigerit *Matth. 8, 3. c. 20, 34. Marc. 7. v. 33.* 3. per *animam vegetativam*, qvæ toties Christo tribuitur, qvoties de illo legitur, qvod comederit,

esurierit & alias operationes Vitæ naturalis exeruerit. 4. per *facultatem κινητικὴν*, qvam exeruit Salvator ambulando de loco in locum, *Luc. 8. v. 1.* &c. stando *Matth. 20. v. 32. Luc. 5. v. 1.* &c. sedendo *Matth. 5. v. 1. Luc. 5. v. 3.* &c. 5. per *facultatem ἐπθυμητικὴν*, qvâ Christus gaudebat *Luc. 10. v. 21.* desiderabat *Luc. 22. v. 15.* contristabatur *Matth. 26. v. 37.* irascebatur *Joban. 11. v. 33.* &c. *Corpus humanum* Christo passim assignatur 1. generatim *Matth. 26. v. 26. Colos. 1. v. 22. 1. Pet. 2. v. 24.* &c. 2. speciatim, qvoad (1) partes contentas, ut sunt Sangvis *Matth. 26. v. 28. Johan. 19. v. 34.* &c. Sudor *Luc. 22. v. 34.* lachrymæ *Johan 11. v. 36.* & spiritus tam animales qvam naturales, qvos sensus suprâ descripti præsupponunt. (2.) partes continentes similares, qvales sunt ossa *Psalm. 22. v. 15, 18. Luc. 24. v. 39.* cartilagines, membranæ &c. qvas reqvirit facultas locomotiva & sensitiva. (3.) Partes continentes dissimilares, tam *Externas*, ut caput *Matth. 27. v. 24. Luc. 7. v. 46.* &c. facies *Matth. 17. v. 2. c. 26, 39. 67.* &c. Oculi *Luc. 6. v. 20. Joh. 6. v. 5. cap. 17. v. 1.* Aures *Esa. 11. v. 3 cap. 50. v. 4.* Nasus *Esa. 2. v. 22.* genæ *Esa. 50, v. 6.* dentes *Genes. 49. v. 12.* lingva *Esa. 50. v. 4. Psalm 22, 16.* fauces *Psalm. 69. v. 4.* latus *Joh. 19, v. 34.* dorsum *Esa. 50. v. 6.* artus seu manus & pedes *Psalm. 22. v. 17. Matth. 8, 3. Luc. 7. v. 38.* &c. qvam *Internas*, qvarum qvædam Nutritioni; qvædam generationi, qvædam facultati vitali qvædam animali inserviunt; Hæc omnia in Christi corpore reperiri probat 1. ejus Anima vegetativa, qvæ Oesophago, Ventriculo, Intestinis, Epate &c. indiget. 2. ejus Circumcisio, qvâ amputatum est præputium. 3. descriptio Cordis *Psalm. 22. v. 15. Matth. 11. v. 29.* Ubi autem Cor, ibi etiam pulmones & alia Instrumenta vitalia. 4. Ejus facultas *ἀισθητικὴ*, qvæ Cerebro & aliis Instrumentis animalibus carere neqvit.

Ἀνθέσεως Patroni ex parte sunt designati, ex parte seqq. qvæst. sunt designandi, idcircò non occurrunt jam Antagonistæ, qvorum hypotheses conterendæ.

Qv. VI. *Docet nè Scriptura, Christum hominem Animâ intellectivâ & rationali fuisse præditum?*

THESES.

1. ITa jam suprà nos erudivit Athanasius, qvi in suo Symbolo confitetur

tur Christum perfectum hominem, constantem ex *anima rationali* & humanâ carne: Generalem hujus theseos ἀποδείξιν præcedentis qvæst. exhibet ἐργασία, restat, ut adornemus specialem, qvâ inferenda hæc conclusio: Homo Christus non solum *Animâ vegetativâ* & *sensitivâ*, sed & *intellectivâ* fuit præditus, ut hujus vicinia natura neqvaqvam subiverit.

II. Media demonstrationis suggerunt 1. *dicta de Christi humanâ scientia & intellectu* Esa. 7. v. 15. Luc. 2. v. 40, 52. in qvibus, qvod humana denotetur natura contextus svadet, cum divina scientia nec crescat, nec per experientiam adaugeatur.

III. 2. *Dicta de Christi morte* Matth 27. v. 51. Luc. 23. v. 46. Johan. 10. v. 17. Ex his ita colligimus: *Qvacunqve anima potest â corpore separari & in Dei manus tradi, illa non est ipsa divinitas, qvæ â Corpore assumpto nunqvam separatur, nec Anima vegetativa & sensitiva, sed rationalis* Eccles. 12. v. 7. Matth. 10. v. 28. Actor. 7. v. 59. At *Anima Christi potest â corpore separari & in Dei manus tradi.* E. *Anima Christi non est ipsa divinitas, nec duntaxat vegetativa & sensitiva, sed & rationalis.*

IV. 3. *Dicta de Christi Tentatione* Hebr. 2. v. 18. cap. 4. v. 15. qvæ hanc pariunt Ἀπόδειξιν: *Qvi in tentatione nobis ut fratribus fuit similis, non potest carere πρώτῳ Tentationis δεικτικῷ*, qvod sine dubio est Anima rationalis, qvâ persentiscimus gravissimas tentationes. At *Christus homo in tentatione nobis ut Fratribus fuit similis* E.

V. 4. Πάθη & *affectiones Animæ rationalis Christo homini assignatæ*, qvales sunt τὸ ingemiscere spiritu *Marc. 8. v 11.* exultare spiritu *Luc. 10. v. 21.* gaudere *Johann. 11. v. 15.* conturbari *Johann. 12. v. 27.* pavere & angi ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν Marc. 14. v. 33. Positis autem affectionibus propriis, ponitur etiam subjectum, cui istæ primò insunt. Vide Chemnit. part. 1. L. C. pag. 72.

ANTITHESES.

Apollinaris, dum qvarto seculo in juventute masculè debellâsset Arrianos, in senectute ut viribus, ita & ὀρθοδοξίᾳ defecit, qvando docuit 1. In Salvatoris nostri carne nullam fuisse Animam 2.

cum premebatur scripturæ dictis, animam qvidem in illâ fuisse, sed non intelligentem, cujus vicem â Divinitate suppleri, opinatus est. 3. animam qvidem fuisse susceptam; sed Christum nunc eam amplius non habere. Cent. 4. *Magdeb. col.* 382. Superfuit hæc Hæresis adhuc qvinto seculo, teste *Cent.* 5. *Magdeb. col.* 566. & Septimo seculo â Jacobitis vel Armeniis fuit renovata, uti legimus *Cent.* 7. *Magdeb. col.* 128.

HYPOTHESES.

I. Ab assumptione Carnis *Joh.* 1. *v.* 14. ad negationem Animæ rationalis, non valet conseq. qvia 1. non extat exclusiva, hæc. Verbum factum est caro *sine Anima.* 2. nec anima vegetativa vel sensitiva Christo relinqveretur, si hæc conseq. esset concedenda.

II. Qvi Animam humanam concedit, & solam intelligit sensitivam, ac vegetativam, σιδηρόξυλον præponit, cum nulla possit Anima dari humana; qvæ non sit rationalis & intellectiva.

III. Carnem haud rarò in scripturis notare totum hominem, non negamus 1. Attendenda igitur Theophylactii Regula: ἡ γραφὴ πολλάκις ἀπὸ μέρους ὀνομάζει ὅλον. E. G. Anima sæpè nominatur, & totus tamen homo intelligitur, *Ezech.* 18. *v.* 20. *Levit.* 4. *v.* 2. *&c.* Vide *Chemnit. d. l. Gerh. d. l.* §. 91.

QV. VII. *Suntnè in Christo, duæ distinctæ Voluntates, divina & humana?*

THESES.

I. ACqviescimus nos in Concilio VI. Constantinopol. qvod duas in uno Christo naturales voluntates & operationes, divinam sc. & humanam agnoscit. Vide *Carrantz. in Summâ Concil. pag.* 252.

II. Christi propria confessio *Matth.* 26. *v.* 39. *Luc.* 22. *v.* 42. *Johan.* 5. 30. *Johann.* 6. *v.* 38. apertè ostendit, in eo non esse unam voluntatem, divinam scilicet, qvæ nunqvam â Patris voluntate distingui potest, sed cum eâ est unum qvoddam ταυτὸ.

III. Formalis ratio humanæ Voluntatis consistit in *eligendo & fugiendo*; Hæc Christo tribuitur *Esa* 7. *v.* 15. ubi non potest intelligi Vo-

Voluntas divina, sed ea, cujus exercitium temporis progressu sese demum exerit.

IV. Obedientia *Luc.* 2. *v.* 51. *Philipp.* 2. *v.* 8. humanæ Naturæ attribuitur, ut ex textu manifestum est, & Voluntatem humanam præsupponit.

V. Objectum Voluntatis in Christo haud rarò ita describitur, ut divina voluntas, sine concursu voluntatis humanæ istud expetere vel aversari non potuerit. E. g. neminem voluit scire, se ingressum esse domum in finibus Tyri & Sidon *Marc.* 7. *v.* 24. Voluit sibi parari pascha manducandum *Luc.* 22. *v.* 10. noluit ambulare *Johan.* 7. *v.* 1. noluit bibere *Matth.* 27. *v.* 34. Hi actus uti veram humanam Naturam ita etiam veram humanam voluntatem præreqvirunt. Vide Chemnit. d. l. cap. 18. *Zanch. lib.* 3. *de Nat. D. cap.* 4. *q.* 16. *Gregor. de Valent. tom.* 4. *disp.* 1. *q.* 18. *p.* 1. *Becan. parte* 3. *Theol. scholast. tract.* 1. *cap.* 13. *Bonav. in lib.* 3. *sent. dist.* 13. *n.* 7.

ANTITHESES.

Sexto seculo Monotheletæ turbarunt Ecclesiam, garrientes, non esse duas in Christo voluntates, divinam & humanam; qvia contrariæ videbantur. *Cent.* 6. *Magd. col.* 311. *& Cent.* 7. *col.* 129. Horum furori Synodus VI. Constantinop. est opposita, cujus Acta *Tom.* 2. *Concil* asservantur. *Duodecimo & decimo tertio* seculo damnatum Monotheletarum errorem ab orco qvasi revocârunt Maronitæ, de qvibus *Cent.* 12. *Magd. col.* 856. *& Cent.* 15. *col.* 561.

HYPOTHESES.

I. Axioma illud, *Distinctæ Voluntates evincunt distinctos volentes & subsistentes*, nobis opponi neqvit: qvia 1. nos disputamus de voluntatibus in singulari statu, sc. in *unione hypostaticâ*, qvalis status nullis aliis congruit voluntatibus. 2. Non nudam nos urgemus distinctionem, sed unâ cum distinctione, unitatem ὑποστάτεως, adeoqve in Theologiâ simpliciter verum negamus dictum Axioma 3. Axioma allatum loqvitur de voluntatibus *finitis*, qvæ sunt sub uno genere: nos disputamus de voluntate *divinâ* & *humanâ*, qvæ toto genere differunt.

II. Accuratè hæc tria sunt distingvenda 1. τὸ Θελητικὸν 2. Θέλησις & 3. ὁ Θέλων. *Unus* in Christo est Θέλων, seu volens, ob unitatem

tatem ὑποστάσεως ; sed *duo* volendi principia s. θελητικὰ, & duæ θελήσεις s. volitiones, qvæ inter se communicantur, & ab unâ personâ ad unum objectum determinantur.

III. Sicut unitas Personæ non infert unitatem Naturæ: ita unitas Volentis non infert unitatem Voluntatis.

IV. Voluntas humana contrariatur DEO per accidens ratione adhærentis ἀταξίας: Cum ergó in Christo nulla sit hujusmodi ἀταξία, humana ipsius voluntas divinæ semper manet subordinata: h. e. uti *Damasc.* loqvitur, *Anima in Christi carne est quidem ἡγεμονικὴ; sed â Verbi Deitate ἡγεμονευομένη.*

Qvæst. IIX. *Annon Christus singularis & perfectus potest esse homo, si non est humana Persona?*

THESES.

I. Sicuti humanam Christi naturam *singularem* & *individuatam* credimus; ita eam ut distinctam â λόγῳ personam non agnoscimus, licet explicare non qveamus, qvomodo singularis homo sit Christus, & tamen non persona humana. *Calov. in Exam. lib. Crell. de uno Deo Patre p. 82. seq. p. 1845*

II. *Singularem* & *individuatam* humanitatem, in se agnoscit Christus, cum interdum suam humanam naturam, ut singularem & individuum designat. *Luc. 24. v. 39. Johan. 1. v. 19, 21 cap. 6. v. 51. seqq. c 11. v. 7.* Adde verba institutionis Cænæ, qvibus qvod de suo Corpore & sangvine ut singularibus loqvatur Christus substantiis palam est.

III. Subsistentia in λόγῳ ἀνυπόστασις, immunitas â peccato, majestatis divinæ possessio, conceptio â Spiritu S. nativitas ex Virgine, ascensio in cœlum, sessio ad dextram DEI, & similia de solâ Christi humanâ naturâ dici possunt.

IV. Si enim humana Christi natura esset *species*, & non *individuum*, non esset actualis essentia extra mentem adeoq; λόγος humanitatem â conditionibus individuantibus abstractam, qvæ formaliter nullibi est extrâ intellectum, assumsisset: qvod citrâ piaculum in scholis Christianorum dici neqvit.

V. Ob

V. Ob *Singularitatem* humanæ naturæ in Christo non esse agnoscendam Personam duplicem, omnibus illis dictis evincitur, qvibus Christus ut una Persona describitur. Tria igitur de Christo credenda qvod sc. sit *homo singularis*, sit *vera persona divina*, & tamen *persona una*, qvia hæc tria scriptura docet.

VI. Legimus qvidem in sacris literis, Christum esse Deum & hominem singularem, legimus etiam, esse unum Christum; nullibi autem explicatum legimus, qvomodo possit esse unus, qvi est persona divina & homo singularis. *Hoc* ergò modestè ignorandum, *illa* piè & reverenter credenda.

ANTITHESES.

Recentiores *Photiniani*, aliàs *Sociniani*, monstrum id Hominis, dicendum putant, qvod non sit Persona humana. *Smaltz. in Exam. 157. Err. pag. 38. Crellius in lib. 2. de Uno DEO Patre sect. 2. cap. 8.* aliqvot argumentis attentat probare; Christi Humanam Naturam esse Personam.

HYPOTHESES.

I. Regulæ Metaphysicæ de Existentiâ, individuo, Suppositô & Subsistentiâ seu Personâ promanarunt ex Inductione Exemplorum in Creaturis: Qvia vero Metaphysica ex suis principiis non agnoscit hominem â Spiritu S. conceptum, â Virgine natum, & Deo unitum, non potest judicare de hujus Persona, anteqvam fuit informata â Magistro, qvi revelat hanc Personam. Si jam Spiritus S. qvædam revelat, qvæ suis Regulis Metaphysica commensurare neqvit, qværitur; Num Methaphysica Spiritui *S.* possit Leges præscribere, ut ea duntaxat patefaciat, qvæ Metaphysicis conformia sunt Regulis? h. e. Num Ratio humana præsumere debeat, Deum non intelligere, qvæ suum transcendunt captum? Hoc cum absqve insigni blasphemia affirmare nemo qveat, nullo jure obstringimur, ut deseramus Doctrinam â Spiritu S. patefactam, qvia adversatur Regulis Metaphysicis. Applicentur hæ illis Exemplis, qvæ spectant ad Metaphysicæ territorium; Nostrum Exemplum Sphæram Metaphysicam transcendit, adeoqve ejus Regulis non subjicit.

II. Scholasticæ si placent Subtilitates, non deerunt argumenta, qvibus evincas, singularem posse esse Naturam, qvæ non sit Per-

so-

sona. Vide *Greg. de Val. tom. 4. disp. 1. q. 4.* Sed magis placet Simplicitas qvam thesibus sumus professi. Si Scripturæ adstipulamur, cum docet, Virginem peperisse absq; maritali congressu, etiamsi Physica hoc Exemplum impossibile judicet: cur non eidem in simplicitate Fidei adhæremus, qvando Christum singularem hominem & DEUM, qvi est Persona confitetur, non admittens Personam humanam, asserendo de eo, qvod sit unus, qvicqvid ogganniant Metaphysici.

III. *Omnem substantiam primam intelligentem esse Personam*, non omnes concedunt Metaphysici, cum etiam Anima separata a Corpore sit substantia prima intelligens, & tamen non est Persona. Positovero, qvod omnis substantia prima intelligens in *statu physico & Ordinario* sit Persona, Humanitas Christi in statu *Hyperphysico & Extraordinario* negatur Persona, & asseritur substantia prima intelligens.

IV. Anteqvam propriam subsistentiam Christi Humanitati subtrahimus, demonstramus ex sacris literis, Christum esse perfectum DEUM & perfectum Hominem, & tamen unum Christum: Non itaqve Humanitatem Christi ut singulare Exemplum à Regulis communibus excipientes petimus principium, sed Conclusionem solidè demonstratum opponimus.

V. Filium hominis Personam credimus, qvi Filius Hominis est Filius Dei *personaliter*. At humanam Christi, naturam esse Personam, negamus. Fallit itaqve Major propositio in hoc Sophismate: *Filius Hominis non est Persona. Filius DEI est ille Filius Hominis.* E. *Filius ille DEI non est Persona*

VI. Actiones & passiones humanæ Christi Naturæ competere haud imus inficias, qvod autem ideó propriâ subsistat ὑποστάσει, qvia agit & patitur, ex scripturis non infertur, sed humanis conceptibus de Naturis qvæ sunt in statu Physico & Ordinario tantum, ut nullâ possint subsistere ὑποστάσει, nisi propriâ subsistant. Christi autem Humanitas communicatâ subsistit ὑποστάσει, qvia Filius DEI assumsit Semen Abrahæ *Hebr. 2. v. 16.* Undè & Passiones Carnis sibi appropriavit, ut Persona Filii DEI in assumtâ humanâ natura, non autem in divinitate suâ esurierit, eguerit, passionem ac mortem subierit &c.

VII. Ca-

VII. Canon Ecclesiasticus, qvo ἀπρόσληπτον dicitur ἀθεράπευτον, intelligendus est de Humanæ Naturæ *partibus essentialibus* videlicet Anima & Corpore, in qvibus Christus cæteris Hominibus est ὁμοούσιος. Personam Petri, Pauli Johannis, Jacobi &c. Christus non assumsit, qvia subsistentiâ â Cæteris Hominibus fuit distingvendus, qvæ dum â λόγῳ fuit communicata, integra & perfecta Humanitatis Natura subsistit in Personâ λόγε, & nihilominus essentialiter convenit cum nostra Natura: Sicuti Natura Petri qvoad Essentiæ integritatem convenit cum Essentia Johannis, & tamen hujus Persona non est illius Persona.

VIII. Christi Humanæ Naturæ non deest propria Personalitas ut perfectio, qvæ adesse debet, sed ut perfectio, qvæ ob supervenientem perfectiorem Personalitatem adesse non debet: λόγος enim qvandô Carnem Christi assumpsit, principia συστατικὰ, ê qvibus propria ὑπόστασις erupissent, impedivit suâ infinita ὑποστάσει, ne duo in Christo exurgerent ὑφεστῶτα. Hinc *Damasc. lib. 3. de Orth. Fide cap. 11.* scribit; λόγον assumpsisse humanitatem, ἐ καθ' ἑαυτὴν ὑποστᾶσαν, ϗ ἄτομον χρηματίσασαν πρόσωπον, ϗ ἔτως ὑπ' αὐτῦ προσληφθεῖσαν, ἀλλ' ἐν τῇ αὐτῦ ὑποστάσει ὑπάρξασαν.

IX. Qvamvis multi ex Patribus non veriti sint asserere: *Filium DEI assumpsisse Hominem*, tamen piè potius exponendam, qvam temerè imitandam hanc Enunciationem judicat *Thom. par. 3 q. 4. art. 3. Bonav. in lib. 3. sent dist. 5. n. 43.* Cujus hæc sunt verba: *Nomen Homo in prædictâ prædicatione magis accipitur abstractivè, qvam Concretivè, magis pro Humanâ Naturâ, qvam pro Re Natura.* Confer. *Gerh. in Exeg. L. IV. §. 96.*

Qvæst. IX. *Estnè Christus secundum Humanam Naturam Filius DEI adoptivus?*

THESES.

I. IN *Concil Francofurt.* sub Carolo M. hæc promulgatur Confessio: *Christus est verus in utrâq; Substantiâ DEI Filius, non putativus, sed verus, non adoptione, sed proprietate* Tom. 3. Concil. fol. 251.

II. Si in Bibliis vestigamus hujus qvæst. solutionem, nulla offendimus

dimus testimonia, qvæ doceant; Christum Hominem esse Filium DEI adoptivum: Si attendimus eos, qvos Spiritus S. Filios DEI adoptivos nominat, his Christum accensere non possumus, qvia illi pronunciantur Filii DEI adoptivi, qvi regeniti & per fidem in Christum jus Filiorum adepti *Joh. I. 12. 13. Galat. III. 26. Tit. III. 6.* Uti autem Christus non fuit carô ex carne peccatis infecta, ita παλιγγενεσίας non indiguit.

III. De Filiis DEI adoptivis, qvi ideo sunt Filii, qvia sanctitatis, Sapientiæ & absolutæ Dominationis similitudinem cum DEO perfectè habuerunt, alium est in S. Scriptura silentium. Christum itaqve dictam ob causam Filium Dei dici non posse, tamdiu credimus, donec contrarium ex sacris literis evictum, non animadvertimus.

IV. Ob gratiam Unionis Personalis Christum secundum Humanam Naturam, non *adoptivum*, sed *Naturalem* esse Dei Filium, qvia humanæ Naturæ realiter communicata est Unigeniti Filii DEI Natura & Persona, seq. cap. dabimus probatum. Vide *Tom. 3. Concil. fol. 23. Greg. de Valent. Tom. 4. disp. 1. q. 23. Becan. part. 3. Theol. Schol. tr. 1. cap. 18. q. 4. Bonav. in lib. 3. sent. dist. 11. n. 24. D. Dorsch. in collat. cum Concil. Francof.*

ANTITHESES.

I. Anno Christi 794. *Felix* qvidam, Episcopus Orgelitanus contendit scriptis divulgatis, Christum esse Filium DEI adoptivum, secundum humanam Naturam: Ejus confessio legitur *Tom. 3. Concil. in Synodo Francof. p. m.* 239. & ita sonat: *Confitemur & credimus, Christum factum ex muliere, factum sub lege, non genere esse Filium DEI, sed adoptione: non naturâ, sed gratiâ:* Vide & Thomam p. 3. qv. 23 art. 4. Valqvetz. Tom. 3. disp. 102. cap. 3. Epist. Adriani Papæ in Act Concil. Francof.

II. *Durandus in 3. sent. dist. 4. q. 2.* annititur probare, Christum, ut Hominem esse Filium Dei adoptivum. *Gabriel Biel in 3. sen. dist.* 10. de humanitate Christi statuit, qvod possit dici adoptata, qvia gratuitò assumpta est ad participationem æternæ Hæreditatis.

III. *Socinus Lib. cont. Wieck, cap. 5. Resp. ad Class. 3. Arg. 1. p.* 238. non dubitat asserere 1. Christum esse adoptivum DEI Filium, eo sensu,

sensu, qvo Scriptura Christianos vocat DEI Filios 2. Christum ideò esse Dei Filium, qvod similitudinem cum DEO ex gratiâ & Dei dono sit adeptus. 3. ante Resurrectionem Christum Dei Filium plenè & perfectè non fuisse, qvia defuit ipsi & immortalitatis & absolutæ dominationis Similitudo, cum DEO. 4. ante Resurrectionem, unigenitum fuisse appellatum Dei Filium qvia Sapientiæ & Sanctitatis, non autem absolutæ dominationis Similitudinem perfectè cum Deo habuit.

IV. Qvomodo non nemo ex nostris Theologis defendat hanc Propositionem: Christus secundum Humanam Naturam est Filius DEI adoptivus? lege in Collat. Concil. Francofurt. qvam edidit D. Dorsch. pag. 146.

HYPOTHESES.

I. Hæreditas ex gratiâ data non statim evincit Adoptionem, nisi persona, cui datur Hæreditas, sit 1. *persona extranea* ab adoptante non producta 2. *nullum jus obtineat ad possidendam Hæreditatem.* Si jam Dei hæreditatem respicias, Christus respectu Dei non est Persona extranea, nec omni jure ad possidendam hanc Hæreditatem destituitur; Siqvidem, ut *DEUS*, est unigenitus â Patre, ut *Homo*, personaliter unus est cum Unigenito â Patre.

II. Etsi Christus nec genitus secundum Humanam Naturam ex substantiâ Patris, nec Patri ὁμοούσιος; tamen Humana ejus Natura subsistit in Persona genitâ ex substantiâ Patris, adeoqve secundum Humanam Naturam Christus est Filius Dei naturalis, non autem naturaliter, sed personaliter. Si qvis ergo ita colligit; Juxta qvam Naturam Christus nec genitus ex substantiâ Patris, nec Patri similis, juxta eam non est Filius Dei naturalis naturali modo, uti est Filius DEI naturalis secundum Divinam Naturam, Veritati non repugnat: Si autem ulterius inferat: Si non est naturaliter Dei Filius naturalis eo modo, qvo est Filius Dei naturalis secundum Deitatem, est Filius Dei adoptivus, fallit Conseq. qvia Christus Filius Dei naturalis juxtâ humanam Naturam personaliter, qvia teste S. Scripturâ in Personâ ex Patris Essentiâ genitâ subsistit. Vide infrâ q. 12. cap. 2.

III. Qvia Christus Homo natus est ex posteris Adami 1. extra

Ordinem Benedictionis Paradysiacæ, qvæ attendit multiplicationem Speciei humanæ ex concursu Maris & fœminæ. 2. ut Secunda SS. Trinitatis Persona incarnata 3. ut Sanctissimus nulla peccati labe affectus, humana Christi Natura necreatui speciali, nec Legi subjecta, adeoqve Christus secundum Humanam Naturam non adoptione sed Personæ conditione est Filius Dei.

IV. Filiatio duplex est in Christo; si attendas diversas Naturas: Humanitate est Filius naturalis B. Mariæ; Deitati est Filius naturalis æterni Patris. Sed si respicias unam Personam in Christo duplex Origo Filiationis non statim evincit duplicem Relationem & Filiationem: Qvæ enim persona terminavit divinam Naturam ab æterno, terminat in tempore humanam, qvum hanc personaliter sibi Unit. Hinc Filius Dei Filius Mariæ, qvia humanitatem ex Maria per operationem S. Spiritus singularem conceptam sibi appropriavit; & Filius Mariæ est Filius Dei qvia hic suam æternam Personam Humanitati assumptæ communicavit.

V. Ἀντιδοσία. Hebr. 5. 2. generatim Elargitionem, & Distributione m Donorum Spiritualium Christo assignat, nullam autem δεξιὰν Christo Exaltato vendicat.

VI. Credentes ut Filii Dei in altera vita Filio unigenito erunt similes. 1 *Johan. 3. v. 2.* non in Filiationis *causâ & Origine*, sed in *gloriæ cælestis participatione.* Ita enim cohærent verba Apostoli: *Similes ei erimus, cum apparuerit, qvoniam videbimus eum sicuti est,* Nondum autem Christus in gloria sua, ultimo Adventu, pparuit, & nondum videmus eum sicuti est; Proinde ut Adoptivi Filii ipsi similes non erimus, qvia jam sumus Filii adoptivi, anteqvam visibiliter de cælo rediit, & anteqvam ipsum videmus sicuti est.

VII. Servus vocatur Christus in statu Exinanitionis, sed fallit hæc Conseq. *Si cum Hominibus Christus est Servus, multò magis cum iisdem est Filius adoptivus:* Nam inter *Filiationem*, & *Servitutem* hæc est Differentia: *Servitus* transit, *Filiatio* manet; *illa* est naturæ, *hæc* Personæ; Servire enim potest Christus, cum humana præditus sit naturâ; Filius autem esse neqvit, nisi sit Persona. Qvod si esset Filius *naturalis*, ut Deus, & Filius *adoptivus*, ut Homo, duplex esset in Christo Persona, qvod ἀθεόλογον. Proindè à

ser-

servitute ad Filiationem non valet Conseq. qvia Christus Homo Dei Servus 1. κατὰ φύσιν, 2. κατὰ κένωσιν. 3. Χρονικῶς non αἰωνίως. Nec dependet Denominatio Servi in connaturali illa & Metaphysica dependentia humanæ Naturæ â Deitate, sed â spontanea κένωσει καὶ ταπεινώσει, de qva *Philipp. II. 8. 9.*

VIII. Gratia *Unionis* personalis non constituit Adoptionem, qvia 1. per adoptionem non Communicatur Filiatio naturalis, qvæ Communicatur per Unionem Personalem. 2. Gratia Unionis communicat subsistentiam, dona infinita & majestatem æternam, qvæ nulla communicat Adoptio. 3. Christus Homo est Filius Dei naturalis non ideo, qvia humanitas ad ὑιότητα illam summam & infinitam gratioso & supernaturali modo pervenit, sed propter ἄῤῥηθον ἕνωσιν, qvia in æternam subsistentiam Filii æterni suscepta est.

IX. Sociniani cum negent, Christum esse Filium Dei, æterno patri συναΐδιον καὶ ὁμοούσιον, multa excogitant privilegia, ob qvæ dicatur Dei Filius. De aliis præced. controv. 3. lib. 2. cap. 3. q. 7. allata est ἐπιχείρησις. Adoptionem qvandô prætendunt, multis modis suam sententiam profituunt. Nam 1. plures essent Filii Dei unigeniti & proprii, si Christus eo sensu esset Dei Filius, qvo alii Christiani 2. Scriptura Similitudinem cum Deo ex Dei dono, Filiationis non *Causam*, sed *effectum* & *consequens* constituit: qvi enim inde in Christum facti sunt Dei Filii, novis donis S. Spiritus, cumprimis sanctitate & justitia ornati leguntur. Unde Filii Dei monentur, ut Deum imitentur *Eph. V.* 1. nullibi autem docetur, ideò credentes constitui vel effici Filios Dei, qvia Deum imitantur. 3. Sanctitas & sapientia est Angelis est donata, qvorum tamen nullus est Filius Dei unigenitus. *Hebr.* 1. 5. Plura de his reperies *in Collat.* D. Dorschæi citata in Antith.

Qv. X. *Estnè Christus Homo immunis ab omni labe peccati & ἁναμάρτητος?*

THESES.

I. Sacras literas testari, qvod Filius Dei humanam Naturam assumpserit, qvæ nobis Fratribus suis similis per omnia sit factus excepto Peccato, *Form. Cons. art. in Declarat. pag.* 648. confitetur.

II. Huic Confessioni applaudunt, *Christus, Prophetæ & Apostoli. Christus* se omnis peccati expertem pronunciat *Johan. VIII. 29. 46. c. X. 36. cap. XI. 42.*

III. *Prophetæ* perfectam Christi Sanctitatem deprædicant 1. in Vaticiniis *Psalm XLV* 8. *Psalm XLIX.* 6. *Prov. VIII.* 8. *Esa. LIII.* 10. 11. *Dan. IX.* 24. 2. in Typis, ut Agno paschali *Exod. XII.* 5. propitiatorio *Exod. XXV.* 17. Sacerdotibus *Levit. VIII.* 6. *cap. XVI.* 4. & Sacrificiis *Levit. XXII.* 21.

IV. *Apostoli* describunt 1. Christum ut peccato omni carentem, 2. *Cor. V.* 21. *Hebr. IV.* 15. *cap. VII.* 26. 1. *Pet. I.* 19. 1. *Johan. III.* 5. 2. Christi Sanctissimam Conceptionem & Nativitatem. *Matth. I.* 18. 20. *Luc. I.* 35. 3. Deo gratam pueritiam *Luc.* 2. 52. 4. innocentem Passionem in testimoniis, qvibus Christum ab omni culpa absolvit Judas proditor. *Matth. XXVII.* 4. accusatio vana *Marc. XIV.* 59. *Luc XXIII.* 25. Uxor Pilati. *Matth. XXVII.* 19. ipse Pilatus. *Luc. XXIII.* 14. 15. 22. *Joh. XVIII.* 6. Latro in cruce conversus *Luc. XXIII.* 40. Centurio. *v.* 47. Petrus *Actor. III.* 14. Paulus *Act. XIII.* 28.

ANTITHESES.

I. De virulentis Judæorum Convitiis, qvibus Christum proscindunt, horrenda annotarunt *Luth. Tom.* 8. *Jen. Germ.* Von den Juden und ihren Lügen. *Pulcherius l. de Judæis D. Helvic. t.* 4. *disp. Giess.* II. *Christ. Gerson in tract. Thalm. p.* 1. *cap.* 24. *&c. D. Mull. in Judaic. lib.* 1. *cap.* 31. *p.* 1127. *ex Colloq. Mittelburg.* hæc recitat ἐγκλήματα. Christus ist ein Samariter / Gotteslästerer und Verführer gewesen / der den Teuffel gehabt. Christi Brüder erkannten / daß Lügen in seinem Munde war. Christus ist ein Aufrührer gewesen / und hat die Juden angestifftet / daß sie einen Tumult erregt. Christus ist um eines Diebstals Willen gecreutziget worden.

II. *Scholastici* Judæis potius, qvam Christianis suam locant operam, cum multa movent dubia de *Defectibus in Animâ Christi*; Si enim in Simplicitate Fidei adhærerent Dictis supra annotatis, non disqvirerent: 1. An in Christo fuerit peccatum Originale? 2. An Christus aliqvandò peccarit actualiter? 3. An Christus potuerit actu peccare? 4. An in Christo potuerit esse peccatum habituale? 5 An in Christo fuerit fomes peccati? *Becan. parte* 3. *Theol. Schol. tract.* 1. *cap.* 12. *q.* 1. *seqq.* Si Sincere crederent Spiritus S. eloqviis, non attenderent futiles argutias humanæ rationis, qvibus dum oblectantur

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1011896508/phys_0042
DFG

tur, Fidem Christianam non tam stabiliunt, qvam infidelibus irridendam prostituunt.

III. Socinianos non in corde credere, Christum fuisse ἀναμάρτητον, *Smalzius* prodit, *cum lib. de vero & nat. Dei Fil. cap.* 10. *p.* 78. scr ptitat. *Christum in Infantiâ non exeruisse virtutis actiones, sed fuisse ἅγιον qvid, qvia totus miraculoso & singulari modo extitit ac vixit. Nam qvæ singularia sunt, sancta esse dicuntur, licet ipsa nihil sancti reipsâ faciant.* Si itaqve *Smalzio* credimus, non ideò natum ex Mariâ Virgine sanctum, qvia ab omni labe peccati repurgatum, sed qvia miraculosè conceptum.

HYPOTHESES.

I. Judæorum Calumniis non movebuntur Cordati, cum pleraqvē dicant & non probent: *Actore autem non probante reus absolvitur.* Testimonia Principum Sacerdotum, Pharisæorum & Scribarum nullam merentur fidem, qvia Christi fuerunt Adversarii, qvi non possunt esse testes in propriâ causâ. Evangelistæ non solum annotarunt Crimina Christo objecta, sed etiam Christi verba apologetica adjecerunt, qvibus Crimina declinavit. Si illa credenda, qvæ Christo objecta â Principibus Sacerdotum, Scribis & Pharisæis, nec fides erit deneganda iis, qvorum rei hi sunt peracti â Christo. *Matth. XXIII.* 13. *seqq. Joban. VIII.* 41. *seqq.*

II. *Svetonii* testimonium, qvo Christum Seditiosum proclamat, multis modis est suspectum, qvia 1. Ethnicus & Christianorum Hostis. 2. nec *Tempus*, nec *locum* nec *modum* annotavit, qvo Christus seditionem excitavit, sed in *Claud. cap.* 25. de Judæis affirmat, qvod *impulsore Christo assiduè tumultuantes Româ fuerint expulsi.* Jam Christus tempore Claudii jamdudum erat crucifixus & mortuus, & Josephus, qvi accurate Judæorum fata descripsit, nullam facit mentionem Seditionis â Christo motæ.

III. Duriora verba, qvibus Christus excepit matrem *Marc.* 3 *v.* 33. *Luc. II.* 51. *Joh. 2. v. 2.* non impingunt Christo peccatum contra IV. Præceptum; qvia officia liberorum non semper subjiciunt Parentum imperiis, qvando in illis Deo plus tenentur obedire, qvam Hominibus, juxrâ Exemplum eorum, qvi dicunt *Patri & matri suæ, Nescio vos, ut custodiant eloqvium Dei & pactum ejus.* Deuteron. XXIII.

9. Hos

9. Hos qvia Deus commendat, Christus in officio suo Deo magis obtemperans qvam Hominibus omni prorsus culpa vacat.

IV. Verba Christi *Psalm 22. v. 2. Matth. 27. v. 47.* non sunt Hominis *desperantis*, sed miseriam & acerbos dolores exaggerantis: Desertum se â Deo, qveritur Messias, sed Deum SUUM cum invocat, fiduciam in tentatione eluctantem declarat.

V. Hypothesis *Smalzii* de Christi Sanctitate, multis Exemplis evertitur, miraculose conceptus *Isaäck*, *Samuel* & *Johannes Baptista*, nec tamen de his dici potest qvod fuerint sancti nati absqve omni peccati contagio. Aliud ergò *fœtus sanctus & immaculatus*: Aliud fœtus *præter ordinarium Naturæ cursum conceptus*.

CAPUT II.

DE ΛΟΓΟΥ INCARNATIONE, ET DUARUM NATURARUM IN CHRISTO UNIONE.

UT in luce S. Scripturæ svaviſſimum & ὁμολόγημένως μέγα μυστήριον Unionis Hypostaticæ duarum Naturarum, in Christo intueamur, fuligines Disputationum, qvæ ex Scholasticorum Cerebro ascenderunt, studio simplicis Veritatis sunt deprimendæ. Si itaqve ê lacunis Scholasticorum aliis placuerit eruere qvæstiones de λόγου Incarnatione, sibi sapiant: Nos plerasqve & *Curiosas* & *supervacaneas* æstimamus. *Curiosè* enim disqviritur 1. *An λόγος fuisset incarnatus, si Homo non peccâsset?* Sicuti enim Scriptura evidenter docet, Filium Dei venisse in mundum, *ut expiaret iniqvitatem* Dan. IX. 24. ut *populum salvum faceret â peccatis*. Matth 1. v. 21. ut *salvaret, qvod perierat* Matth. XVIII. 11. Luc. XIX. 10. ut *redimeret eos, qvi sunt sub lege* Galat. IV. 5. ut *salvos faceret peccatores* 1. Timoth. I. 15. & ut *peccata nostra tolleret*, 1. Johan. III. 5. ita nullibi Deus nobis revelavit, qvid de Incarnatione Filii sui vel affirmare vel negare debeamus, si Homo in Statu integritatis, perstitisset. Qvæ ergô Dei occulta esse voluit, non sunt scrutanda. Rationes utriusqve sententiæ annotavit

Bo-

Bonav. in l. 3 sent. dist. 2. q. 40. Greg. de Valent. Tom. 4. disp. 1. q. 1. Becanus parte 3. Theol. schol. tr. 1. cap. 1. q. 7. D. Grauer. disp. 6. Qq. illustr. qv. 1. Wigand. de Osiandr. p. 23. 24. seqq. Gerh. in Exeg. Loc. IV. §. 141. seqq. qvi plures allegavit. Laudem meretur modestia *Thomæ* qvam *lect. 4. in cap. 1. Ep. 1. ad Timoth.* his retegit verbis: *Hæc qvæstio non est magnæ Authoritatis, qvia Deus ordinavit facienda, secundum qvod res ipsæ faciendæ erant, & nescimus, qvid ordinâsset, si non præscivisset peccatum.* Qvamvis negantem qvæstionis partem rectissime amplectantur & pleriqve ex veteribus, & omnes ex nostris.

Disp. II. Resp. ADOLPH. GIDEON. BARTHOLDI. Neobrandenburg. Mecklenburg.

II. *Annon Deus aliam rationem potuerit invenire, qva reconciliaremur ei, qvam per Incarnationem Filii?* Gratâ mente agnoscendam potius, judicamus, rationem, qvâ nos Deus sibi reconciliavit, qvam inqvirendam potentiam, qvâ positâ, adhuc latet Dei Voluntas, qvæ patefacta non est. Cui placet agnoscere speculationes otiosas, legat *Greg. de Valent. t. 4. disp. 1. q. 1. p. 5. Becan. part. 3. Th. schol. cap. 1. q. 5. Zanch. l. 3. de Incarnat. pag. 92.*

III. *Qvo ordine λόγος assumpserit humanitatem?* De hoc disputant *Bonavent. in l. 3. sent. dist. 3. n. 71. Suaretz. disp. 17. Greg. de Valent. d. l. q. 6. Becan. d. l. cap. 5. q. 2.* Sicuti autem ex sacris literis discimus, λόγον perfectam & integram humanitatem assumpsisse, ita ex illis nemo docebit: 1. Num corpus Christi fuerit formatum in Instanti, absqve illo ordine, qvo nostra Corpora concipiuntur? 2. Num prius assumpta Anima qvam Corpus? 3. An possit distingvi inter assumptionem totius Naturæ & assumptionem singularum partium? 4. Num partes unitæ prius inter se, qvam cum λόγῳ? Hæc omnia sine ullo Salutis æternæ jacturâ possunt solvi per ingenui candidiqve animi responsum, qvod est *Nescio*, teste *Scalig. Exerc. 344. sect. 8.* Vide *D. Affelm. in Disp. de Un. Pers. th. 61. Gerh. d. l. §. 113.*

IV. *Qvomodo λόγος assumpserit Carnem?* Veneranda antiqvitas Incarnationis & Unionis personalis modum imperscrutabilem & ineffabilem credidit. *Justinus in Ἐκθ. Πίς.* pag. 178. Μή τις τῆς ἑνώσεως διερωτάτω τὸν τρόπον, οὐ γὰρ ἀιδεσθήσομαι τὴν ἄγνοιαν ὁμολογῶν. *Idem d. l. p. 180.* σαφὴς ἔλεγχος ἀπιστίας τὸ πᾶς περὶ Θεοῦ λέγειν. *pag. 182.* ὅταν ἐγὼ ζητῶν ἐπαποροῦμαι, τότε τῷ μυστηρίῳ

τῶν Χριστιανῶν ἀναμπάζω τὸ Θαῦμα, ὅτι ὑπὲρ γῆν, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ κατάληψιν πίστεως τὰ ἡμέτερα. *Origen. lib. 2. περὶ ἀρχῶν cap. 6. pag. 787.* Unionem duarum Naturarum in Christo, arbitratur, supergredi sanctorum Apostolorum mensuram, qvinimò etiam fortassis totius Creaturæ cælestium virtutum eminentiorem esse hujus Sacramenti explanationem. Hujus Commatis plura collegit *D. Chemnit. lib. de Duab. Nat. in Christo cap.* 10. qvibus, consentit *D. Lutb. parte* 1. *Postil. Eccles. pag.* 135. *tom.* 6. *Ien. germ. fol.* 70. *seqq.* Ex horum Schola non progressi sunt, qvi scrutati fuerunt: *An Christus animam assumpserit mediante habitu gratuito? Utrum Verbum sit unitum humanæ Naturæ mediante Spiritu S.? An actio incarnandi sit tantum unitiva non productiva?* *Bonav. l.* 3. *sent. dist.* 2. *n.* 43. 48. *Becan. d. l. cap.* 2 *q.* 1. 2. Sufficit ad hujusmodi ζητήματα responsum *Cyrilli* de verâ Fide ad Theodos. *Stultissimum omninò fuerit, examini subjicere, qvæ intelligere, impossibile est.* Confer *D. Gerh. d. l.* §. 135. sq. *Otiosa* & *inutiles* moventur qvæstiones de Incarnationis *1. possibilitate*; Constat ex perspicuis S. S. dictis, Filium Dei esse incarnatum, qvid ergo prodest, qværere? *An Incarnatio sit possibilis? An Natura divina absolutè considerata possit assumere naturam humanam? An plures Personæ possint assumere eandem naturam? An una Persona divina possit assumere plures naturas? An persona creata possit assumere aliam naturam?* &c. Harum qvæstionum nullus usus est, cum inqviritur, qvid fieri possit? Qvamdiu autem latet Dei Voluntas, tamdiu mens manet incerta: An id, qvod qværitur, vel sit, vel fuerit, vel unqvam futurum sit? Credere qvi renuit, legat. *Bonav. in lib.* 3. *sent. dist.* 1. & 2. *Greg. de Valent. Tom.* 4. *disp.* 1. *q.* 1. & 3. *Becan. d. l. cap.* 1. *q.* 1. & *cap.* 4. &c.

II. *Tempore*, qvo facta; Hoc fuisse convenientissimum, qvia divinæ voluntati congruum, nemo pius dubitabit. Qvod per aliqvot sæcula fuerit dilata incarnatio? Patres has afferunt rationes, 1. ardentius Promissi Messiæ fuit excitandum desiderium. 2. in apprehendendâ promissione, de exhibendo Messiâ, exercenda fuit Fides. 3. multis præconibus & Typis prænuncianda fuit λόγου incarnatio. 4. Peccatum ab inimico latum germinare, & morbus ad summum pervenire debuit, anteqvam Radici peccati securis admovenda & vehementior Medicina paranda; Vide *Greg. Nyss. in Orat.*

Orat. de natali Dom. p. 69. Auguſt. tract. 31. in Johan. Barrad. Tom. 1. Harmon. Evang. lib. 5. cap. 31. Argutias addunt Scholaſtici nihil conducentes ad διδασκαλίαν κατ' ἐυσέβειαν. *Bonavent. in lib 3. ſent. diſt. 1. n. 57. Greg. de Valent. Tom. 4. diſp. 1. q. 1. p. 4. Becan. d. l. cap. 1. 9. 10.*

III. *Convenientia*; Qvod Deo placuit, inconveniens absqve Blaſphemiâ non pronunciabit Homo: Jam verbo ſuo nos Deus informat, ſibi placuiſſe, ut Filius ſuus unigenitus non Angelorum, ſed ſemen Abraham aſſumeret? Cur igitur dubitamus, Deo fuiſſe conveniens, ut fieret Homo? & cur non ſilet diſceptatio Scholaſticorum, de qvâ *Bonavent. d. l. diſt. 1. n. 33. Greg. de Valent. d. l. Becan. d. l. q. 3. 4.* Rationes fidei analogas dant noſtri Theologi, ê qvibus pateſcit 1. ad noſtram Redemptionem perficiendam opus fuiſſe θεανθρώπῳ *Chemnit. d. l. cap. 11. Gerh. in Exeg. l. de Perſ. Chriſti §. 41.* 2. Conveniens fuiſſe, ut ſecunda SS. Trinitatis Perſona aſſumeret carnem. *Iren. lib. 3. cap. 21. lib. 5. p. 293. Ignat. in Ep. ad Epheſ. p. 59. Baſil. M. P. 232. Auguſt. l. 8. de Gen. ad lit. cap. 14. Gerh. d. l. § 146.* Ad noſtra Tempora ſi mentis convertamus oculos, non obſiſtunt Veritati divinitus patefactæ, qvi 1. diſtinguunt Unionis Perſonalis *ſtatum* & *Actum*. *Hic* eſt ipſa ἐνσάρκωσις vel aſſumptio humanæ Naturæ in Perſonam λόγου; *ille* vocatur Unio vel ἕνωσις, & eſt ipſa duarum Naturarum περιχώρησις, vel ſemper durans *Cohæſio*. *Hic* tranſiit, *ille* manet. *Hic* eſt Perſonæ ſimplicis; *ille* Perſonæ συνθέτου vel compoſitæ. Utraqve natura dicitur *unita*, non *aſſumpta*, qvia λόγος *aſſumens*, non *aſſumptus*, humanitas *aſſumpta*, non *aſſumens*. *D. Affelmann. in diſp. de Uni. Perſ. th. 71. ſeqq. Gerh in Exeg. L. IV. §. 101. Becan. p. 3. Theol. ſchol. tract. 1. cap. 3. 2.* dilucidant concurſum SS. Trinitatis ad Incarnationis opus, qvod omnes tres Perſonæ in Divinitate operantur *Inchoative*, *formando* & *ſanctificando maſſam ex ſanguine Virginis aſſumptam*, *terminando*, *aſſumendo* & *perſonam communicando* ſola ſecunda Perſona SS. Trinitatis illud producit *Gerh. d. l. §. 102. 103. Greg. de Valent. Tom. 4. diſp. 1. q. 3. Becan. d. l. c. 2. q. 5. 6. 3.* monſtrant Diſtinctionem οὐσίας καὶ ὑποστάσεως, *Naturæ* & *Perſonæ*: οὐσία vel *Natura* multis de Individuis & Perſonis prædicatur, uti Natura divina competit Patri, Filio, Spirituiqve S. & Natura hu-

mana competit, Petro, Jacobo, Johanni &c. ὑπόστασις autem & Persona illi competit Naturæ, qvæ ipsa per se completam habet essentiam. Notat autem ὑπόστασις vel ipsam *Personalitatem*, præcisè & formaliter, ut cum dico, *duæ Naturæ sunt unitæ in unâ Personâ*; vel *subsistentiam unâ cum rebus subsistentibus*, ut cum dico; *duæ Naturæ nihil aliud sunt, qvam una Persona*. Sic & ὑφιστάμενον interdum *subsistentiam ipsam*, interdum, *subsistentes duas naturas* designat, *D. Rung. disp. 2. de Calvin. th. 16. Balduin. disp. 4. in artic. Visit. §. 137. D. Gerhard. d. l. §. 130. 132.* Deniqve Spiritus S. in hunc usqve diem repudiant Dogmata, qvi vel Naturas in Christo unitas confundunt, vel Unionem certâ qvâdam ratione dissolvunt, vel prædicationes Biblicas, qvibus unio Personalis patefacta, depravant. Hos agnoscemus, ut ἀπεσφαλμένους τῆς ἀληθείας, si submittendæ qvarundum qvæstionum ventilationi Judicium adverterimus â præconceptis opinionibus depurgatum.

Qv. I. *An non rectè & piè asseritur, Divinam λόγου Naturam esse incarnatam?*

THESES.

I. *D. Martinus Chemnit. in Notis* ad th. 3. disputat. de Unione Pers. ita scribit: *Rectè, verè ac piè cum totâ Antiqvitate dicimus: Naturam s. essentiam divinam in Persona Filii totam hypostaticè unitam esse humanæ Naturæ assumptæ.* Subscribit huic Confessioni *D. Rung. disp. 2. de Calvinis. th. 5. Schroderus in lib. de Nestor. & Eutychianis. Cont. Grab. p. 62. Hutt. in L. Theol. pag. 139. Gerh. in Exeg. L. IV. §. 110.*

II. Conformis agnoscitur assertio nostratium Theologorum Scripturæ Dictis, qvibus docetur, Christum esse Immanuel *Matth. I. 23.* in Christo habitare Πλήρωμα Θεότητος. *Colos. II. 9.* DEum esse manifestatum in carne 1. *Timoth. III. 16.* Filium Dei participem factum Carnis & sangvinis. *Hebr. II. 14.* Sicuti in his dictis vox אֱלֹהִים, θεότης, Θεὸς & *Filius Dei* divinam Naturam genitam sine dubio, significat; ita incarnatam divinam Naturam Filii Enunciationes docent, qvibus asseritur, *Deum esse Nobiscum* h. e. Hominem, *in Christo Homine habitare* Θεότητα, *Deum in carne esse manifestatum*, & *Filium Dei participasse de Carne & sangvine.*

III. Nullum occurrit Dictum in Bibliis, qvo mentio fiat Per-

so-

sonæ divinæ, & non connotetur Natura divina, qvæ dum simplicissima, & infinita est, tota ac perfecta est in qvalibet Personâ. Immotum igitur manet hoc Axioma: *Qvicqvid Scriptura de Personâ divinâ enunciat, illud & de Naturâ divinâ, in illa Personâ, enunciat.*

ANTITHESES.

Qvidam ex Calvinianis Doctoribus scripserunt; *minus propriè & piè dici, Divinam Naturam esse incarnatam, cum propriè si loqvi velimus, Persona duntaxat dici possit incarnata, qvia Natura Patri & Spiritui S. æqve convenit atqve Filio*: Danæus in Exam. Chemnit. libri de D. N. pag. 81. Sohn. t. 1. op. p. 192. Beza in Resp. ad Acta Colloq. Mompelg. parte 1. p. 183. Recentiores excusant suos Præceptores, & dictitant: Eos attendisse Naturam divinam, qvatenus *absolutè* consideratur, & omnibus tribus Personis, in Deitate unâ, communis est. Vide Mason. parte 2. Anatom. Univ. cap. 7. p. 558. Huic Excusationi locum relinqvere non possumus, qvamdiu unanimiter omnes Calviniani negant, *realiter divinam Naturam Humanitati esse communicatam.* Hâc Communicatione negatâ, insimul ab omnibus negatur, Naturam divinam λόγυ esse incarnatam: *Aut* enim Natura divina verbaliter duntaxat est particeps Humanitatis: *Aut* realiter. Si *hoc*: realiter sibi appropriavit Humanitatem. Si *illud*, verbaliter Deus factus est Homo.

HYPOTHESES.

I. Concil. Toler. IV. Can. 1. rectè definivit: *Solum Filium suscepisse Humanitatem in Singularitatem Personæ, non in unitatem Divinæ Naturæ, id est, in eo, qvod proprium est Filii, non qvod commune est Trinitati.* Hæc nostram non feriunt Doctrinam, qvia non divinam Naturam, qvatenus omnibus tribus Personis Communis, sed *genitam* vel Charactere Personali notatam pronunciamus incarnatam.

II. Qvomodo una simplex, indivisa Natura sit, in Patre, Filio, & Spiritu S. qvæ tamen duntaxât incarnata in Filio, non in Patre & Spiritu S. nulla capit Ingenii Humani Sagacitas. Ecclesiæ Doctores qværunt hujus mysterii vestigia in Naturâ. *Augustinus serm. 3. de Temp.* adducit 1. Exemplum Animæ & Rationis, qvarum una

una est Essentia, & tamen sola Ratio suscipit Sapientiam, qvam non suscipit Anima, qvatenus vivit & sentit. 2. Exemplum Caloris & Splendoris in Sole qvi sunt in uno radio, & tamen Calor suscipit fervorem, non illuminationem, splendor suscipit illuminationem, non fervorem. 3. Exemplum Citharæ, qvâ concurrit Ars, manus, Chorda, qvæ simul operantur, sed sola chorda personat. *D. Luth.* utitur similitudine trium puellarum, qvarum duæ unam induunt veste. Alii Theologi argutis Ingeniis obvertunt Θεοφανίαν in Baptismo Christi, qvâ Solus Spiritus S. apparet in Columba, non Pater vel Filius, ut cunqve una indivisa horum & Spiritus S. sit Essentia. Simplicitas Christiana adhæret divinæ Revelationi, qvæ monstrat 1. Unam, indivisam, simplicem Deitatem in Patre, Filio & Spiritu *S.* 2. incarnatam Deitatem in SOLO Filio. Qvomodo hoc fieri qveat, hâc in mortalitate non capimus, adeoqve frustrâ id inqvirimus.

Q. II. *Suntnè duæ in Christo Naturæ ita unitæ, ut Deus & Homo sit unus Christus?*

THESES.

I. Unionem Hypostaticam duarum Naturarum in Christo ex Scripturæ Dictis accuratè & solidè explicarunt nostri Theologi. Cumprimis *Luth. p.* 1. *Post. Eccl. p.* 125. 172. *D. Brent. tom.* 8. *p.* 983. *D. Chemnit. l. de D. N. cap.* 4. *seqq. D. Hunn. in lib. de Pers. Christi tom.* 1. *op. p.* 150. *Philipp. Nicol. lib* 1. *de Omnip. cap.* 5. *Gerlach. in. disp. de Pers. Christi §.* 106. *seqq. D. Hutt. in Form. Conc. p.* 721. *seqq. & in L. Th. p.* 138. *Schröderus in Enchirid. Theol. p.* 99. *& in lib. de Nest. & Eutych. p.* 42. *D. Mentz. in Anti Mart. p.* 9. *Gerh. in Ex. L. IV. §.* 115. *seqq. &c.*

II. Qvomodo hi & alii ex sacris literis doceant, Christum esse unum, non *confusione duarum Naturarum*, sed *unitate Personæ*, compendiosè explicabimus.

III. Christum esse verum DEum, verumqve Hominem præsupponitur, qvia utraqve ejus Natura hâc antè est stabilita: UNUM esse Christum, diserte & διαρρήδην tradit S. Scriptura *Matth. XXIII. 8. Roman.* V. 15. 17. 19. 1. *Corinth. VIII. v.* 6. 2. *Corinth.* V. 14. 1. *Tim.* II. 5. Consentiunt omnia *Vaticinia Prophetica*, qvæ UNUM Messiam præ-

prænunciant, *Eloqvia Christi*, qvibus de Seipso ut Unâ Personâ fuit loqvutus, & pronunciata tam *Evangelistarum* qvam *Apostolorum*, qvibus Christus semper ut UNA Persona designatur.

IV. PERSONALEM vocamus Unionem duarum in Christo Naturarum, qvia Scriptura duce intelligimus, Deum factum esse Hominem, assumendo Naturam humanam in unitatem suæ Personæ: De λόγῳ, qvi Subsistens Persona, tradit Johannes qvod factus sit Caro *Johann.* I. 14. *Hoc* dum variis modis factum, concipere possit humanus intellectus, addidit Spiritus S. vocem ἐσκήνωσεν, qvæ actum Personæ indicat: *Hunc* actum tribuere non possumus λόγῳ ἀσάρκῳ, qvia de λόγῳ ἐνσάρκῳ Johannes loqvitur, idcirco vel λόγος *Personam assumpsit â Carne, vel Carni Personam communicavit. Illud* non admittunt dicta, qvæ Christum Unam profitentur Personam; *Hoc* itaqve concedendum.

V. Ad Exceptiones Socinianorum suo loco jam supra respondimus: Hâc in qvæst. notetur, 1. Nondum esse evictum, in Dicto allegato, per *Verbum* Christum prædicantem, per ἐγένετο σὰρξ, per *Carnem* fragilitatem & miserias Carnis intelligi. 2. ὕστερον πρότερον esse infreqvens in sacrâ Scriptura, & Johannem in verbis anteced. non posse loqvi de iis, qvæ Incarnationem λόγου inseqvuta, si v. 14. loqvatur de λόγου Incarnatione. Confer *D. Gerh. d. l.* §. 125. & *Stegmann. disp.* 15. *de Photin. th.* 2.

VI. Apostolus Paulus Filium Dei, qvem Personam esse, extrâ litem est, factum ex semine David & muliere, testatur *Rom.* I. 3. *Galat.* IV. 4. Uti autem *fieri ex semine David* & *muliere* nemo potest, qvi non sit Homo, ita in propriâ Personâ, Christus Homo non potest esse Filius Dei, cum sit Filius Dei ab æterno â Patre genitus, uti suprâ evictum. Seqvitur ergo Filium Dei factum ex semine David & muliere, qvia suam Personam *Humanitati* communicavit.

VII. Deum, qvi manifestatus dicitur in Carne, 1. *Timoth.* 3. v. 16. Personam esse, nemo facile ibit inficias. Hunc autem non esse Patrem, vel Spiritum S. sed Filium Dei, probat ἀνάλημψις ἐν δόξῃ huic Deo assignata: Pater enim & Spiritus S. non ascendit in cælum, nec receptus est in gloriâ, uti de Christo legitur, *Marc.* 16. v. 19. *Luc.* 24 51. *Act.* 1. v. 11. Omnia qvæ de hoc Deo manifestato prædicantur, Per-

Personam evincunt, qvam humanam dicere nemo potest, nisi Hominem nudum in Carne manifestatum ineptè velit affirmare. *Aut* ergo manifestatus in Carne erit gemina Persona; *aut* Deus Carni, in qvâ manifestatus, suam communicavit ὑπόστασιν. Non *illud*. E. *hoc*.

IIX. Exceptionibus Socinianorum respondendum 1. In omnibus Exemplaribus Græcis legi vocem Θεὸς, qvibus non præjudicat Latina vel Syriaca Versio. 2. Θεὸν hic non notare totum Christum, qvi θεάνθρωπος, sed *Deitatem genitam*, qvæ est Secunda Trinitatis Persona. 3. Aliam esse manifestationem *gloriæ divinæ*, aliam manifestationem *ipsius Dei in carne*, *qvâ susceptus est in gloriam*: *Hæc*, non *illa* evincit, Personam λόγου esse communicatam Carni. Confer *Gerh. d. l.* §. 127. *Stegm. d. l. q.* 3.

IX. Apostolus *Hebr. II.* 10, 14. 16. Ἀρχηγὸν σωτηρίας ut Personam describit, eiqve attribuit τὸ μετέχειν σαρκὸς καὶ αἵματος, item τὸ ἐπιλαμβάνεσθαι σπέρματος Ἀβραάμ. De nudo Homine si hæc accipias, λεπτολογίαν imputas Apostolo: cum nudus homo non assumat humanitatem aliam. Persona divina autem si assumit humanitatem de eaqve communicat, suam subsistentiam etiam humanitati communicabit: Cum subsistentia divina ut immutabilis & perfectissima non possit destrui ab Humanâ ὑποστάσει; Proindè *vel* duplex Persona in Christo concedenda, *vel* divina Hypostasis Carni communicata, agnoscenda.

X. Ab Exceptionibus ut vindices Dictum Apostolicum, advertes 1. Verbum ἐπιλαμβάνεσθαι absolutè & simpliciter positum, non significare *credentium receptionem in gratiam*, qvam etiam series Contextus hic non admittit, nec statim fit particeps Carnis & sanguinis, qvi in gratiam recipit Homines. 2. Non differere Apostolum de Κοινωνίᾳ *passionum*, sed Κοινωνίᾳ *Carnis & sanguinis*, qvæ est inter Christum, ejusqve fideles. 3. Præsens ἐπιλαμβάνεται pro præterito poni per Enallagen in scripturis usitatam, uti svadet *v.* 14. 4. Nomen Seminis non accipi *collective*, utcunqve Angelis opponatur: Non enim una Essentia multis subsistentibus Angelis, sed una Natura humana, uni Naturæ Angelicæ opponitur. *Gerh. d. l.* §. 182. *Stegm. d. l. q.* 4.

XI. Sim-

XI. Simplex Fides, qvæ credit, Unum esse Christum, qvi verus Deus & verus Homo, optima est, verum Erronei Conceptus â Sathanâ suggesti de modo Unionis, qvo unita DEitas & Humanitas, Ecclesiam ad removendos Unionis modos, dictis Scripturæ repugnantes, pertraxit. Hinc Unionem hanc vocat *Personalem*, qvia Scripturæ Oracula Terminum Unionis non Naturam, sed Personam monstrant.

XII. Ut evidentius appareat, Unionem duarum Naturarum in Christo, non nisi *Personalem* esse, in seqq. qq. demonstrabimus, Spiritum S. in Christo non admittere Unionem 1. παρασατικὴν, qvalis inter duos asseres conglutinatos, vel duos bacillos copulatos, inter qvos nulla est realis Communicatio, licet sint ex diversis lignis 2. ὁσικὴν, qvâ ex multis una fit Natura, vel Essentia. 3. Φυσικὴν, qvâ ex materiâ & formâ fit tertium qvid, qvod neqve materia neqve Forma. 4. πνευματικὴν, qvâ Deus ita habitat in Sanctis, ut sit totus in illis, totus extra illos. 5. Κοινὴν, qvæ in aliis obveniat unitis, cum Prædicationes Personales â Spiritu S. patefactæ, inusitatam, ἐξαίρετον καὶ μονότροπον Unionem evincant.

ANTITHESES.

I. Omnes, qvi vel Divinam vel Humanam Christi Naturam aversantur, Unionem personalem fictam & monstrosam censent. Cumprimis *Sociniani*, ut duas in Christo naturas non agnoscunt, ita earum Unionem Personalem sarcasticè irrident. Vide *Antith. q.* & *Cap.* 1. *in hâc Controv.*

II. *Pontificii* contendunt, Unionem Personalem esse factam per communicationem solius Subsistentiæ, h. e. ut *Busæus* interpretatur, ex duabus Naturis non est facta una subsistentia, sed *unio tribuit subsistentiam humanæ Naturæ. Bellarm. l. 3. de Chr. cap. 8. Busæus cont. Gerl. cap. 4. th. 35. Greg. de Valent. tom. 4. disp 1. q. 2. punct. 5.*

III. *Calviniani* â Φρασεολογίᾳ Sacrarum literarum recedunt, cum pronunciant 1. Carnem esse Λόγῳ adjunctum. *Goclen. in probl. Log. q.* 40. 2. Unionem personalem esse definiendam per nudam sustentationem & gestationem Carnis in Λόγῳ ὑποστάσει *Beza in Coll. Momp. p.* 245. *Martinius in Mentz. Antimath. cap.* 3. & 4. *cujus*

hæc sunt themata : *Humana natura non accipit subsistentiam qvandam, sedâ* Personâ *Filii, in qvam est assumpta, accipit hoc, ut ei annumeretur non tanqvam alienum qvid, sed ut suum & proprium.* p. 48. *Caro Christi non subsistit, ut* Persona *dicitur subsistere, sed ut substantia & Natura sustentata in* Personâ p. 54. *Persona Verbi sustentat Humanitatem suam eo modo, qvo totum sustentat partes intimè sibi copulatas, seu qvo agens principale instrumentum sibi unit. Hæc sustentatio est Carni Christi planè singularis, qvod gestatus in* Personâ *verbi tanqvam carnem illam trahentis ad suam subsistentiam & in eâ illam terminantis.* p. 64. 3. negant : Hypostasin λόγυ verè ac realiter communicatam esse Carni. *Grab. contra Hunn. pag.* 49. *Piscator in qq. Miscell. q. 8. p. 37. Author Antithroni oppositi Schrodero. p.* 114. *Alsted. in Theol. Polem. pag.* 55. *Wendelinus lib.* 1. *Christ. Theol. cap.* 16 *p.* 259. 260. *Maresius in Theol. Elencht. nova Synopsi Controv. p.* 107. *Masson. part.* 2. *Anatom. Univ. cap.* 7. *p.* 596. *seqq.*

IV. *Martinius in Mentz. Antinuthet. cap* 3. 4. 5. 6. *& Masson. parte* 2. *Anatom. Univers. cap.* 6. *&c.* de phrasibus allatis multos divendunt Verborum tumos, ut ab omni hæreseos maculâ eas purgent. Horum χρησιλογίαις ne qvis decipiatur, mentem & lingvam Calvinisticam studiosè conferat necesse est. Non desunt Doctores Calviniani, qvi de Unione Personali nostram lingvam in dictis, & nostram Scriptionem in libris suam faciunt, cum expresse fatentur, Unionem Personalem consistere in subsistentiæ Verbi communicatione cum Naturâ humanâ assumptâ: *Beza in Resp. ad Acta Colloq. Momp. part. 1. pag.* 119. *in Colloq. Momp. pag.* 205. 211. 213. *Vol.* 1. *op. p.* 519. *Vol.* 3. *q.* 397. *Polan. l.* 6. *Syntagm. Theol. cap.* 16. *Sohnius in Exeg. A. Conf. tom.* 2. *op. p.* 223. *Scarpius in Cursu Theol. col.* 788. *Maccov. in Colleg. de mediat. Disp p.* 211. 212. *Walæus in L. Comm. de Unione Hypost. p.* 699. Verum his alii contradicunt, ut de unanimi Consensu nihil possimus promittere. Insuper mens eorum si aliis in hypothesibus indagetur, apparet 1. qvod non possint asserere absqve hypocrisi, Personæ divinæ Communicationem, qvia negant, proprium posse communicari, inter Naturas, esse realem Communicationem, actum Personæ in Christo distingui ab actu Naturæ, λόγου nullibi esse extrâ suam carnem. &c. uti patebit ex subseqq. qq. 2. qvod sustentationem illam, qvâ Carnem dicunt â personâ λόγυ gestari & sustentari, neqveant distinguere â *generali* Sustentatione omnium

omnium Creaturarum, qvia probare neqveunt, Humanitatem Christi posse existere, extra Personam λόγου. Si autem Specialis esset sustentatio, qva caro sustentatur â λόγῳ, hâc sublatâ, maneret nihilominus sustentatio generalis. Confer *D. Calov. in Exam. Doct. & Syncretismi de Pers. Christi disp. 9. 10. 11. 12.*

V. *Vorstius in Exeg. Apolog. cap. 17. p. 88.* non putat errorem, si qvis divinam τῦ λόγου ὑπόστασιν per arcanum aliqvem influxum assumptæ humanitati communicatam dicat.

HYPOTHESES

I. Non possunt non errare, qvi *præsentiam λόγου ad Carnem* personaliter assumptam, non accurate distinguunt â *præsentiâ, qvâ adest aliis Creaturis*, extrâ suam ὑπόστασιν subsistentibus. Habitat enim Filius DEi in assumptâ humanitate σωματικῶς *Coloss. II. 9.* h. e. ut communicans Carni suam subsistentiam, & approprians sibi humanitatem: Non igitur λόγος in assumptâ Carne habitat 1. Τυπικῶς, ut olim in Templo Hierusalem habitavit. 2. Ἐνεργητικῶς, ut habitat in omnibus Creaturis. 3. Χαριέντως, ut habitat in omnibus sanctis. 4. δοξαστικῶς, ut in omnibus Beatis. 5. συμβολικῶς, uti qvondam habitavit ad tempus in rubo ardente *Exod. III. 2. seqq. Deut. XXXIII. 16.* & Spiritus S. certo temporis spatio habitavit in Columba *Johan. I. v. 31.*

II. Qvamvis διαῤῥήδην non legantur in Bibliis hæ theses: *Filius Dei in suam Personam assumpsit Humanam Naturam*, Persona λόγου *est communicata Carni*: *Filius Dei cum Humanitate Personaliter est unitus*; tamen διάνοια harum thesium qvod in Dictis de Unione duarum Naturarum in Christo lateat, ante confirmavimus. Unio extrâ Controversiam reqviritur, cum de Unâ Personâ asseritur, qvod sit *DEUS & Homo*: Ubi autem Unio, ibi etiam principium ἑνοποιὸν, qvod in Christo non aliud invenis, nisi Personam Deitatis. Scriptura enim passim in Christo indicat ἄλλο καὶ ἄλλο, nullibi autem describit ἄλλον καὶ ἄλλον. Personalem itaqve dicimus duarum Naturarum in Christo, Unionem, qvia Scriptura eum, qvem describit ut Deum & Hominem, unam Personam appellat, & nullus alius modus Unionis

nis in sacris literis patefactus, qvi congruat duabus *Naturis* in Christo unitis. Ab Hominum intellectu excogitatos esse modos sacræ Scripturæ adversantes, seqq. συζητησεις patefacient.

III. Nullis ex Scripturæ dictis promanat hæc illatio; *Cui communicata est subsistentia, illud est Persona*: Neqve Philosophi accurati concedunt, Humanitatem esse, cui communicata est Humanitas, Formam esse, cui data est Forma: Uti homo est cui data humanitas, & Informatus, cui data forma; ita subsistens & ὑποστατον vel personata est Christi Humanitas, qvia ipsi Communicata est λογου ὑποστασις.

IV. *Damasc. l. 3. de Orth. F. cap.* 3. seipsum explicat, qvomodo neget ἑνωσιν κατ' ουσιαν in Christo; Disputat enim contra Nestor. qvi Unionem personalem vocavit non â termino *ad qvem*, sed â *termino*, *â qvo*, ac si unus sit Christus, qvia duæ concurrunt Personæ ταυτοβουλίᾳ, Consensu & amore. Confer *Gerh. d. l. §.* 120.

V Humana Christi *Natura* ut non est ὑποστασις vel Persona non ἀνυποστατος vel ἰδιοσυστατος, ita nec est ἀνυποστατος; sed ἐνυποστατος ἐν αὐτῳ τῳ λογῳ: Non autem est ἐνυποστατος 1. propter *solam sustentationem*, qvia illa non efficit, ut Ens subsistat eâ subsistentiâ, qvâ subsistit λογος. 2. *accidentaliter*, ut accidens est in subjecto, qvia Humana Natura ut accidens non inhæret λογῳ, ut Subjecto. 3. *partialiter*, ut pars in toto, surculus in arbore, qvia λογος respectu humanitatis semper pars manet totius Christi, & surculus subsistit anteqvam arbori inseritur, cum qvâ etiam partialiter duntaxat unitur. 4. *Universaliter, ut Species in Individuo*, qvia humana Christi Natura non assumpta ut Species, sed ut individua & singularis Natura.

VI. Pontificii negant cum Calvinianis, Communicationem realem Naturatum & Idiomatum in Personâ Christi; Idcircô unâ manu eripiunt, qvod altera dederunt, cum subsistentiam divinam λογου Carni Communicatam asserunt, qvia subsistentia divina non Communicatur, nisi communicentur Natura & Idiomata λογου, sine qvibus non est Persona divina. Vide *Gerh. d. l. §.* 122.

VII. Accidens vel *adjunctum* λογου posse dici Carnem, non ob-

ti-

tinetur hoc Axiomate : *Qvicqvid Supervenit Enti actu existenti, est ejus accidens.* Valet enim hoc de illo superveniente, qvod non fit unum ὑφιστάμενον cum eo, cui accedit. Anima primo Homini inspirata Enti actu existenti supervenit, sed Accidens ejus non fuit. *Genes. II. 7.*

VIII. Qvocunqve modo explicent Calviniani *gestationem* & *sustentationem* Carnis in λόγῳ, non possunt eam distinguere â sustentatione Patris & Spiritus S. qvâ sustentant omnes Creaturas, nisi admittant, λόγον sustentare Carnem in Personâ, qvam Carni Communicavit : Personam enim λόγου Carni communicatam negans, aërem vanis verbis ventilat, si dicat, *Caro est propria λόγου Caro ; λόγος trahit Carnem ad suam subsistentiam & Carnem in eâ terminat* &c. Qvæ omnia tum demum agnoscuntur vera, cum ὑπόστασις λόγου Carni Communicata asseritur.

IX. Christum ut *totum integrale* nuncupemus, prohibet 1. manifestatio λόγου in Carne. Nullum autem totum est in parte suâ integrali. 2. prædicatio Dei de Homine, & Hominis de DEo ; qvia nulla pars sit totum integrale, unde veræ nunqvam sunt hæ propositiones: *Pes est Homo, Manus est Homo, Oculus est Homo.* 3. Unio intima & totalis duarum Naturarum, qvâ totus λόγος est in totâ Carne assumpta. At totus Homo non est in pedibus, manibus, oculis, &c.

X. Subsistentia λόγου infinita est Humanæ Naturæ communicata, sed *ipsa infinitas* qvod communicata sit, Scriptura non docet : Rationis nostræ Conceptus frænis divinæ Revelationis coërcendæ sunt. Magistro Spiritui S. obseqvimur, si dicamus, subsistentiam λόγου Carni esse Communicatam *infinitatem, & Characterem personalem s. generationem ab æterno, ex Patris Essentiâ*, Communicatam esse, in schola S. Spiritus non discimus, idcircô non asserimus, qvod Magister noster non asseruit, utcunqve Rationis nostræ discursus cogere velit, unum absqve altero affirmari non posse.

XI. Phrases Venerandorum Patrum, Lutheri, Philippi & aliorum Theologorum qvoad *sonum*, non autem *sensum*, consonant phrasibus Calvinianis, qvia non negant illi, Personam λόγου esse communicatam Carni, Realem esse κοινωνίαν inter naturas, &c. Hæc & similia

si candidè & syncerè approbarent Calvinistæ, de solis phrasibus litem nemo nostratium illis moveret.

XII. *Vorstii* Somnium, qvia nullo Dicto Scripturæ de Unione Hypostaticâ insinuatur, meritò ê Christi Ecclesiâ exploditur.

Qv. III. *Estnè realis* Κοινωνία *&* περιχώρησις *inter Naturas Christi unitas?*

I. FOrm. *Concord. p.* 607. ad Veritatem Prædicationum Personalium provocat, & negat, *Deum esse Hominem*, vel *Hominem esse Deum*, nisi divina & humana Natura inter se revera & reipsa communicent.

II. Variis argumentis Realis Κοινωνία Divinæ & Humanæ Naturæ in Persona Christi est adstructa â *D. Gerlach. in assert. cont. Busæum cap.* 4. *Rungio disp.* 2. *de Calvin th.* 30. *Hutter. Commentar. in Form. Conc. p.* 750. *in Loc. Th. p.* 144. *Mentzero in Anti Martin. p.* 10. *tom.* 2. *Disp. Giess.* 3. *th.* 7. *Schrod. in Enchir. Theol. p.* 102. *cont. Grab. p.* 214. *Gerhard. in Exeg.* §. 149. *D. Calovio in Exam. Doctr. & Syncretis. disp.* 12. *th.* 365.

III. Nos repetemus Oracula S. Spiritus, qvæ stabiliunt realem Naturarum in Christo περιχώρησιν, & Κοινωνίαν. Si conferamus tria Testimonia Apostolica Johan. I. 14. Colos. II. 9. Hebr. II. 14. occurrunt tres voces, ἐγένετο, κατοικεῖ· & μετέσχε, qvæ ordine mysterium Unionis Hypostaticæ elucidant: Si enim qværas, qvomodo Filius Dei Unigenitus factus sit Caro? respondet Paulus, in Christo totam plenitudinem Deitatis habitare σωματικῶς? Si qværas ulterius, qvomodo plenitudo Deitatis inhabitet σωματικῶς? respondet Epistola ad Hebr. Filium Dei participem esse factum carnis & Sangvinis, ut pueri. Filius itaqve DEI est Homo, qvia communicat de Humanitate, & in Humanitate inhabitat tota Deitatis plenitudo σωματικῶς qvia in Corpore splendescit Deitas Filii DEI, & Filius Dei in Corpore appropriato inhabitat.

IV. Exceptiones evertuntur his Aphorismis I. Plenitudo Deitatis non potest inhabitare in Christi Divinâ Naturâ, qvia in illâ non est distinctio inter inhabitantem & habitaculum nec ostendi potest qvi Divinitas per sê & secundum suam Essentiam inhabitet σωματικῶς? 2. Vox

σωμα-

σωματικῶς notat (1) inhabitationem veram, non typicam, qvalis sub V. T. fuit, & ut σκία opponitur σώματι. (2.) Deum communicantem se Carni, & carnem appropriatam DEO, Damasc. l. 3. de Orth. Fide cap. 6. σωματικῶς, τουτέστιν ἐν τῇ σαρκί. 3. Μετέχει idem significat, qvod ἐκοινώνησε, teste Varino, in Lex. col. 1247. lin. 47.

V. Prædicationes Personales, si Verbis Scripturæ adhæremus, non rectè explicantur de Naturis, non inter se, sed in *subsistentiâ*, seu *Personâ*, communicatis, qvia 1. subsistentia λόγου à λόγου divinâ naturâ non differt realiter. 2. Hæ propositiones, juxta Scripturæ simplicitatem, semper ita exponendæ, ut per Deum non nuda *subsistentiâ* (qvæ nullibi dicitur Deus) sed Deus *subsistens* intelligatur. Sumamus E. g. prædicationem: *Deus est homo*: & diligenter expendamus, qvid notet *Deus*! qvid *homo*? Neuter sanè terminus juxta Scripturam, solam subsistentiam, sed naturam vel *per se*, vel *in alio* subsistentem notat: Non igitur solius subsistentiæ, sed etiam Naturarum significatur communicatio, qvia Naturæ in unâ personâ ceu principio ἑνοποιητικῷ copulatæ de sese prædicantur.

ANTITHESES.

I. Samosatenus, referente Suidâ fol. 737. docuit: duas Christi naturas πανταπασιν esse ἀκοινωνήτους πρὸς ἑαυτάς.

II. Hujus ex scholâ prodierunt *Jesuitæ* & *Calviniani*, qvi communicationem Naturarum nullam agnoscunt *realem* in Personâ Christi, qvod si communicationem qvandam profitentur, intelligunt 1. *verbalem*, qva Deus dicitur homo, non qvia de humanitate ἀληθῶς communicat: sed qvia denominatur â naturâ sibi unitâ. 2. in *solâ subsistentiâ* terminatam, nullam in *naturis* ipsis; Concedunt enim subsistentiam λόγου & divinæ & humanæ naturæ esse communem; Naturas autem inter se communicatas esse, negant constantissimè. Videantur illorum verba ap. *Gerhard. d. l. §.* 152. qvibus addatur *Beza in Resp. ad Arg. Brentii Vol. 1. pag.* 519. *& in Summâ Confes. Orthod. Vol. 3. fol.* 339. *Sadeel. de V. Hum. Nat. cap* 17. *puncto* 1. 2. *Buscum in Apologetico Cont. Gerlach. cap.* 1. *pag. m.* 6. *& cap.* 4. *pag. m.* 43. *Admonit. Neostad. p.* 671 68. *p.* 256. *Consens Orth. fol.* 17. *fol.* 123. *Martinius in Mentz. Ant.*

Nuth

Nuth. cap. 13. *p.* 197. *Alting p.* 2. *L. C. p.* 510. *Greg. de Val. t.* 4. *d.* 1. *q.* 2. *p.* 3. *Becanus p.* 3. *th. Schol. c.* 7. *q.* 3.

HYPOTHESES.

I. Calviniſtarum & Jeſuitarum phantaſia ſemper errat in præconceptâ opinione, qvâ putant; *ſubſiſtentiam* λόγου *eſſe communicatam*, non *ipſam naturam* λόγου, qvem errorem ſupra q. 1. retudimus. Oritur autem hæc opinio, non ex verbo divinitus patefacto, ſed ex intellectu nimium Curioſo, qvi ſpeculatur de differentiâ *Perſonæ divinæ*, & *Naturæ*, qvæ qvalis ſit, nulla ſcriptura Θεόπνευς docet: Hoc ſcimus ex ſacris literis, *differre Trinitatis perſonas inter ſe realiter, qvomodo* autem *Perſonâ divinâ â ſuâ ſubſtantiâ divina* differat, ignoramus. Magis igitur conſultum & Chriſtianum eſt, ſeponere ſpeculationes de hoc diſcrimine, & ſimpliciter adhærere ſcripturæ dictis de λόγου Incarnatione & Unione perſonali, qvibus ſubſiſtentia cum ſua natura divina qvod exprimatur, litera textus edocet.

II. Nulla eſt conſeqventia â Communicatione Naturæ in SS. Trinitatis Perſonis ad Communicationem Perſonæ, in Unione λόγου & carnis: Si enim ita inferas: *Natura Patris communicatur Filio & Spiritui S. non autem Perſona: Ergo Perſona* λόγου *Communicatur Carni, non autem natura*, ludis παραλογίσμῳ περὶ ὃ τὸ ἐκόμενον. Etſi enim natura divina poteſt communicari, non communicatâ Perſona, tamen non vice versâ perſona poteſt communicari, non communicatâ Naturâ divinâ: Ratio ex ſcripturis eſt manifeſta: qvia hæc teſtatur: Naturam divinam in qvibusdam eſſe, qvi differunt Perſonaliter à Patre: Nullibi autem legitur; Perſonam divinam in aliqvo eſſe, qvi differat naturaliter â Patre, & planè nullo modo de divinâ natura participet: *Ubi ergo Perſona divina, ibi ejus Perſona natura*; ſed non vice verſâ, *ubi Natura divina, ibi ejus Naturæ Perſona*. E. g. *Ubi Johannes Evangeliſta, ibi humanitas*: ſed *ubi humanitas, ibi non ſtatim Johannes Evangeliſta*, cum etiam humanitas in Petro Paulo & aliis ſe offerat.

III. Qvædam poſſunt dici de Perſonâ, qvæ non dicuntur de Naturâ Chriſti: ſed incarnatio in ſcripturis ita deſcribitur, ut non ſoli Perſonæ, ſed etiam Naturæ conveniat.

IV. Ut

IV. Unio Personalis facta est in *Naturis*, & in *sola Persona*: in *hâc* ut *termino*, vel formâ, qvâ duæ naturæ ad unitatem sunt determinatæ: in *illis* uti *fundamento* vel materia, qvæ Unionem inter se sustinuerunt. Hâc distinctione observata facilè diluitur hoc Busæi argumentum: In Apologetico, cap. 4. pag. 46. *In eo tantum constituenda est communio realis, in qvo est unio Personalis.* At in *Personâ tantum*, & *non in naturis facta est Unio personalis.* E. in *Persona tantum*, & *non in naturis est communicatio realis*; Major enim, si de *formâ* Unionis loqvitur, falsa est, uti patet ex hac æqvipollente propositione: *in eo tantum constituenda Communio realis, in qvo ceu termino Unio personalis terminatur*; qvæ propositio est falsissima. Si autem major de materiâ & formâ Unionis intelligatur, Minor est falsa, ut enim in personâ ceu *formâ*, ita in Naturis ceu *materiâ* facta est unio Personalis. Distinctio itaqve *rerum unitarum*, & *termini*, in qvo fit Unio, Busæi confundit subtilitatem.

V. Perqvam ἀπαραδέυτως negatur realis Naturarum Communio, propterea qvia in abstracto non dicitur: *Divinitas est humanitas*, & *humanitas est divinitas*: Nam 1. hæ prædicationes involvunt essentialem naturarum conversionem & permutationem, â qvâ realis communicatio, pro qvâ pugnamus, plurimum differt. 2. Qvemadmodum ob Communicationem ὑποστάσεως non dicunt Antagonistæ: *Caro Christi est Persona*; sed *Persona* ὑποστᾶσα: ita ob communicationem Naturæ divinæ, nos non dicimus: Caro Christi est Deitas, sed Deus, vel uti veteres, λογωθεῖσα & θεωθεῖσα: Illustrari hæc possunt aliis similibus καθ' ἕνωσιν καὶ συνδύασιν unitis, qvibus non in abstracto sed in concreto fit prædicatio; ut qvando dico, *Corpus est animatum*, *ferrum est ignitum*.

VI. Vanus est Jesuitarum & Sacramentariorum metus, qvo subverentur totius Trinitatis Incarnationem, si statuatur, Naturam divinam esse incarnatam, Repete ὑποθέσεις in q. 1. & nota contrâ *Busæum*: Maximè differre hasce duas Enunciationes. *Nulla divina natura est Communicata Carni*, & *Divina natura genita vel Filii est communicata Carni*. Hanc ut veram approbamus, *illam* ut Samosatenianam execramur.

VII. Modus communicationis potest â nobis ignorari & tamen

non tollitur Communicatio. Si ergò vel maximè explicare non possemus, qvalis sit Communicatio, & cui modo ex Naturâ desumpto congruat, tamen nondum cecidissemus nostrâ causâ. Damus autem modum ex Unione, & *Personalem* communicationem defendimus, cujus Regulam & Normam, non Similia ex libro Naturæ, sed Oracula ex libro scripturæ, admittimus.

VIII. Adversarii de hac qvæstione plerumqve respondent, ac si qværeretur: *Qvâ de causâ una Persona Verbi, s. λόγε dicatur homo & Deus?* Cum qvæstio vera sit: *Cur homo dicatur Deus, & Deus dicatur homo?* Ad *priorem* sufficit, si dicatur: *Persona Verbi est Deus Deitate, & homo humanitate*, vel qvod idem est, in Personâ λόγε sunt divina & humana Natura. Verum ad *posteriorem* si dictam responsionem afferas; Unionem exprimendam planè omittis, & nihil præter duas Naturas de unâ subsistentiâ dictas ostendis, adeoqve veram causam non tangis: Deus enim non est verè & realiter homo, qvia in persona Dei sunt divina & humana natura, sed qvia in persona Dei hæ naturæ uniuntur & communicantur.

IX. Communicatio Naturarum non est *immediata*, sed *mediata*. Ἀμέσως enim Persona λόγε communicatur Carni: Ἐμμέσως autem & mediante Personâ communicantur Naturæ: Hâc distinctione utuntur & Adversarii, sed mediatam Communicationem opponunt reali, qvam nos realem Communicationem in Personâ & Naturis profitemur.

Qv. IV. *Annon unitæ sunt duæ Naturæ in Christo* ἀσυγχύτως καὶ ἀτρέπτως *absqve essentiali commixtione?*

THESES.

I. Leo M. *in Epist. 10. ad Flavian. tom. 1. Concil. pag. 738.* non minus piè qvam verè scripsit: *Catholica Ecclesia hâc fide vivit ac proficit, ut in Christo Jesu nec sine verâ divinitate humanitas, nec sine verâ credatur humanitate divinitas.*

II. Propugnant hanc Thesin D. Chemnit. l. de D. N. cap. 3. & 22. Winckelm. tom. 2. disp. 8. th. 99. Becanus parte 3. Theol. Schol. tr. 1. c. 6. q. 1. Polanus l. 6. Synt. Theol. cap. 16.

III. Ex-

III. Expressos textus si qværas in Bibliis, qvibus docetur id qvod professus fuit Leo M. benè multos reperies. Nam 1. Dicta qvæst. 1. citata hujusmodi unionem personalem describunt, qvæ confusionem & commixtionem Naturarum nullatenus admittunt. 2. Dicta, qvibus delineatur Divinæ & humanæ Naturæ Veritas, suo loco si inspiciantur, commixtionem & confusionem ex animo veritatis cupido funditus extirpabunt. ἀντιδιηρημένα prædicata de Christo enunciantur, ut qvando legitur qvod fuerit, ante Johannem & venerit post Johannem *Johan. 1. v. 27.* qvod natus in plenitudine temporis *Gal. 4, 4.* & extiterit antè Abrahamum *Joh. 8, 58.* qvod fuerit minor Patre *Johan. 14. v. 28.* & æqvalis Patri *Joh. 10. v. 30.* &c. qvæ prædicata, oppositа reqvirunt subjecta salva & non inter se permixta 4. Dicta qvibus particula συγκριτικὴ unam naturam ab alterâ distinguit, qvæ leguntur Rom. 1. v. 3. cap. 9. v. 5. 1. Pet. 3. v. 18. 1. Tim. 2. v. 5. Dicta de Christi conceptione *Esa 7. v. 14. Matth. 1. v. 23. Luc. 1. v. 31.* hoc suppeditant argumentum. *Qvæcunqve natura tempore unionis cum λόγῳ fuit in utero concepta & de sangvine Matris formata, illam λόγος non absorpsit nec abolevit.* At *humana natura Christi tempore unionis cum λόγῳ, fuit in utero concepta & de sangvine Matris formata.* E. Si dicas, fuisse humanam naturam primitus conceptam, & deindè λόγῳ unitam, unitamqve absorptam, ad scripturam te revocamus, qvæ nullibi hoc docet, qvod tibi imaginaris, sed potius apertè tradit, in unione λογικ cum carne factam esse carnis conceptionem & formationem. Aliud autem est cum λόγῳ *uniri*, & *concipi* vel *formari*: Aliud cum λόγῳ *uniri*, & *aboleri*.

IV. Apparitiones Christi post mortem. Veritatem Carnis ostendunt pedibus *Matth. 28, 9.* sermone d. l. *v. 9, 18.* Marc. 16. *v. 15. Luc. 4, 32. 37, seqq.* fractione Panis *Luc. 24. v. 30.* manibus & pedibus *Luc. 24. v. 38. 39. Johan. 20. v. 20, 27.* manducando *Luc. 24. v. 42. Johan. 21, v. 15.*

ANTITHESES.

I. Apellitæ finxerunt, Corpus Christi ex 4. Elementis assumptum, per mortem in qvatuor Elementa fuisse resolutum teste *Chemnit. lib. de D. N. cap. 4.* Alii, ut *Origenes*, opinati sunt, Christum in resurre-

ctione aliam substantiam Aërei corporis assumpsisse, referente eodem *Chemnit. d. l.* Alii mentiti sunt, Christum ab inferis resuscitatum, corpore ac animâ ibi relictis, cum solâ divinitate cælum petiisse, uti *Damascenus* in Catalog. Hæretic. annotavit. Alii denique, quorum August. meminit *lib. 1. de Trinit. cap.* 8. dictum 1. *Cor.* 15. *v.* 28. ita depravârunt, ut dixerint, post diem novissimum, solam divinam naturam fore in Christo superstitem, humanam autem absorptum iri.

II. Monophysitæ dogmatizârunt: Verbum in carnem ossa, pilos & totum corpus transmutatum, & Deitatem circumcisam, passam mortuam ac resuscitatam esse, Hi *quarto* extiterunt *seculo*. & Apollinaristæ vel Dimeritæ sunt dicti, uti legitur *Cent.* 4. *Magdeb. cap.* 5. *col.* 384.

III. Horum partes defendendas posteâ suscepit Eutyches cum asseclis, qui svadere conabatur: Ex duabus quidem naturis antè junctionem Christum constitisse, post eam v. ex unâ, carnemque cælitus descendisse, in qvâ divinitas Christi cruci sit affixa. Vide *Cent.* 5. *Magdeb. col.* 610. Adhæserunt huic errori *Acephali* & *Armenii*, de quibus legitur jam dicto *l. col.* 615. 619. In *sexto* etiam ac *septimo seculo* reliqvias hujus hæreseos superfuisse, legitur *Cent.* 6. *Magd. col.* 304. & *Cent.* 7 *col.* 115. 128.

IV. Homophysitæ Naturarum unitarum exæqvationem tradiderunt. Horum primipilus fuit qvidam *Arnoldus de Villâ in* 13. *seculo*, cujus hoc fuit nugamentum: Natura humana â Deo assumpta est Deo æqvalis in omnibus bonis suis. Vide *Cent.* 13. *Magdeb. col.* 571. Copiás hujus, patrum nostrorum tempore sibi junxit *Swenckfeldius*, *qvi* inter alios errores & hunc tuebatur, qvod humanitas Christi in statu Exinanitionis fuerit qvidem Patre minor, post glorificationem autem pervenerit ad perfectam æqvalitatem & unitatem essentiæ ac majestatis divinæ. vide *Chemnit. d. l. cap.* 22.

HYPOTHESES.

I. Non probant suas theses, vel ex perspicuis S. Scripturæ dictis, vel etiam solidis consequentiis in sacrâ scriptura fundatis, Adversarii, sed Experientiam de Naturis, in Persona λόγου non unitis opponunt nostro mysterio, qvo talis creditur Naturarum Unio, qvalis ex Regulis Physicis non agnoscitur.

II. Mon-

II. Monstrent æqvipollentiam Adversarii in his propositionibus. *Verbum factum est Caro. Aqva facta est Vinum*, *illa* de immutabili; *hæc* de mutabili loqvitur substantia: *Illa* intelligentium, *hæc* inanimatarum exprimit unionem: *Illa* per alia scripturæ dicta ab Essentiali μεταβολῇ liberatur, *hæc* v. de eadem explicatur, qvando Architriclinus nullam aqvam, sed purum & optimum vinum gustasse, legitur *Joh.* 2. *v.* 10.

III. Adversarii urgendi, ut admittant distinctionem inter *Unionem Animæ ac corporis*, & *Unionem duarum naturarum in Christo*. *Illa* est incompletarum, *hæc* completarum substantiarum: *Illa* ex partibus per naturam unibilibus; *hæc* ex partibus non nisi per extraordinariam Dei potentiam unioni aptis: *Illa* parit tertium â partibus unitis distinctum; *hæc* tali versiculo depingitur: *Sum qvod eram, nec eram qvod sum, nunc dicor utrumqve.*

IV. Swencfeldiani obstricti, ut monstrent essentialem mutationem in verbis Pauli 1. *Corinth.* 15. *v.* 45. Uti enim Adam primus factus in animam viventem, absqve mutatione corporis in Animam: ita secundus Adam factus in Spiritum vivificantem, absqve mutatione humanitatis in Deitatem. In textu 2. *Corinth.* 5. *v.* 16. 17. conjuncta conjungenda: Non enim solum de *Christo*, sed etiam de *Christianis* loqvitur Apostolus. Si ergo *illis* Apostoli verbis denegatur caro, utiqve & *his* carnis Veritas erit deneganda. Docet autem totius textus cohæsio; Paulum non de carnis substantiâ, sed (1) *carnali affectu* & (2) *carne corruptibili ac mortali* differere voluisse.

Qv. V. *Estne Persona Christi ita composita, ut ex Unione Naturarum ortum sit aliqvod tertium, qvod nec Deus nec homo?*

I. Damasc. lib. 3. de Orthod. Fide cap. 3. hanc edit Confessionem ἡμεῖς δὲ, ὁ μιᾶς συνθέτε φύσεως τὸν Χριςὸν δογματίζο μεν, ἐδὲ ἐξ ἑτέρων ἕτερον, ὥσπερ ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος ἄνθρωπον, ἢ ὡς ἐκ τεσσάρων στοιχείων σῶμα. ἀλλ' ἐξ ἑτέρων τὰ αὐτά. ἐκ θεότητος γὰρ καὶ ἀνθρωπότητος θεὸν τέλειον, καὶ ἄνθρωπον τέλειον, τὸν αὐτὸν καὶ εἶναι καὶ λέγεσθαι, ἐκ δύο τε, καὶ ἐν δυσὶν ὁμολογοῦμεν φύσεσι. Hæc brevius ita effert pia Antiqvitas

Deus homo simul & verus Deus & perfectus homo, & nihil tertium ἐξ ὧν, ἐν οἷς καὶ ἃ περὶ.

II. In Sacris literis hæc tradita deprehenduntur, qvia his notificatur 1. *partium unitarum perfectio*: Non enim ex substantiis duabus incompletis ut materiâ & formâ, sed ex duabus substantiis maximè completis constat Christus. 2. *Unionis Personalis Ratio*, qvæ non permittit vel Commixtionem, qvalis est in corpore constituto ex 4. Elementis, vel essentialem unionem, qvâ constituitur una Natura perfecta & completa, uti suprâ vidimus. 3. Naturarum Veritas, cui adversatur substantia Christi, qvæ neqve verus Deus, neqve verus homo sit, sed tertium qviddam, ortum ex divinitatis & humanitatis unione.

ANTITHESES

Eutychianorum ê Castris prodierunt, qvi Christum tertium qvid ex Deitate & Humanitate factum, dictitarunt: Pollicem hisce premit *Martinius cap. 6. in Mentz. Antimuthet. pag. 87. 88.* ubi sic infert: *Qvod est medium inter duo est tertium, Christus est medius inter Deitatem & humanitatem* E. *ex duabus in Christo naturis est aliqvod tertium. Keckerm. in Syst. Log. pag.* 197. 198. Christum vocat *totum integrale* sicut pedes, & homo unum integrale constituunt.

HYPOTHESES

I. *Officium* non est confundendum cum Christi *Personâ*: in *illo* medius est & mediator inter Deum & hominem: In *hâc*, Christus non est medium vel tertium inter Deum & hominem.

II. Compositio, est vel *communis*, vel *singularis & ineffabilis*. *Hanc* non *illam* Patrum & Conciliorum designant testimonia, qvando Personam Christi vocant compositam. Vide *Greg. de Val. tom.* 4. *disp.* 1. *q.* 2. *p* 4. *Becan. d. l. cap.* 6 *q.* 3.

Qv. VI. *Estne λόγος unitus suæ Carni unitus* ἀχωρίστως καὶ ἀδιαστάτως, *ut post Unionem nullibi sit extra Carnem assumptam?*

THESES.

I. NOstrates Theologi subscribunt sententiæ *D. Chemnitii* qvæ extat *lib. de D. N. cap.* 5. & statuit: *qvod Christum totum, sibi præ-*

præsentem non habeat, qvi cogitat, tantum divinam ejus Naturam sine assumptâ humanâ sibi præsentem esse. D. Hunn. tom. 1. op. p. 355. D. Phil. Nicol. l. 1. de Omnip. cap. 10. lib. 2. cap. 1. Hutt. in Form. Conc. p. 736. Mentzerus in Anti Sad. p. m. 182. & in Anti Martin. p. 145. Schröd. in lib. contra Grab. p. 106. Grauerus in Absurd. Calvin. cap. 2. p. 107.

II. In effato Apostolico *Coloss. 2. v. 9.* urgemus 1. *totam Deitatis plenitudinem*, qvæ non admittit partialem hujusmodi Unionem qva Deus genitus sit innumeris in locis extra suam carnem 2. vocem *inhabitare*, qvæ localem separationem in personaliter & essentialiter unitis nunqvam tolerat: De mystica unione Dei cum sanctis hic non est qvæstio. 3. vocem σωματικῶς, qvæ, ut suprâ probavimus, realem & veram κοινωνίαν naturarum indicat. Qvæcunqve autem Naturæ ita uniuntur, ut una alteri sese communicet, illarum una non est extra alteram.

III. Qvi huic argumento obvertunt distinctionem *Personæ & essentiæ* in λόγῳ, refelluntur his Aphorismis. (1.) Uti *Persona*, ita & *divina Natura* in Personâ, est incarnata, uti constat ex dictis, (2.) Si essentia propter immensitatem est extrâ λόγον, cur non etiam Persona, qvæ non minus infinita ac immensa atqve Natura. (3.) Si pars λόγος extrâ Carnem, non λόγος erit ὁ ὅλως ὁ ὅλον π, nec tota Deitatis plenitudo erit in Carne (4.) ut Naturarum in Christo distinctio non permittit, λόγον includi â Carne, infinitum finita; ita unio Personalis vetat, credere qvod λόγος propter suæ essentiæ immensitatem sit alicubi extra assumptam carnem: Uti enim infinitus λόγος cum finitâ carne est unitus; ita ille hanc sibi semper & ubiqve habet præsentem.

IV. Unio Personalis est 1. *reciproca*; qvemadmodum ergo Caro non subsistit extrâ λόγον; ita λόγος non subsistit extrâ carnem 2. *intima & arctissima*, qvâ ad unum constituendum ὑφιστάμενον concurrunt duæ naturæ, qvarum una non est extrâ alteram, nisi qvis manifeste velit invehere duo suppositа: Finge enim λόγον alicubi esse, ubi sibi non sit præsens caro, in illo certe loco λόγος est Persona, sed extrâ carnem. Rursus in alio loco, qvo caro adesse potest, λόγος etiam est Persona, sed in Carne, adeoqve duplex est Persona.

V.

V. Ne unico qvidem dicto solidè potest evinci, λόγον ita esse Carni unitum, ut sit etiam extrâ carnem: λόγον si probes infinitum, & Carnem finitam, non disputas contra nos, qvi consequentiam hanc ex scripturis petimus probari: *Finita & infinita Natura non possunt ita personaliter uniri, ut una alteri omnibus in locis sit præsentissima.*

VI. Subsistentia Carnis, illocalis est, qvia 1. Persona λόγου, qvâ caro subsistit, non est locus 2. subsistentia localis, cuilibet competit homini, qvi tamen non subsistit, ut subsistit caro Christi. 3. subsistentia localis fluit ex propriis humanæ Naturæ principiis, & humana est, qvalis non est in Carne Christi, qvæ non est Persona humana. Cujus subsistentia igitur est illocalis, illud ut uni includatur loco, & nullibi amplius sit, qvam ubi per naturam esse potest, non est necesse: Ideò enim finita corpora uno tantum in loco possunt esse, qvia non nisi finitam habent subsistentiam, qvæ externa superficie semper in hac vita circumscribitur.

ANTITHESES.

Calviniani interdum totum λόγον extra carnem & in carne esse, pronunciant, interdum solam divinam *naturam*, non *personam* extra Carnem collocant. Vide P. *Martyr. in Dial. de Corp. Christi. pag. 10. seqq.* Sohn. *tom. 2. pag. 207. Bezam in Resp. ad Brentii arg. de Omnipræs. Vol. 2. fol. 510. seqq. Apolog. 3 contrâ Selneccer. Vol. 2. p. 266. in Colloq. Mompelg. ses. 26. Martii p. m. 321. Sadeel. de V. H. N. cap. 4. Martinium in Defens. Sadeel. c. 4. & in* Mentz. *Antinuth. cap. 2. Franc. Jun. defens. 1. Cathol. Doctrin. contra Samosat. fol. 20. Crocium in Apolog. disp. 13. p. 377. Maccovium Colleg. de Mediat. Chr. disp. 5. p. 211. Zanch. lib. 2. de Nat. Dei. cap. 6. col. 121. Admonit. Neost. cap. 8. p. 269. Syntagm. Confess. parte 2. p. 201. Masson. parte 2. Anatom. cap. 2.*

HYPOTHESES.

I. Revocandi sedulò sunt Calviniani ad scripturæ dicta in hâc Controversiâ classica, qvæ propriam sedem Articulo de Personâ Christi, suffigunt, ut ex his probent hanc Conclusionem, totus λόγος, vel essentia divina λόγου est extrâ carnem.

II. Diligenter præcavendum, ne â vero qvæstionis statu dissiliant Adversarii: Sæpè enim multas complent paginas in probanda (1) Divinæ Naturæ in Christo, immensitate. (2) Carnis finitate & dimensione

ne

ne definita (3) duarum naturarum unione inconfusa, & 4. partium unitarum inæqvalitate, qvæ omnia non negamus, sed unicè de ratione hujus conseqventiæ qværimus. *Si Caro finita, λόγος infinitus, si naturæ non sunt confusæ, nec adæqvatæ, sequitur, qvod totus λόγος* sit *alicubi extrâ assumptam carnem.* Probabilis sanè videtur hæc seqvela rationi, at scriptura me nullibi docet, qvod ita debeam inferre.

III. Diligenter notandum discrimen inter præsentiam *λόγου intimam*, qvâ præsens est assumptæ Carni, & *extimam*, qvâ præsens est cæteris Creaturis sibi personaliter non unitis: *Illa*, non *hæc* subinfert Unionem Personalem. *Illa* in statu Exinanitionis fuit eadem, qvæ est in statu Exaltationis, *hæc* in statu Exinanitionis, qvoad plenariam & incessantem Χρῆσιν fuit retracta: *Illa* est uniusmodi, *hæc* vel *generalis* vel *specialis*: *Illa* plane immutabilis: *Hæc* non, qvia admittit oppositum, cum â creaturis aliqvando Deus legatur recedere. Liquet igitur, λόγον nulli Creaturæ ita *intimè*, *indistanter & indissolubiliter* esse præsentem, atqve præsens est assumptæ carni: Si v. ulla statuatur creatura, ubicunqve ea sit, cui præsens λόγος & apud illam non est præsens assumpta carni, creaturæ huic vicinior erit, atqve est assumptæ carni, qvod est ἀθεο λόγον.

IV. S. Scriptura clarè docet, λόγον fuisse extrâ uterum Mariæ, extrâ sepulchrum, extrâ montem calvariæ; Cum Caro gestabatur in utero Mariæ, jacebat in sepulchro, pendebat in Cruce: E. hæc utraqve in simplicitate Fidei credamus: Si autem infert nostra Ratio: Si λόγος est in loco, in qvo localiter non est Caro, seqvitur, qvod λόγος sit extra Carnem; Compescamus mentis nostræ proterviam, cum Rationem hujus Conseq. non in Dei Revelatione, sed in suâ speculatione inveniat.

V. Qvi concipit λόγον coëxistentem Carni in *uno loco*, qvo Caro per Naturam adesse potest, & existentem *extrâ Carnem* in illis locis, qvibus Caro naturaliter adesse neqvit, ille imaginatur sibi ἀπερδεύτως & ἀθεολόγως divinam naturam qvæ habet partem extrâ partem, qvæ uno in loco potest copulari Carni, ita ut aliis multis locis sit separata â Carne: Antwerpiam sanè Oceano, clavum rotæ,

Planetam circulo, digitum corpori, non autem Spiritualem essentiam λόγου Carni sic uniri credimus.

VI. Solutio unionis naturalis in morte non probat solutionem Unionis Personalis, qvæ potuit illæsa manere, licet caro fuerit naturaliter in sepulchro, anima naturaliter in Paradyso: Hæc diversa locorum διαστήματα Unionem personalem non separârunt.

VII. Caput est in loco, qvo non est pes, Orbis Solis est in multis locis, qvibus non adest Sol, Mare Balthicum multa alluit loca, qvibus nostra non adjacet civitas, annuli circumferentia amplius occupat spatium qvam gemma annulo unita; qvia in his & similibus uniuntur 1. ea, qvæ habent partem extra partem, 2. qvæ partialiter cohærent in uno puncto 3. qvæ certo respectu sunt non unita; Nam extra illud punctum qvo copulantur, sunt separata potius, qvam unita. Horum Unitorum classi si λόγος carni unitus commiscetur, & λόγος habebit partem extrâ partem, & partialiter in uno puncto adhærebit carni & erit aliqvo respectu Carni non unitus: Qvæ omnia ex scholis Christianorum meritò sunt explodenda.

VIII. De toto possunt diversa enunciari prædicata: qvædam ab *Affectionibus & proprietatibus* partium unitarum, qvædam â *præsentia harum sunt designata.* *Illa* secundum unam alteramve partem prædicantur de toto, ut homo est qvantus secundum corpus, invisibilis secundum Animam, Christus est passus in carne, æternus Deitate &c. *Hæc* autem non nisi secundum utramqve partem possunt enunciari de toto, ut qvando dico Homo est in Carcere secundum animam & corpus. Elias est in cælo secundum animam & corpus &c.

IX. Si Deus nulli creaturæ dedit, ut sit extrâ locum, etiam nulli creaturæ dedit, ut careat propria ὑποστάσει & subsistat in Personâ Filii Dei: Hoc cum concedi neqveat, illud affirmari non debet.

X. Inane est Calvinistarum κρησφύγετον, qvando scriptitant, λόγον nunqvam extra carnem esse, licet sit in loco, qvo Caro per naturam adesse neqvit: Nam expresse scribunt alibi, qvod λόγος sit extra carnem, & in eo loco, cui Caro per naturam non est præsens, reverâ nullum agnoscunt λόγον, qvi sit in carne: Nam si dicere velint, carnem esse qvidem præsentem ubiqve λόγῳ, sed non loco, Resp. qvod nulli loco per ἀντιπαρξίαν possit adesse λόγος, cui non simul

mul adsit caro, nisi locus, qvo Caro per naturam non adest, vicinior statuatur λόγῳ atqve assumpta caro, Finge enim, λόγον præsentem esse hic in terris apud credentes; & apud credentes non adesse carnem: Annon liqvido constat, credentes λόγῳ in terris existenti longè esse viciniores atqve caro assumpta, qvæ â credentibus spatiosissimo distat intervallo.

XI. Qvod λόγος non sit extrâ carnem, causa non est inclusio λόγου vel dilatatio & diffusio Carnis; sed intima & arctissima naturarum unio, cujus nec materia nec forma locus est, adeoqve ob locorum διαστήματα dividi & separari neqvit.

XII. Ad unionem personalem plura reqviri, qvam mutuam Unitorum præsentiam, non imus inficias, hanc autem abesse posse ab Unione Personali, probare debebant Calviniani & instantiam de homine obsesso â Dæmone illis opponere, qvi ita crudè argumentantur. *Qvorum unum præsens est alteri, illa personaliter sunt unita.*

XIII. Cum λογος non sit in loco, sed potius omnia loca ceu minutissimum punctum in se contineat, non concipienda est localis præsentia, qvando ita infertur: Ubi λόγος est, ibi Caro est post λόγου ἐνσάρκωσιν. Atqvi λόγος fuit in omnibus locis post ἐνσάρκωσιν. E. & caro fuit in omnibus locis, & per conseqvens Caro concepta non fuit in solo utero B. Mariæ, mortua non fuit in solo sepulchro, sed etiam in Paradyso ubi fuit λόγῳ &c. *Minor* cum non possit hic esse vera, nisi de illocali præsentiâ intelligatur, & Conclusio de eadem... est intelligenda, adeoqve φαινομένη est ista Contradictio Calviniistica qvâ hæc duo opponuntur: Caro fuit tantum in utero Mariæ post conceptionem sc. *localiter*, & fuit cum λόγῳ extrâ hunc uterum *illocaliter*. Humanitas Christi pendebat in Cruce Hierosolymis *localiter*, & fuit cum λόγῳ Romæ *illocaliter*: Corpus mortuum Christi jacebat in sepulchro *localiter*, & erat præsens λόγῳ in Paradyso *illocaliter* &c. Futiles igitur sunt illæ Calviniistarum seqvelæ, qvibus se evicisse, putant, carnem omnibus Cantharis, lacunis herbis, animalibus & aliis includi locis, imò non solum post conceptionem in utero B. Mariæ Virginis, sed etiam in utero Herodiadis fuisse, si statuatur, λόγῳ ubiqve fuisse carnem præsentem. Nam si illocaliter

Caro præsens est, manifeste liqvet, carnem nulli loco includi, qvatenus illocaliter præsens est, sed potius in λόγῳ sibi præsentissimo, omnia loca ceu minutissimum punctâm sibi habere præsentissima.

XIV. Qvia λόγος non assumpsit uterum B. Mariæ vel montem Calvariæ, vel alium qvendam locum, sed duntaxat Carnem sibi personaliter unitam, non valet hæc Conseq. λογος erat extra uterum B. Virginis, cum caro in illo gestabatur, extrâ montem calvariæ, qvo Caro erat Crucifixa & alia loca, qvibus Caro naturaliter erat præsens. E. λογος fuit extra carnem assumptam.

XV. In Actionibus & Passionibus Carnis distinguendæ sunt ipsæ *actiones & passiones* â *subjecto suo inhæsionis* & *subjecto prædicationis*: *Istæ* restringuntur ad unum locum; *Illud* est Caro, *hoc* autem tota persona, qvæ duo propter actiones & passiones locales, uni loco includi neqveunt. E.g. Caro Nascitur tantum in Bethlehem, baptizatur tantum in Jordane, tentatur tantum in deserto, Crucifigitur tantum Hierosolymis; sed tota persona & caro nata, baptizata, tentata, & crucifixa prædictis locis includi neqveunt: Nam qvia tota persona est Deus & homo & Caro illocaliter possit locis adesse, nulla cogit necessitas, ut in uno saltem loco sint, qvæ in uno loco agunt.

XVI. Seductrice Reformatorum lingvâ ne ad Syncretismum in hac qvæst. pertraharis, notabis 1. qvod qvidam fateantur; *Christum secundum utramqve Naturam adesse omnibus Creaturis*, sed statim addant, Christum omnibus Creaturis adesse secundum Divinam Naturam, *essentiâ*; secundum Humanitatem *consensu & Efficacia*. Tigurini in Apolog. pag. 108. 2. qvod illi qvi dicunt, *Humanam Christi Naturam esse Omnipræsentem κατ' αλλο*, intelligant præsentiam λόγε, cui unita est humana Natura, uti patet ex *Bezæ tom. 1. qvæst. & Resp.* 1, 658. 659. 3. Ambiguam esse hanc phrasin: *Humana Natura ubiqve est in Personâ*: Nam *vel* intelligitur ipsius Humanæ Naturæ præsentia qvæ non ex actu *Naturali*, sed actu *Personali* profluit; *vel* intelligitur duntaxat Personæ istius præsentia, in qvâ subsistit Humana Natura. *Primo* sensu phrasis est Orthodoxa & nostra, *Secundo* dolosa & Calvinistica. 4. Ambiguè loqvi Calvinianos, cum affirmant: *Qvod ubicunqve λόγος est, ibi habeat unitam humani-*

tã-

tatem: *Vel* enim hoc accipitur de præsentiâ Carnis in omnibus locis qvibus præsens est λόγος, vel intelligitur de *respectivâ præsentiâ* Carnis qvâ præsens est saltem in eo loco, qvo per Naturam adesse potest, omnibus autem aliis in locis non statuitur præsens, utcunqve concedatur, qvod maneat unita Carni. Hinc *Sohnius* docet, *dimidium Christi esse ubiqve*, tom. 2. Op. pag. 430. 5. Aliud significare τὸ EXTRA, aliud τὸ SINE & ABSQVE. Qvi negat, Deitatem Christi esse *absqve* Carne, qvandò *illa* præsens in terris, & Caro illi unita in cœlis, non statim negat, λόγον esse *extra* Carnem. Negare possum, pedes hominis vivi & integri esse *extra* caput, sed non statim eo ipso nego; Pedes hominis vivi & integri esse *sine* Capite. 6. Non asserere Calvinianos sincero corde: λόγῳ ubiqve Præsentem esse Carnem, qvandò se explicant, & affirmant: λόγον, *qvi ubiqve est, Carni unitum esse*: Etiam Sancti & credentes præsentes sunt λόγῳ, qvi ubiqve est, qvatenus Spiritualiter λόγῳ uniti: Non autem statim præsentes sunt Sancti illis, qvibus præsens est λόγος, & λόγος unitus sanctis manet extrâ sanctos. Vide *D. Calov. in Exam. Doct. publ. & Syncretismi Eccles. Ref. de Pers. Christi Controv.* 1. *p.* 177.

Qv. VII. *Qvænam est Differentia, qvâ Unio Personalis ab omnibus aliis modis Unionis distinguitur?*

THESES.

I. VErbo divino si attendamus ceu λύχνῳ φαίνοντι ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ, Unio Personalis duarum Naturarum in Christo, non distinguitur accurate per *Dona finita & Habitualia* Humanitati inhærentia, qvia etiam Sanctis hujusmodi Dona communicata leguntur, propter Unionem mysticam & spiritualem, qvâ Deo uniuntur *2. Petr. 1. v. 3. 4. Ephes. 1. v. 23* Solo autem gradu, qvo Dona Christi Dona Sanctorum superant, non potest differre Unio Personalis ab Unione mysticâ, qvia ex dictis liqvet, *hanc* ab *illâ* specie esse diversam.

II. *Sustentatio & gestatio* Humanæ Naturæ itidem non est Differentia genuina Unionis Hypostaticæ, qvia 1. omnes Creaturæ â λόγῳ sustentantur *Hebr. 1. v. 3.* 2. sustentatio Creaturarum est opus

ad extrâ, qvod omnibus tribus Personis in Deitate competit. 3. sustentatio in propriâ Personâ λογϕ, qvatenus distincta â sustentatione Patris & Spiritus S. reqvirit actum, qvem non exercet Pater & Filius, talem autem nemo ostendet, qvi solam gestationem & sustentationem humanæ Naturæ urget.

III. Qvod *Communicata sit Persona Filii Dei assumptæ humanæ Naturæ.* q. 2. docent Theses: Dictæ Personæ Communicatio, qvod Unionis Personalis sit proxima & immediata differentia, hoc argumento evincimus. *Qvicqvid proximè & immediatè Unionem Personalem constituit eamqve ab aliis Unionis generibus accuratè distinguit, illud Unionis Personalis proxima & immediata est differentia.* At *Communicatio ὑποστάσεως Filii Dei Unionem Personalem proximè & immediatè constituit, eamqve ab aliis Unionis generibus accuratè distinguit. E.*

IV. Ex iis, qvæ proximè unionem *consequuntur* & *concomitantur*, uti sunt *communicatio naturarum & proprietatum*, nec non *propriæ Unionis Personalis affectiones*, qvæ ipsi assignantur, qvando dicitur; λόγον unitum esse Carni ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, ἀχωρίστως, ἀδιαιρέτως ἀδιαστάτως ϗ ἀδιαλύτως, δευτέρως & â posteriori petitur Differentia Unionis Personalis, uti ex Effectis & Consequentibus Communicatæ Hypostaseos. De *Antithesi*, ejusqve *Hypothesibus* vide suprâ *q.* 2.

Qv. VIII. *Annon ex Unione duarum Naturarum in Christo sequuntur duo Actus, Naturalis & Personalis?*

THESES.

I. UTi propter naturarum *Veritatem*, duos actus *Naturales* confitemur; ita propter earundem *arctissimam & personalem unionem*, *Actum personalem* in utraqve naturâ credere, tenemur.

II. *Actus Naturalis* stabilitur omnibus illis S. S. testimoniis, qvibus suo loco & Divinitatis & Humanitatis Veritatem probavimus.

III. *Actus Personalis infallibiliter colligitur* 1. ex *subsistentiâ Humanæ Naturæ*, qvæ non ex actu naturali humanitatis; Subsistit enim humanitas Christi actu *Personali*, non *Naturali*, qvia in Personâ Filii Dei subsistit, ut nulla alia humana Natura.

IV. 2. Ex *Veritate prædicationum Personalium*, qvibus *Deus* dicitur

tur *homo*, & *homo Deus*, At homo *naturali actu* non est Deus, neqve Deus *naturali actu* est homo, requiritur ergo alius Actus, qvo hæ prædicationes possint esse veræ, qvi præter *Personalem* alius esse neqvit.

V. 3. Ex *prædicationibus*, qvibus *Filius Dei* dicitur *natus*, *passus*, & *Filius hominis Dominus*, *cui omnia subjecta* &c. qvæ omnes & similes itidem non *naturali*, sed *personali* actu sunt veræ.

VI. 4. Ex *Differentia humanæ Naturæ Christi ab aliis humanis naturis*. *Huic* naturæ convenit subsistentia in λόγῳ, conceptio à Spiritu S. nativitas ex Virgine, virtus vivificandi, potestas remittendi peccata &c. Qvæ autem naturali statu & actu Carni Christi conveniunt, illa Christo cum aliis hominibus sunt communia. *Aut* enim prædicta prædicata de Christo non enuncianda & neganda scriptura sacra: *Aut* etiam aliis hominibus tribuenda, *aut* personalis actus admittendus. Vide *Mentz. in Anti-Sad. pag. 236. Hutter. in Form. Conc. pag. 729. Meisn. parte 1. Philos. sobr. pag. 217. 622. Graw. in Abs. Calvin. pag. 112.*

ANTITHESES.

I. Eutychiani duos naturales Actus unâ cum duarum Naturarum veritate sustulerunt, uti docet *Antithes. 4.*

II. Calviniste actum personalem ferre nullatenus possunt. Vide *Sadeel. de Ver. Hum. Nat. pag. 58. 66. 70. 71. 81. 82. &c. Keckerm. lib. 2. Syst. Log. sect. 1. cap. 4.*

HYPOTHESES.

I. Distinctio horum Actuum non in Personâ simplici λόγου, sed in Personâ composita θεανθρώπου est fundata.

II. Ubiqvitas Calvinistica, qvam sibi imaginantur, non est nostra; Omni præsentia autem Carnis Christi non tam dictâ distinctione, qvam sacris literis innititur.

III. Humanæ naturæ competit actus Personalis, non qvia est persona, sed qvia in Personam λόγου assumpta.

IV. *Naturale* non minus opponitur *Personali*, ac *Naturarum Veritas* & *distinctio* opponi potest *naturarum unioni*.

V. Distinctionis nostræ terminis optimè à Contradictionis labe purgantur hæ propositiones: *Caro Christi est in loco*: & *Caro Chri-*

sti

ſti eſt ubiqve. Prima vera eſt, *actu naturali*, qvi locabili atis eſt principium. *Altera* vera eſt, *actu Perſonali*, qvi Omnipræſentiæ eſt fundamentum.

Qv. IX. *Suntnè qvædam ſimilia in Naturæ libro, qvibus aliqvatenus illuſtrari poteſt hactenus deſcripta Unio Perſonalis?*

THESES.

I. CUm pia & vetuſta Antiqvitas non abhorruit in declarando & illuſtrando hoc myſterio, ab Exemplo 1. *Lucis primævæ, unitæ cum corpore ſolari* 2. *Ferri igniti*, & 3. *Animæ corpore unitæ*, nos & iisdem ſimilibus doctrinam de Unione Perſonali, qvando ex ſcripturæ dictis illa fuit demonſtrata, illuſtrare & adumbrare ſolemus.

II. Inculcamus ſemper in horum Similium uſu, Regulam Juſtini Mart. qvæ talis: ἀρμόδιον παράδειγμα ἐκ κατὰ πάντα, κατά τί γε ν.

III. Sunt horum Similium veſtigia in ipſis ſacris literis. *Primum* enim ex *Hebr.* 1. *v.* 3. *Secundum* ex *Exod.* 3. v. 2. & *tertium*, ex *Hebr.* 2. *v.* 14. à Patribus eſt traductum.

IV. Monſtrant & declarant hæc ſimilia 1. Unionis inter diverſas naturas *Veritatem*, qvam negabant olim Ebionitæ, Photiniani, &c. 2. Perſonæ & ὑφιστάμενε *unitatem*, qvam impugnabant Neſtoriani. 3. Naturarum *integritatem & Veritatem*, cui infenſi erant Eutychiani. 4. naturalium proprietatum & Actionum *diſtinctionem*, qvam evertebant Monothelitæ 5. Περιχώρησιν & *communicationem in Naturis*, cui reclamabant Samoſatenſiani. 6. *Communicationem proprietatum, operationum & divinæ majeſtatis.* Vide *Chemnit. l. de D. N. cap. 6. & Mentzer, in Anti Mart. pag. 381. ſeqq.*

V. In his ſimilibus non occurrit talis Unio hypoſtatica, qvalis eſt inter duas Chriſti naturas, neqve ſimilitudinem in omnibus; ſed in deſignatis ſaltem membris urgemus; qvibus nobis non deſunt hæc ſimilia: Nam 1. monſtrant *naturas diverſas unitas*, ut Solem & lucem primævam, ferrum & ignem, Animam & corpus. 2. oſtendunt *partium unitarum concurſum in uno ſuppoſito*, dum ex luce primævâ & corpore ſolari, unus Sol, ex ferro & igne ferrum ignitum, ex Anima & Corpore Homo fiat. 3. evincunt *unionem talem, qvalis ſit*

Abs-

absque naturarum confusione, Lux enim cum corpore solari, ferrum cum Igne, Anima cum corpore neqvaqvam confunditur. 4. exhibent *unionem*, non *tollentem partium unitarum proprietates & operationes*: qvia lux lucet, corpus solare lucem complectitur, Ignis urit, ferrum incidit, Anima intelligit, corpus est qvantum, &c. 5. depingunt *Unitarum partium* περιχωρησιν, qvia lux primigenita existens anteâ ἀσώματος καὶ ἀυλος, qvando corpori solari unitur, fit ἐνσώματος. Ferrum per Ignis περιχώρησιν ignitur & candescit. Anima cum unitur corpori, corpus fit ἔμψυχον & Anima ἐνσωματῶται. 6. probant *Communicationem propriorum* κατὰ συνδύασιν, uti seq. capite indicabitur plenius.

ANTITHESES.

Calviniani hæc similia 1. non nisi in qvatuor membris admittunt, in 5. & 6. membro qvod illustrent Unionem Hypostaticam, pertinaciter negant. 2. accusant, ut ἑτερογενέστερα & alia similia substituunt, qvalia sunt de *pede unito cum capite*, *Sphæra Solis unitâ cum orbe*, *gemmâ unitâ cum annulo &c.* Vide *Danæ. in Exam. libri Chemn. pag.* 177. *Bezam. Resp. ad Acta Colloq. part.* 1. *pag.* 120. *Martyr. in Dialog. de corp. Christi p.* 112. 117. *Masson. part.* 2. *Anatom. Univers. cap.* 8. *p.* 620. *seqq.*

HYPOTHESES.

I. Lux solis per aërem diffusa distinguenda est â luce primœvâ, qvâ de suprâ fuit dictum: *Illa* enim *hujus* est effectus, non *illa*, sed *hæc* cum corpore solari est unita.

II. Ferrum non accidens solum, Ignis scil. calorem, sed ipsam substantiam Ignis sibi habet unitam, licet unio ipsa accidentalis sit.

III. Non fit penetratio corporum vel dimensionum, cum ignis permeat ferrum, Siqvidem corpora subtilia substantiam raram & porosam naturaliter transire possunt.

IV. Ferrum redigi posset in cineres, si tam infirma & debilis esset Elementorum in ferro compactio, qvalis est in stipula ligno & aliis, qvæ ab igne facili negotio absumuntur.

V. Ferrum urere, postqvam excanduit, sensus docet, qvod virgat vi caloris inhærentis, & Ignis prorsus absit, cum non adsit

splendor, negamus. Siqvidem Ignis possit adesse, qvi non semper lucet & splendescit, monstrante *Scalig. Exerc* 4. & 14.

VI. Unio animæ & Corporis dissimilis est Unioni duarum naturarum in Christo, qvatenus 1. Anima non est ὑπόστασις antè Unionem cum carne, uti fuit Verbum, 2. ex Animâ & corpore fit tertium qvoddam, qvod suprâ ab Unione Personali declinavimus. Vide M. *Frider. Petri in Resp. ad Examen Danæi cap.* 6. & 23. *Schröder in opusc. de Communic. propr.* Adde *Cap. seq.*

Qv. X. *Annon prædicationes Personales, qvibus Deus dicitur Homo & Homo Deus, sunt inusitatæ?*

THESES.

I. SEqvuntur in hujus qvæstionis Analysi nostræ Ecclesiæ doctrinam Philippi Melanchthonis, qvâ prædicationes alias *regulares*, alias *figuratas*, alias *inusitatas* vocat; His annumerat propositiones de Filio Dei, qvarum non sunt alia exempla in totâ rerum universitate, ut *Deus est homo*, *Verbum caro factum est*, qvia non congruunt ad regulares *lib. 1. Dialect. pag. m.* 21.

II. Dictas Prædicationes non congruere Regularibus prædicandi modis, nostri Theologi himis Consequentiis probârunt, qvarum Syllogen adduxisse sufficiat.

III. Non sunt Prædicationes Personales merè *verbales*, qvia 1. Unio naturarum non est verbalis, sed realis. 2. propositiones merè verbales, sunt fictæ, cum conceptus non congruunt rebus, ut si dicam de rudi & indocto, Hic homo est doctus, qvia homines illum compellant Doctissimum: Verbalis hæc prædicatio in rei veritate, nihil aliud, qvam mendacium, qvod in prædicationibus Personalibus nemo nisi blasphemus admittet. 3. realiter & non verbaliter sunt inter se Naturæ communicatæ, qvomodo igitur verbaliter saltem una de altera poterit prædicari in concreto.

IV. Non sunt *Univocæ*, qvia 1. non sunt essentiales, cum nec species de Individuo, nec genus de specie prædicetur, qvandò dicitur *Deus est homo*: Si prædicatum speciem vocas, prædicabitur de Deo in qvæstione qvid est? qvod minus Theologicum, Si genus dixeris; aliæ monstrandæ species, de qvibus homo prædicetur ut genus. 2. Logica ex suis principiis & regulis de his judicare neqvit prædicationibus, cum nec prædicabilium classi extrema inferere,

nec

nec modum cohæsionis explicare valeat. 3. Tam subjectum qvam prædicatum in his prædicationibus est Individuum, cujusmodi Extrema in Univocis prædicationibus nunqvam occurrunt. 4. In nullâ prædicatione Univocâ, duæ disparatæ substantiæ prædicantur Synonymicis & substantivis vocabulis.

V. Non sunt *Paronymicæ*. Nam 1. unio & cohæsio subjecti ac prædicati non est accidentalis. 2. prædicatum in prædicationibus Paronymicis non pertinet ad ἄγαν ὑποστατικὸν subjecti, uti in nostris prædicationibus 3. prædicationes, in qvibus adjunctum prædicatur de subjecto, nunqvam vocabulis substantivis, efferuntur: Personales autem Synonymicis & substantivis vocibus enunciantur. *Deus est homo, homo est Deus* &c. 4. nulla ostendi potest paronymica prædicatio, qvâ prædicatum de subjecto prædicetur personaliter propter talem unionem, qvalis est inter λόγον & carnem.

VI. Non sunt *Identicæ*, qvia 1. subjectum & prædicatum distinctas pariunt notiones, qvæ non solum κατ' ἐτυμολογίαν sed etiam κατ' ὐσίαν differunt: Qvod patet ex collatione prædicationum personalium cum prædicationibus Identicis: Sic prædicatio est identica; *Christus est Salvator mundi, Paulus est gentium Apostolus*; In his qvoad vocum ἐτυμολογίαν differunt subjecta & prædicata, non autem qvoad ὐσίαν. At in prædicationibus personalibus licet una persona â diversis naturis denominetur, tamen duæ distinctæ naturæ (non separatæ & divulsæ) in hâc propositione significantur, qvâ *Deus homo, Verbum Caro dicitur*. Identitas ergo Personæ intelligenda, sed distinctæ & in unâ personâ unitæ naturæ; Identitas enim naturarum non habet locum in Christo, qvi licet non sit ἄλλο καὶ ἄλλο, est tamen ἄλλο καὶ ἄλλο. 2. Si Identicæ hæ sunt prædicationes, nulla iisdem designatur Naturarum unio: Resolve hanc propositionem: *Filius Mariæ* est *Filius Dei vivi* hoc modo; *Eadem illa Persona, qvæ Filius Mariæ humanitate, est Filius Dei vivi divinitate* & deprehendes *duarum naturarum assertionem*, nullam autem *Unionis denotationem*: qvi enim Filius Mariæ humanitate & Filius Dei vivi divinitate, non propter unionem personalem, sed per naturam talis esse agnoscitur. 3. In prædicationibus Identicis nihil certi tribuitur subjecto, sed subjectum phrasi saltem diversa, vel significantiori describitur, uti ex exemplis liqvet.

Legantur autem & expendantur prædicationes Personales in Bibliis: qvæ omnes ex hâc unicâ ceu primâ fluunt scaturigine: *Verbum Caro factum est*, adeoqve prærequirunt, ut subjecto tribuatur prædicatum, & prædicatum participet de subjecto. Hoc non fit in Identicâ hâc prædicatione: *Filius Dei assumptam in se habens humanitatem qvâ homo, est Filius Dei*, vel *Filius Dei, sustentans humanitatem, est Deus*. Nihil hic in rei veritate tribuitur subjecto, sed subjectum saltem alio vocabulo describitur.

VI. Non sunt *causales*, qvia 1. humana natura nullo modo dici potest causa divinæ naturæ 2. Causales prædicationes non sunt convertibiles 3. in prædicationibus personalibus non tam intenditur, humanæ naturæ formatio, qvam ejusdem assumptio & personalis unio, qvæ ita differt â formatione, qvod illa soli Verbo propria, hæc omnibus SS. Trinitatis Personis sit communis.

VII. Non sunt *tropicæ & figuratæ*. Nam 1. in subjecto & prædicato retinetur propria verborum significatio. In copulâ autem & totâ prædicatione tropum esse non posse, alibi docetur. 2. Figuratæ propositiones non sunt reciprocæ & convertibiles 3. si prædicationes personales sunt tropicæ & figuratæ, ipsa Unio Personalis erit tropica & figurata. Vide *Luther. tom. 3. Ien. Germ. fol.* 478. *Gerhard. in Exeg. d. l. §. 158. seqq. Hutter. in Iren. pag.* 105. *Meisner. part.* 1. *Philos. sob. Sect.* 1. *c.* 5. *q.* 9. *Buscher. in fascic. pag.* 138. 146. 157. *Tom.* 6. *Disp. Giess. Disp.* 24. *th.* 67. *seqq.*

ANTITHESES.

I. Censent prædicationes Personales merè verbales, *Danæus in Exam. lib. Chemnit. cap.* 12. *pag.* 295. *Orthod. Conf. pag.* 297. *Admonit. Neost pag.* 68. *Bezæ in Coll. Mompelg. pag.* 366. *Martinius in Mentz. Artinuch. cap* 3. *q.* 10. *Confid. Commonef. p.* 84.

II. Univocas & regulares has prædicationes vocat *Orthod. Conf. pag.* 18. 122. *Goclen. in problem. ad Instit. Log. probl.* 37. *Crellius Isag. Log. lib.* 2. *cap.* 3. *dist.* 3. *D. Franck. in Lamp. Euchar. Controv. disp.* 4. *th.* 24. *Gregor. de Valent. t.* 4. *disp.* 1. *q.* 16. *p.* 1. *Becan. d. l. c.* 7. *q.* 2.

III. Paronymicis annumerant has prædicationes illi, qvi carnem λόγῳ adjunctum nominant Vide *Dan. in Exam. Chem. p.* 84. *Goclen. probl.* 40. *Log. Martin. in Exam. spic. cont. Mentz. p.* 49. *Bellarm. l.* 3. *de Christo c.* 4.

IV. Iden-

IV. Identicas appellat *Conf. Orth. fol.* 18. & 123. *Paræus lib.* 3. *Controv. Euchar. cap.* 8. *p.* 126. *Martin. in* Mentz. *Antinuth. c.* 7. *p.* 93 *cap.* 9. *pag.* 109.

V. Figuratas & tropicas eas judicat *Beza in Colloq. Momp. pag.* 366. *Par. in Iren. cap.* 28. *art.* 1.

HYPOTHESES

I. Non qværitur; An prædicationes personales sint verbales? sed an sint *merè & tantum* verbales? ita ut in illis sit nuda nominum ἀναλλαγή, absqve communione rerum, qvæ nominibus exprimuntur.

II. Logica est qvidem Instrumentum omnium disciplinarum, sed in *regularibus*, non *irregularibus & Extraordinariis*: Ex *illorum* enim consideratione, non *horum* singularitate notiones secundæ sunt fabricatæ.

III. Logica removet potius qvam explicat has prædicationes. Sicut enim de non *Ente* Metaphysicus, & de *vacuo* docet Physicus; sic de *Enunciationibus inusitatis* Logicus: Non proponit ut *usitatas*, sed seponit ut *irregulares*: Tractat de iis non κατὰ θέσιν, sed κατ' ἀναίρεσιν, ratione cognitionis ἀνατρεπτικῆς, non καταφατικῆς, qvæ est Regula *D. Meisneri p. m. parte* 1. *Philos. sobr. l.* 1. *cap.* 5. *q.* 10.

IV. Deus & homo in unitate personæ qvidem conveniunt, sed propterea disparata esse non desinunt, cum unio non tollat naturarum distinctionem.

V. Proprietas alia est *grammatica*; alia *Logica*: *Illa* in propria verborum significatione: *Hæc* in regulari & proprio prædicandi modo consistit, adeoqve prædicationes personales propriæ sunt proprietate *Grammatica* non Logica.

VI. Non potest prædicari Species de Individuo, In hâc propositione *Deus est homo*, qvia species prædicatur de Individuo essentialiter, Deus autem est homo non essentialiter, sed personaliter.

VII. Non est qvæstio; *An Logicæ hujusmodi possint tradi Regulæ, secundum qvas hæ prædicationes sint usitatæ*; sed, An illis, qvæ de aliis Communibus Exemplis sunt traditæ, regulis, hæ prædicationes ceu usitatæ correspondeant?

VIII. Qvod supervenit Enti actu existenti, & τυχόντως cum ipso unitur, est accidens *prædicabile*, nisi illud, qvod supervenit, cum existente Personâ uniatur ejusqve Personæ fiat particeps.

IX. Qvamvis in ordinariis Exemplis sint saltem duo modi inesſendi, â qvo fluunt prædicationes; *Eſſentialis* &c. & *Accidentalis*: tamen non seqvitur, qvod in noſtro Exemplo extraordinario nullus alius modus adeſſe poſſit.

X. In prædicationibus non tam attenditur Subjecti & prædicati Natura, qvam *utriusqve cohæſio*, qvæ non eſt *accidentalis*.

XI. Concedimus, prædicationes paronymicas habere cum personalibus certam Ἀναλογίαν, qvam explicatam vide ap. *Scheck. in lib. de unâ Perſonâ & Gravver. in Abſurd. Calviniſt. cap. 1.* Gerhard. d. l. §. 171. Negamus autem omnimodam & perfectam convenientiam inter paronymicas & Perſonales prædicationes, qvia diſconvenientiam probavimus ſuprà.

XII. In propoſitionibus perſonalibus non agitur de λόγῳ ἀσάρκῳ, ſed ἐνσάρκῳ, qvi in perſonæ ſuæ unitatem carnem aſſumpſit, nec agitur de humanâ Naturâ ratione ſuæ Eſſentiæ conſideratâ, ſed qvatenus in Verbi Hypoſtaſi ſubſiſtit: Uti ergò aſſumens non eſt ſimpliciter cum aſſumpto idem, Ita Identica non poteſt tolerari prædicatio.

XIII. Qvod ſingulæ prædicationes myſticæ ſtatim ſint tropicæ, qvando ad uſitatas prædicandi regulas non commenſurantur, nulla probat ratio: E. g. Hæ propoſitiones *Deus eſt omnipotens, Spiritus S. eſt Deus, Virgo eſt mater* &c. neqve *propriæ* ſunt proprietate Logica, neqve *figuratæ*, & tamen *veriſſimæ*. Confer *Gravver. d. l. pag. 95.*

XIV. Hæc prædicatio: *Perſona, quæ eſt Deus, eſt etiam homo*, non eſt Axioma copulatum, ſed *duarum partium in una Perſona declaratio.*

XV. Improprietas conſiſtit in *verbis*, non in *rebus*: Inane ergò eſt Effugium, ſi qvis dicat; has prædicationes eſſe impropias, qvoad *res ſignificatas*:

XVI. Si homo dicatur Deus ſecundum *divinam Naturam*, per reſtrictionem planè divellitur prædicatum â ſubjecto: Nam homo non ſignificat ſolam perſonam Filii Dei, ſed humanam naturam in hâc Perſonâ ſubſiſtentem. Huic cum ſecundum Calvinianos non natura divina, ſed ſola perſona ſit communicata, qvod ſecundum divinitatem dicitur, de humanâ naturâ ſubſiſtente planè non dicitur.

Qv. XI. *Estne in prædicationibus personalibus subjectum intelligendum de toto personali?*

THESES.

I. TOtum personale, potest intelligi vel *Natura unâ* cum respectu & habitudine ad alteram: Vel *utraqve natura*, in unâ Personâ. *Primâ* in significatione si phrasis hæc accipiatur affirmatè respondemus ad qvæstionem, cum in reipsâ hæc loqvendi formula non differat ab illâ, qvâ dicitur: *Unam naturam prædicari de alterâ in concreto*; cujus veritatem paulò post ostendemus: *Secunda* autem significatio si eligatur, negamus qvæstionem.

II. Scopus & finis prædicationum personalium, secundum Scripturam est *tò designare utramqve naturam in unâ Personâ*: Nam ideo Jeremias *germen Davidis* vocat *Iehovam*, ut intelligatur, naturam Christi humanam non esse solam, sed habere sibi divinam unitam. Similem ob causam Petrus *Filium Mariæ Filium Dei vivi*, & Paulus *secundum Adamum Dominum de cælis* indigitat. *Qvicqvid autem Spiritus S. exprimere intendit subjecti & prædicati connexione, illud in solo subjecto non intendit exprimere.* At *totum personale, h. e. utramqve naturam in unâ Personâ Spiritus S. exprimere intendit subjecti & prædicati connexione.* E. *totum personale in solo Subjecto non intendit exprimere. Major* patet ex distinctione terminorum *Complexorum* & *Incomplexorum*

III. Si qvis intendit complexis terminis efferre sensum, qvem terminus incomplexus in se continet, complexum & incomplexum, subjectum cum tota prædicatione confundit E. g. si in hâc prædicatione: *Corpus est animatum*, per solum subjectum sensum Axiomatis copulati credis notari, qvænam qvæso est differentia inter notionem *simplicis & copulati* axiomatis, vel *subjecti & totius prædicationis. Minor* ex Scripturæ dictis liqvido constat, nec ullus alius harum prædicationum finis monstrari potest, qvam designatio duarum Naturarum in Personâ per intimam Perichoresin unitarum.

IV. Porro *illud subjicitur & prædicatur, qvod per vocabula proprie & literaliter significatur.* At *in prædicationibus personalibus per vocabula totum personale vel utraqve natura conjuncta proprie & literaliter non intelligitur.* E. *in prædicationibus personalibus totum personale non subjicitur & prædicatur. Major* constat Inductione omnium prædi-

cationum, qvæ *propriæ* sunt, non *tropicæ* vel *figuratæ*. *Minorem* Grammatica Etymologia vocum in Prædicationibus personalibus evincit: Sic λόγος notat Filium Dei, nunqvam autem notat ipsam humanam naturam, Caro notat naturam assumptam, nunqvam divinam naturam; Ita se res habet in reliqvis. Si regeras, Deum Verbum signare nihilominus naturas unitas. Resp. hoc nostra Thesis non negat, non autem sequitur, notatur natura *unita*, E. notatur *utraqve* natura & illa, qvæ unita est, & alia cui unita est. E. g. in hâc prædicatione; *Verbum fit Caro*, λόγος notat naturam *unitam*, vel qvatenus actu unitur, non autem statim notat carnem, nisi ineptam hanc dare velis Analysin. Verbum Caro, h. e. *Natura divina & humana fiunt natura humana.*

V. Discrimen est in his prædicationibus: *Christus est homo* & *Deus est homo*. Si in *hâc* æqve totum personale intelligeretur in subjecto, atqve in *illâ*, nulla esset inter has prædicationes differentia, cum tamen *prior* sit totius Personæ ab una natura descriptio; *posterior* realem naturarum communicationem exprimit, *illam* Nestorius admittebat, *hanc* impugnabat.

ANTITHESES.

Scholastici Jesuvitæ & *Calviniani* statuunt: Prædicationes Personales esse Identicas, & Deum esse Hominem, qvia Persona qvæ Deus, est etiam Homo. *Thomas p. 3. Sum. q. 16. art. 1. 2. 4. 7. Scotus l. 4. dist. 7. q. 1. Bonavent. in l. 3. sent. dist. 7. art. 1. q. 1. Durandus lib. 3. sent. dist. 7. q. 1. §. 11. Biel, l. 3. dist. 7. Buscus in Apolog. Cont. Gerlach. p. 17. & p. 84. Confid. Commonef. p. 47. Keck. l. 2. System. Log. sect. 2. c. 1.*

HYPOTHESES.

I. Non statim intelligitur totum personale, qvando exprimitur natura in concreto cum respectu & habitudine ad alteram naturam unitam: Nam 1. in hac Enunciatione: Verbum caro factum est & subjectum & prædicatum connotat respectum ac habitudinem ad se invicem, & tamen non licet ita resolvere hanc propositionem: Totum personale factum est totum personale. 2. in hac prædicatione, Caro est vivifica, subjectum notat humanitatem, qvatenus unita est cum Dei Filio, sed non notat statim utramqve naturam; nisi velimus concedere (1) hanc prædicationem esse primi generis (2.) Dei Filium æqve ex unionis gratia esse vivificum, uti caro ex unionis gratiâ est vi-

vivifica. 3. manifesta est differentia inter naturam *unitam*, (qvæ vel assumens ut Verbum, vel assumpta, ut Caro) & *utramqve* naturam. *Illa* unam partem; hæc *totum*, *illa* unam substantiam; *hæc* duas significat; *Illa* præsupponit aliam; *Hæc* aliam includit.

II. Aliud est, *concretum* esse, aliud in *Concreto prædicari*: Si accuratè qvis loqvi velit, non opus habet dicere, in prædicationibus personalibus prædicari concretum de Concreto; sed sufficit, si dicat, naturam de natura prædicari in Concreto. Posito autem qvod priori loqvendi formulâ uti debeamus, non seqvitur; Ubi est concretum, ibi est totum personale, vel utraqve natura, cum inter Concreta naturæ & personæ possit dari differentia.

III. Qvi contendunt, totum personale *materialiter*, naturas autem *formaliter* prædicari, confundunt prædicationis *fundamentum* cum *prædicatione ipsa*: *Materia* enim vel fundamentum totius prædicationis personalis, est utraqve natura personaliter unita, qvâ non præsuppositâ, nemo dicere auderet; Homo est Deus. *Formaliter* autem qvæ prædicantur, propriè & verè prædicantur, cum materialiter propriè loqvendo nihil prædicetur, licet prædicationi aliqvid materialiter qvasi substernatur.

IV. Per *Deum incarnatum* notari divinam naturam unitam carni, non abnuimus, negamus autem, per Deum incarnatum notari utramqve naturam, qvia 1. jam suprâ probavimus, esse differentiam inter *naturam unitam*, & inter *utramqve naturam*. 2. Orthodoxus est sermo, si dicam: *Christus constat ex naturâ assumente & assumptâ*; vel *naturâ unitâ* & *naturâ unita*. Ineptit autem qvi ita loqvitur: *Christus constat ex toto personali & toto personali, ex utraqve naturâ & utraqve naturâ*. 3. *Ille* est Deus incarnatus, qvi carnem assumpsit, Atqvi utraqve natura Christi carnem non assumpsit. E. Utraqve natura Christi non est Deus incarnatus.

V. In prædicationibus Personalibus prædicari Disparatum de Disparato, utriusqve Naturæ distincta Essentia cogit asserere: Nam *qvæcunqve naturæ sunt unitæ illæ etiam de se prædicantur*. At *distinctæ & oppositæ naturæ sunt unitæ*. E. *distinctæ & oppositæ etiam de se prædicantur*. *Major* per se est evidens, cum tales sunt res in prædicando qvales sunt in cohærendo: *Minorem* ita probo: *Qvæcunqve naturæ & substantiæ per oppositas differentias distinguuntur, illæ sunt oppositæ*

& disparatæ. At *divina & humana natura per oppositas differentias distinguuntur*, qvia hæc finita & creata, illa infinita & increata est substantia. E.

VI. *Natura* partium hæc est, ut pars parti semper opponatur: Jam *Deus* & *homo* se habent in Christo ut partes. E. sunt opposita & disparata: Neqve valet Exceptio de corpore, qvo de prædicatur, τὸ animatum esse: Distinguimus enim 1. inter prædicationem, qvæ fit vocibus *univocis*, & prædicationem qvæ fit vocibus *paronymicis*, qvalis hæc est: *Corpus est animatum.* 2. inter prædicationes, qvibus *pars de parte*, & alias, qvibus *accidens dicitur de subjecto*: Non *anima*, sed τὸ *animatum* esse prædicatur de corpore, uti non *vestis* sed *vestitum esse* prædicatur de eodem. 3 inter prædicationes per modum *esse*, & alias, per *modum habendi* factas. *Hujus* generis est hæc: *Corpus est animatum*: *Illius* est nostra; *Deus est homo.*

VII. *Qvarum Naturarum propria manent opposita, illa naturæ manent disparatæ.* At *divina & humana Naturæ in Christo propria manent opposita*: E. *Minor* patet, qvia in Unione duarum naturarum, divina natura est *infinita, incorporea, immortalis, invisibilis* &c. Econtra humana natura est & manet *finita, corporea, mortalis ac visibilis.* Vide *D. Meisn. p. 2. Philos. sob. sect. 2. cap. 2. q. 8. Gerhard. in Exeg. d. l. §. 170. Buscher. in Fasc. Controv. pag. 159.*

VIII. Unio Naturarum in actu *Personali* non tollit earum differentiam in actu *naturali.* Manent ergo actu naturali *1. disparatæ, 2. multæ vel duæ & 3. oppositæ.*

IX. Prædicantur naturæ Christi de se ut *unitæ*, qvia in unâ Personâ unitæ sunt; Prædicantur etiam ut oppositæ & disparatæ, qvia in Unione suis Essentiis & proprietatibus manserunt distinctæ, salvæ & inconfusæ.

X. Deus & homo sunt idem in *genere masculino*, vel αὐτὸς, non sunt idem vel αὐτὸ in genere *neutro*, qvia uti Christus non est ἄλλος καὶ ἄλλος, ita est in eo ἄλλο καὶ ἄλλο.

XI. Oppositorum & Disparatorum fundamentum non est sola *multitudo Personarum*; sed etiam *distinctio Naturarum*: Uti ergo personæ Trinitatis distinguuntur *personaliter*; ita naturæ distinguuntur in Christo *essentialiter.*

XII Dispa-

XII. Disparata non concurrunt in unâ Personâ, qvamdiu sunt in statu *communi & ordinario*. Nostra autem disparata consideranda sunt in statu *singulari & Extraordinario*, h. e. mysterio divinitus patefacto.

Qv. XII. *Qvomodo tandem definiendæ sunt prædicationes Personales?*

THESES.

I. REtinemus descriptionem, qva docetur; *In prædicationibus personalibus unam Naturam Christi prædicari de alterâ in concreto*: Hoc ut rectius intelligatur, explicandum est, qvid notet *Concretum & Abstractum*? Omissis autem aliis significationibus, qvæ petantur ex *D. Meisn. parte* 1. *Philos. Sob. sect. 4. cap. 5.* hoc loco inculcamus distinctionem inter *Abstracta Personæ & Naturæ*, qvorum opposita sunt *concreta Personæ & Naturæ*.

II. *Abstracta Personæ & Concreta naturæ* conveniunt, & notant naturam, cum connotatione Hypostaseos ut *Homo, Deus, Filius Dei &c. Concreta Personæ* sunt voces, totum ὑφιστάμενον & utramqve naturam exprimentes, uti *Immanuel, Christus, Salvator &c. Abstracta naturæ* designant Naturarum propriam essentiam absqve connotatione Hypostaseos.

III. Prædicatur igitur *Concretum Naturæ* de *Concreto Naturæ*, cum dicitur, *Deus est homo*, ita, ut vox (*hominis*) notet ipsam naturam & connotet hujus naturæ subsistentiam in λόγῳ; vox (*Dei*) notet ipsam divinam naturam, & connotet hujus subsistentiam Carni communicatam.

IV. Hanc prædicationum personalium Analysin scripturæ Consentaneam esse, seqvens demonstrat Apodixis. Ut *se habent Deus & homo in Unione, ita se habent in prædicatione.* At *Deus & homo in Unione se habent ut Concreta naturæ*, qvia Deus in unione notat naturam divinam cum subsistentiâ communicatâ carni; & homo notat humanam naturam subsistentem in Personâ Dei. E. *Deus & homo se habent ut concreta Naturæ in prædicatione.*

V. Urgemus insuper & hoc argumentum. *Qvicunqve termini designant & Personæ unitatem & Naturarum distinctionem, illi constituunt prædicationes personales.* At *Concreta Naturæ designant & Personæ unitatem, & Naturarum distinctionem.* E. *Major* liqvet ex descriptione

Unionis Personalis, qvam suprâ ex scripturis eruimus : Vera autem dubio procul, est Personalis prædicatio, qvæ ita unionem pronunciat factam, atqve in scripturis facta describitur. *Minorem* nemo negabit, qvi ex thesi præcognovit *Concreta Naturæ* : Notant hæc Personæ unitatem, qvia *Naturæ* non *abstracta*, sed *concreta* qvæ unam hypostasin connotant: Nihilominus notant etiam Naturarum distinctionem, qvia *Naturæ* non *Personæ Concreta*, actum naturalem cujuslibet Naturæ exprimentia. Vide *Hutter. in L. C. pag.* 145. *Meisner. parte* 1. *Philos. sob pag.* 193. *Gerhard. in Exeg. d. l.* §. 155. 168. *Mentz. in Anti Sad. p.* 294. *Tubing. Cont. Bremens. p.* 517.

ANTITHESES Consonant illis, qvæ præcedentibus Qq. obvenerunt.

HYPOTHESES.

I. Propositiones, qvibus tota Persona describitur ab alterutrâ naturâ? qvales sunt, *Christus est homo*, *Christus est Filius Dei*, *Tu es Filius Dei &c.* possunt â prædicationibus personalibus exqvisitè sic dictis discerni, qvia non tam Naturarum *unio* & *communicatio*, qvam utriusqve Naturæ *Veritas* in illis detegitur, neqve prædicatum dicitur de subjecto propter *Personalem unionem*; sed propter *naturam* in subjecto *comprehensam*. Christus enim est Filius Dei, non qvia *Personaliter cum Christo Filius Dei est unitus*; sed, qvia in Christo non solum *humana* sed etiam *divina* natura significatur.

II. Prædicationes Personales sunt duplices : Qvædam enim explicant *unitionem* vel *unionis actum* ; Ut qvando dicitur : *Verbum factum est caro*, *Filius Dei factus est homo* : Qvædam declarant Unionis *statum*, ut illæ, qvæ primario hic intenduntur. In *bis* concretum naturæ connotat personam σύνθετον: in *illis* connotat personam *Simplicem*. Uti enim λόγος ἔνσαρκος est Caro, ita λόγος ἔσαρκος factus est Caro.

Qv. XIII. *Estne toleranda hæc propositio : Christus secundum humanam Naturam est Filius Dei, adeoqve secunda Trinitatis persona?*

THESES.

I. B. *Chemnit. l. de D. N. cap.* 27. hanc profert thesin : *Recte dicitur assumptam humanam naturam personaliter pertinere ad Trinita-*

nitatem, qvia personaliter pertinet ad λόγον, qvi est secunda Persona Trinitatis. Et qvâ ratione personaliter non est extrâ λόγον, eadem & ratione personaliter non est extrâ Trinitatem: Non autem substantialiter vel essentialiter humanitas Christi pertinet ad Trinitatem, qvasi ut essentialis pars Trinitatis, consubstantialis & coæqualis.

II. D. Gerh. in Exeg. L. IV. §. 121. talem dat ἐξήγησιν: *Qvia λόγος ὑπόστασις est facta Carnis ὑπόστασις, λόγος cum propriâ suâ Carne est secunda Trinitatis Persona, cum enim assumpta Natura non seorsim subsistat, nec peculiarem constituat Personam, sed in unitatem Personæ λόγος sit evecta, qvi in utraqve Natura, divina & humana subsistens est secunda Trinitatis Persona, ideo piissimè creditur & rectissimè dicitur, assumptam Naturam personaliter pertinere ad Trinitatem, qvia personaliter pertinet ad λόγον, qvi est Secunda Trinitatis Persona.*

III. Qvo sensu Christus secundum humanam Naturam dicatur Filius DEI naturalis? *Gerh. d. l. §. 172.* ita explicat: *Distinguendum inter Rem & Modum: Si terminus ille Naturalis, tantum ad Rem referatur, sensus est, qvod Christus secundum humanam Naturam sit verus & proprius DEi Filius: sin v. ad Modum rei referatur, sensus est, qvi Christus secundum Humanam Naturam naturaliter sit Dei Filius. Priorem* sensum approbat, non *posteriorem.* Consentit *Marbachius in lib.* Von der Majestät Christi *Cap. 3. Hutterus in L. Theol. p. 146. Schröd. in Scept. Reg. pag. 469. D. Mentz. tom. 6. Disp. Giess. 15. th. 30. disp. 19. th. 330. D. Affelmann. in Censura Censuræ Lampad. p. 93.*

IV. Horum Sententiam evincit Orthodoxam 1. Unio personalis, qvâ communicata Carni Persona Verbi. 2. Vox æterni & Summi Patris qva Filius dilectus appellatus est Christus baptisatus *Matt. III.* 17. in Carne glorificatus *Matt. XVII.* 5. *Marc. IX.* 7. 2. *Pet. II.* 17. exaltatus ad dextram Dei post factam purgationem peccatorum & melior est Angelis *Hebr. I.* 3. Christi Confessio, qvâ Filium Dei profitetur Seipsum *Joban. 5. v. 25. Cap. 9. v. 37. Matth. 11. v. 25. Joban. 17. v. 1.* loqvi autem de se & secundum hum. Naturam prob. 1. qvia voce humanâ suscitat mortuos 2. visibilis. 3. Patri inferior, qvem adorat. 4. in tempore glorificandus. 5. Intentio Spiritus S. qvâ attendit hum. Christi naturam, cum per Viros divinitus inspiratos Christum vocat Dei Filium, qvi venit in mundum, datus in mortem &c. *Marc. 1. v. 1. Rom. 8. v. 32. 2. Corinth.*

vinth. 1. 19. *Ephes.* 4. *v.* 13. 1. *Thes.* 1. *v.* 10. *Hebr.* 1. *v.* 2. 1. *Joban.* 1. *v.* 7. *cap.* 5. *v.* 10, 13. 20. 5. Angelus, qvi ad B. Mariam inqvit; *id qvod nascetur ex te vocabitur Filius Dei Luc* 1. *v.* 35. Hæc verba illum qvi ex Mariâ natus est, apertè salutant Dei Filium; uti ergo secundum humanam naturam Christus ex Mariâ est natus, ita secundum eandem etiam Dei Filius. 6. Compellatio qva Christus compellatur Dei Filius ab aliis fidelibus hominibus, ut Discipulis *Matth.* 14. *v.* 33. *cap.* 16, 16. *Joh.* 6. *v.* 69. & Marthâ *Johann.* 11. *v.* 27. & Centurione *Marc.* 15. *v.* 39. His testimoniis omnibus totus Christus vocatur Dei Filius, At absqve humana natura non est totus Christus. Confer supra Qv. 9. Cap. 1.

V Exceptionibus ut respondeatur, notandum 1. Christum hominem non esse absqve humanâ Naturâ, idem igitur est, sive dicamus; Christum *hominem* esse Dei Filium, sive Christum *secundum humanam naturam* esse Dei Filium. 2. Nestorii partes non posse non defendi si statuatur, Christum secundum solam divinam Naturam esse Filium Dei; Cum enim citrâ dubium etiam secundum humanam naturam dicendus sit Christus Dei Filius, duos confitebitur Filios, qvi alium secundum *Deitatem*, alium *secundum humanitatem* asseruerit. 3. Propria humanæ naturæ de Filio Dei in scripturis prædicari non posse, nisi propter unionem personalem homo esset Filius Dei E. g. Qvando nasceretur homo, Filius Dei non nasceretur, si homo non esset personaliter Filius Dei; cum in propriâ naturâ nasci neqveat. Aut ergo neganda scriptura, qvæ docet, Filium Dei esse natum *Galat.* 4. *v.* 4. aut concedenda nostra thesis, qvâ dicimus, & hominem natum propter unionem personalem esse Dei Filium. Repete qvæ dicta sunt *q.* 9. *cap.* 1.

ANTITHESES.

I. *Beza in Resp.* 3. *ad Selnecc. Vol.* 2. *p.* 275. blasphemam, impiam, horrendam nuncupat vocem qvâ dicitur: Christum in suâ humanâ naturâ esse secundam personam in divinitate. Consentit *Martinius in Mentz. Antinuth. cap.* 5. *p.* 75. *cap.* 10. *p.* 129. *seqq.* *Paraus in Iren. cap.* 28. *art.* 11. *liber Staffortensis contra lib. Concord. pag.* 106.

II. *Pontificios* & *Calvinianos*, qvia negant, Carni Christi communicatam 1. Infinitam λόγῳ Personam. 2. divinam Naturam 3. Majestatem increatam, non posse asserere Christum secundum humanam Naturam esse Filium Dei Naturalem, edocuit *D. Dorsch. in Collat. ad Concil. Francof. sect.* 3. *cap.* 7.

HY-

HYPOTHESES.

I. Qvi probant Christum secundum humanam naturam non esse *naturaliter* Dei Filium, & humanitatem Christi *essentialiter* non pertinere ad Trinitatem, nostram non oppugnant thesin & fallacia... ἑτεροζητήσεως oberrant.

II. Christus est secundum humanam Naturam Filius Dei *naturalis*; sed non *naturaliter*; Etsi enim Deus & homo est unus Filius Dei, qvoad *rem* tamen in utraqve naturâ non eodem *modo* est Filius Dei: per *naturam* est Filius Dei secundum divinitatem; per *Unionis gratiam* est Filius Dei secundum humanitatem.

III. Uti Christus Deus & homo est Dei Filius propter suppositi identitatem, ita in Deo & homine diversam offendimus Filiationis originem: Deus est Filius propter *æternam generationem*: Homo est idem Filius, propter *Unionem personalem*. Vox igitur *secundum*, cum dicitur *secundum* humanam naturam Christus Dei Filius, non monstrat appellationis *originem & causam*, sed *subjectum*, cui illa est attribuenda.

IV. Christus secundum humanam Naturam est ἀπάτωρ in statu & *actu naturali*, qvatenus enim essentiam humanæ naturæ in... Christo attendimus, eatenus non est Filius alicujus Patris: In actu autem *Personali* homo non est simpliciter ἀπάτωρ, uti nec Deus simpliciter ἀμήτωρ, cum Maria sit Θεοτόκος. Qvæ ergò de Christo dicuntur propter Naturarum *distinctionem*, non sunt detorqvenda ad ea prædicata, qvæ de Christo dicuntur, propter *Naturarum Unionem*.

V. Filius Dei propter æternam generationem iste est qvi *essentialiter & naturaliter* est Dei Filius; De Homine autem Christo nemo nostrûm affirmat, qvod *naturaliter & essentialiter* Deus sit.

VI. Christo secundum humanitatem competere *Filiationem creatam, temporalem & aliqvo modo naturalem*, propter Unionem personalem, cujus beneficio sit totius Trinitatis adeoqve sui ipsius Filius; Somnium est in Jesuwitarum liripipio subortum. Cui scripturæ sacræ ne apex qvidem adstipulatur. Becanus d. l. cap. 18. q. 5. satis prodit Jesuitas non posse nostram Doctrinam refellere, sed aliam sententiam sibi fingere, ne Lutheranis cedere videantur.

CAP. III.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1011896508/phys_0091
DFG

CAP. III.

DE IDIOMATUM IN PERSONA CHRISTI COMMUNICATIONE.

DIsputationes, de Idiomatum Communicatione, in Personâ Christi, ne vagentur extrâ oleas, termini ab Homonymia sunt liberandi. Vox idioma, qvæ Latinis dicitur *Proprium*, vel *Proprietas*, notat in præsenti Cap. non 1. Accidentia duntaxat ἐπεισώδη, sed etiam ea, qvæ cum ipsâ Essentiâ sunt ταυτὸ, cujus generis sunt Idiomata Essentialia Verbi. 2. solæ δυνάμεις, qvæ dicuntur actus primi, sed etiam ἐνεργειαι & παθήματα, ut *loqvi*, *intelligere*, *pati*, *mori*, *remittere peccata* &c. 3. ea tantum, qvæ conveniunt uni Speciei & omnibus ejus Speciei Individuis sed ea etiam, qvæ conveniunt uni Soli Individuo, ut *subsistere in Persona Verbi*, & τὸ *nasci ex Virgine*. 4. ea duntaxat propria, qvæ uni Speciei conveniunt; sed etiam ea, qvæ multis speciebus Communia, ut *pati*, *mori*, *sanguinem effundere*, *esurire*, *sitire*, *ambulare*, *edere*, *bibere* &c. Hîc enim propria hæc considerantur in Humanitate, non qvatenus opponitur brutis animalibus, sed qvatenus opponitur Divinitati, cujus in respectu etiam ea accidentia Humanitati propria, qvæ alias, qvatenus cum Creaturis, confertur, ipsi cum multis sunt communia. Κοινωνία Latinis *Communicatio* multiplicem sustinet significatum, de qvo *Schroderus in Opusc. de Communic. Prop. th.* 10. *seqq*; *Gerh. d. l.* §. 174. Nostrâ in Disqvisitione notat communem Propriorum κτησιν vel *possessionem*, χρῆσιν vel *usurpationem* & καθηγορίαν vel *prædicationem* in Subjectis συνδεδυασμένοις, qvorum uni proprium tribuitur κατὰ φύσιν, πρώτως & καθ' ἑαυτὸ, ut οἰκείῳ δεκτικῷ, alteri v. καθ' ἕνωσιν, δευτέρως & κατ' ἄλλο ut συνδεδυασμένῳ. Qvi igitur Communicationem oppugnant, qvâ propria de subjectis in Subjecta effunduntur, vel Essentiæ & propria confunduntur, vel Naturæ exæqvantur, nos non offendunt Contradicentes, qvi ipsimet talem Communicationem rejicimus.

Red.

Realis qvum asseritur *Idiomatum Communicatio*, non ἀπώδης sed ἀληθινὴ intelligitur, qvæ *Verbali fictæ* & *imaginariæ* est opposita: Metaphysici (qvorum territorium nostra transilit Controversia) *Rem* non *Essentiæ* sed *Entis* dicunt Synonymum, ut *realiter* æqvipolleat, juxtâ ἀκριβειαν Metaphysicam, illi, qvod ὄντως & reverâ est extrâ nihil. *Dona habitualia*, *finita*, *creata* in eminentissimo gradu, qvi Creaturæ potest convenire, humanitati Christi in Unione Personali esse communicata, non facile nostro sæculo qvis negat, cum apertæ sint S. Scripturæ dicta, qvæ Christo Homini attribuunt Timorem. *Esa XI.* 2. 3. Sapientiam & Gratiam crescentem *Luc. II.* 40. 52. & Conformitatem cum Sanctis *Rom. VIII.* v. 29. 1. *Corinth. XV.* 49 *Ephes. IV.* 13. Cum autem non possint Sancti esse Christo Conformes in Donis *naturalibus*, qvæ etiam Infidelibus inhærent, nec in Donis *infinitis & increatis*, qvæ nulli Sancto sunt data, qvia extrâ Personam Verbi omnes subsistunt; relinqvitur, qvod Christo conformes sint in Donis *Creatis*, *finitis* & *habitualibus*, qvorum qvod Sancti sint participes, qvando mystice Deo in Spiritu uniuntur, *S.* Spiritus attestatur. *Rom. XII.* 6. 1. *Corinth. XII. v.* 4. *seqq.* Vide D. *Chemnit. lib. de Duab. Nat. cap.* 20. *Selnecc. in Repetit. p.* 54. Scholastici non inconcinne ex Verbis *Luc.* 2. *v.* 40. 52. classes Donorum Habitualium exstruxerunt: Ad *gratiam* retulerunt omnes Virtutes, Voluntatem perficientes; Ad *Sapientiam* v. dona creata mentis: Hæc dicenda Spiritualia, dextre collegerunt ex voce *Spiritus*. Interim γυμνάντας περὶ ζητήσεις deprehendimus eos, cum disputant: 1. An *Humanitas Christi Deo grata fuerit propter Dona Habitualia, an potius propter Unionem Hypostaticam?* 2. An *gratia Habitualis major potuit esse atqve fuit?* 3. *qualis fuerit in Christo Spes, Fides* &c. 4. *Qvanam Gratiæ gratis datæ ipsius Humanitati congruant?* 5. *qvalis fuerit ejus Scientia & potentia?* Qvomodo in his sui Ingenii acumen ostentent Scholastici, & ea inqviraat, qvæ Deus Verbo suo non patefecit, intelliges si pervolvas. *Greg. de Valent. tom.* 4. *disp.* 1. *q.* 7. 9. 10. 11. 12. *Becanum par.* 3. *Theol Schol. tr.* 3. *cap.* 8. 9. *& alios*. Difficultates, qvibus prædicationes personales & Idiomatum κοινωνίαν premunt Scholastici, facile tolluntur, si his Aphorismis attendas:

1. Nullam exprimunt Communicationem Idiomatum, qvi Chri-

ſtum dicunt æternum, immortalem, infinitum, *Deitate*, & eundem dicunt temporalem, mortalem & finitum, *Humanitate*: Non enim hic prædicantur Idiomata communicata, ſed ſuis nativis Subjectis vindicantur, qvorum ſunt propria. II. Hæ tres prædicationes, *Deus eſt homo*, *Jeſus eſt homo*, *Chriſtus eſt homo* differunt ratione ſubjecti, qvia in *primâ* ſubjecti locum tenet Concretum Naturæ, in *duabus ultimis* Concretum Perſonæ. Neutra eſt contingens, qvia poſt factam ἑνοάρκωσιν non poteſt non Deus eſſe Homo, &c. Neutra vel *Eſſentialis* vel *ſubſtantialis*, ſed *prima* eſt perſonalis, *cæteræ* ſunt deſcriptiones totius Perſonæ, ab alterutrâ naturâ. III. Cur non univocè & Synonymicè poſſit prædicari Homo de Deo, dictum *cap. præced. q.* 8. & 10. IV. Cum dicitur, *Deus factus eſt hic Homo*; non notatur in prædicato ſuppoſitum, ſed individuum, qvia Filius Dei, factus eſt Filius Mariæ Virginis, aſſumendo ſingularem Humanitatem in ſuam Hypoſtaſin V. Hominem factum eſſe Deum duplici ſenſu aſſeritur: Vel enim notatur, Hominem aſſumpſiſſe *Deitatem*, vel indicatur, *Humanitatem* â Deo eſſe aſſumptam. *Prius*, non *poſterius* ſacris literis adverſatur. VI. Inutiles & ſacris literis ignotæ ſunt hæ prædicationes: *Chriſtus ſecundum qvod Homo, eſt Deus*, eſt *Perſona* & *Individuum*, de qvibus diſputat *Bonav. in lib. 3. ſentent. diſt.* 10. *q.* 1. 2. 3. Confer *Greg. de Valent. diſp.* 1. *tom.* 4. *c.* 16. *Becan. p.* 3. *Theol. Schol. tract.* 1. *cap.* 7. *q.* 2. In genere cum diſputatio movetur de Proprii Communicatione Philoſophi ſunt audiendi, ê qvibus legatur *Jac. Mart. in lib. de Comm. Prop. Schroderus in opuſc. de Comm. Prop. Mei Jn. part.* 1. *Philoſ. Sobr. ſect.* 1. *cap.* 1. *q.* 2. *Gmwer. in Abs. Calvin. cap.* 2. *Keckerm. l.* 1. *Syſtem. Log. ſect.* 1. *cap.* 21. *Reg.* 3. *l.* 2. *Gymnaſ. Log. cap.* 7. Nulla autem nos lex obſtringit, ut Exemplis Naturæ ordinario circulo incluſis commenſuremus Communicationem Idiomatum in Perſonâ Chriſti, qvia & propria & Subjecta, qvatenus eorum Communicatio attenditur, verſantur in ſtatu planè *Extraordinario*, qvo nulla alia ſubjecta & propria obveniunt: Ex abundanti autem qvia libet, & non qvia ulla neceſſitas cogit, Exempla ex Naturali ſtatu propriorum afferimus, qvibus Communicationem Idiomatum in Perſonâ Chriſti, illuſtramus & declaramus. Fervet noſtro tempore diſſidium Theologorum, in qvæſtionibus jamjam enodandis, ad qvas ſine ulteriori præloqvio properamus.

Qv. I. *Estnè realis qvædam Idiomatum Communicatio in Personâ Christi?*

THESES.

I. REalem Idiomatum Communicationem, qvâ in Persona Christi, Divina Natura sibi appropriat Humanæ Naturæ Idiomata, & humanitati communicat sua divina Idiomata, ut humana de Deo, & divina de Homine secundum veritatem prædicentur, multis argumentis adstruxerunt nostri Theologi. *Chemnit. l. de D. Nat. cap. 12. D. Marbach. de majest. Carnis Christ. p. 166. D. Mylius* in einer Predigt von der Person Christi. *Gesnerus de Pers. Christi cap. 3. Schrod. in opusc. de Comm. prop. th. 72. seqq. Cont. Gruh. p. 79. Hutterus Com. in Form. Concord. art. 8. p. 761. & in L. Theol. L. 2. c. 3. p. 149. Gerh. in Exeg. L. IV. §. 177. &c.*

II. Horum Conclusiones restrictæ sunt ad sacras literas qvibus non omnia Dei Idiomata prædicantur de Christo Homine, nec omnia Hominis Idiomata prædicantur de DEO, cum nullibi legatur, qvod vel *Deus sit finitus, creatus, localis*; vel *Homo infinitus, æternus, illocalis*. Omnia qvidem *communicata* creduntur, sed non omnia *prædicantur*, qvia omnium non est communis χρῆσις vel *usurpatio*; itaqve, nec omnium potest esse communis Cathegoria vel *prædicatio*.

III. Qvænam Idiomata Humanæ Naturæ λόγῳ sibi appropriarit, & qvænam Idiomata eidem communicavit, specialiter in seqq. Qq. elucidabitur. Hâc vice ea Spiritus S. testimonia ponderabimus, qvibus docetur 1. λόγον *assumendo Humanitatem, appropriâsse sibi humanæ Naturæ proprietates.* 2. *Carni â Verbo personaliter assumptæ communicata esse divinæ Naturæ propria.*

IV. *Primum* patefaciunt Verba divinitus inspirata, qvibus asseritur, Verbum incarnatum *habitâsse inter homines* & Gloriam Filii unigeniti â Patre, *fuisse ab Hominibus visam Johan. 3. v. 14.* Filium Dei *assumpsisse Semen Abrahami* & *participem factum Carnis ac Sanguinis Hebr. 2. v. 14. 16. Verbum illud vitæ, qvod erat â principio, tuisse auditum, visum oculis humanis & contrectatum manibus, 1. Johan. 1. v. 1.*

V. Nisi Eloqvia hæc falsa arguas, concedas oportet: Filium Dei

appropriâsse sibi corpus animatum cum suis proprietatibus, Carnem & sanguinem Hominum, qvæ non existunt absqve suis proprietatibus, unde etiam *æternus Filius Dei auditus, oculis visus & manibus contrectatus, ejusqve gloria invisibilis visa est ab Hominibus.* Si hæc prædicata referas ad solam Humanitatem Christi, pervertis prædicationes Spiritus S. & subjectum constituis, qvod non constituit Spiritus S. scil. *Humanam Naturam*, qvæ non est *Filius DEI unigenitus*, qvi fuit ab æterno. Si autem prædicata *verè* velis tribuere Subjecto, cui ea tribuit Spiritus S. non negabis per realem appropriationem Idiomatum competere in rei veritate Filio Dei humanæ Naturæ Idiomata, qvæ ipsi non competunt per Naturam.

VI. *Secundum* affirmatum tradit dictum Classicum *Colos.* 2. *v.* 9. qvo tota plenitudo Deitatis non potest non comprehendere divina Idiomata, qvæ Christus ut Deus non possidet σωματικῶς, sed θεικῶς. Paulus autem loqvitur de plenitudine Deitatis, inhabitante σωματικῶς, h. e. inhabitante in Christo *Homine*; cui realiter communicata est tota Deitatis plenitudo, qvæ sine divinis Idiomatibus ne qvidem potest cogitari: Inhabitationem si fingas absqve κοινωνίᾳ, phraseos Apostolicæ ἔμφασιν nunqvam evolves: Cogitans enim de totâ plenitudine Deitatis non communicatâ Carni, Deitatem in suâ naturâ duntaxat agnoscit; In suâ naturâ autem incorporea ut est, ita σωματικῶς inhabitare non potest.

ANTITHESES.

I. *Nestorius* ita olim fuit argumentatus. *Si Deus Verbum impassibilis comprobatur, invenietur alter Christus Crucifixus, præter impassibilem Deum Verbum* Cent. 5. Magd. cap. 5. p. 335. Refert *Niceph. l. 18. c. 48. pag. m.* 946. de Nestorio, qvod docuerit, Deum Homini unitum fuisse *amicâ qvadam affectione*, ut se *Amicus amico per affectionem unit*, unde & Mariam non *Dei* genitricem, sed *Christi* genitricem dixerit.

II. *Scholastici*, & *Jesuitæ* unanimiter docent: Communicationem Idiomatum esse *modum loqvendi*, qvo unius Naturæ Idiomata prædicantur de totâ Personâ ita, ut tribuantur realiter illi Naturæ, cui Idioma naturaliter κατ' ἐνύπαρξιν inest, alteri autem per ἐπιζεύξιν ὀνομάτων. *Bellarm. l. 3. de Christ. c. 4. 10. Greg. de Valent.*

in

in Defens. disput. Cont. fund. ubiqu. cap. 5. Becan. in Theol. schol. d. l. c. 7. q. 1. 3.

III. Ut rectius pateat mens Calvinianorum, annotamus hæc illorum effata: Beza in Resp. ad th. 8. & 9. in Colloq. Momp. pelg. *Communicationem realem, i. e. Unionem Naturarum admittimus, in qva manent singula naturæ per se, etiam in Unione suis proprietatibus distinctæ citrâ ullam aliam Communicationem.* Idem in Colloq. Momp. p. 241. *Communicatio qvidem facta est propriorum utriusqve Naturæ in Personâ Christi;* sed in naturis in se non est facta, *ut humanitas facta sit in se omnipotens.* Pier. in disp. de Pers. & off. Christi th. 17. *Sive Naturarum essentiam spectemus, sive proprietates, sive denique ipsas operationes, reipsa & in se distinctæ manent, neque propter Unionem communes utriqve Naturæ fiunt.* Idem disp. 3. th. 10. κοινωνία ἰδιωμάτων respectu Personæ ὅλως consideratæ realis est, respectu v. Naturarum in se consideratarum, ne verbalis qvidem, th. 18. *Qvicqvid de Personâ Christi dicitur, non competit illi secundum utramqve Naturam, sed secundum eam tantum, cujus illud est proprium.* Martin. in Mentz. Antinuthetum. cap. 14. p. 244. *Communicatio eam ob rem vocatur verbalis, qvia propria Naturarum non Communicantur, sed distincta manent. In Personâ tamen ea Communicatio est realis, qvoniam realiter in Personæ alterâ Naturâ eæ proprietates insunt.* Leguntur eadem fermè Verba in *Admonit. Neostad. c. 8. pl.* 250. *Bezæ Resp. in Acta Colloq. Momp. parte 1. pag. 19. Scarpii cursu Theol. col. 788. Leydens. Synopsi pur. Theolog. disp. 25. th. 34. seqq. Masson. part. 2. Anatom. Univ. c. 5. p. 309.*

HYPOTHESES.

I. Axiomata de propriis & subjectis in statu *physico* & *ordinario* non sunt universaliter applicanda ad *propria* & *subjecta*, qvæ sunt in *Personâ Christi*. Thesin enim nostram ita explicavimus, ut satis appareat, nostra propria & subjecta versari qvasi in alio mundo, vel alia Sphærâ, qvam nulla alia propria ingrediuntur. Si ergò vel maximè nullum aliud proprium in toto hoc Universo monstrari posset, qvod sit commune, tamen nostra doctrina non rueret, in qvâ propriorum Communicationem defendimus, qvam ex sola Scripturâ, non autem ex Logicâ vel Naturâ, vel Metaphysicâ agnovimus.

II. Urgendi sunt Adversarii, ut argumenta proferant ex Scri-

pturâ, qvorum hæc sit conclusio : *In Persona Christi Naturarum propria communicantur verbaliter tantum*, per ἀντίδοσιν ὀνομάτων.

III. Revocandi sunt Adversarii ad thesin suprâ dilucidatam, qvoties ad τὰ μὴ ζητούμενα divagantur : Qvando enim *propriorum effusionem* de subjecto, Eutychianam *propriorum confusionem*, subjectorum *exæqvationem* & similia paradoxa nobis objiciunt, sui Cerebri figmenta, non nostra dogmata efferunt, adeoqve verum qvæstionis statum declinant ; qvippe non qværitur, qvid Ratio Calvinisticâ opinione imbuta ex nostrâ doctrinâ colligat ; sed qvænam doctrina de Idiomatum Communicatione scripturæ dictis congruat?

IV. Agnoscenda Adversariorum vafrities, qvâ nostris sub verbis mentem Calvinisticam occultare callent. Dicunt interdum, se concedere Idiomatum communicationem realem, sed per communicationem Unionem intelligunt, qvâ propria cum suis naturis in unâ personâ sunt copulata. Dicunt, Deum realiter esse natum, passum in carne ; hominem esse omnipotentem in Deitate &c. sed Deum realiter factum esse participem passionis & nativitatis in suâ carne, & hominem realiter sibi communicatam habere Omnipotentiam, nullatenus credunt. Dicunt, respectu *Personæ* esse in Christo realem Communicationem Idiomatum, qvoad naturas autem verbalem duntaxat intelligunt Communicationem : Nestorianismum se abhorrere, fatentur, cui tamen subscribunt, cum communicationem Idiomatum in ipsis Naturis negant. Nestorius enim eundem fovit errorem, uti ostendit *D. Luth. tom. 6. Iben. germ. fol.* 263. Prætendunt se in doctrinâ de Communicatione Idiomatum nostris Ecclesiis Consentire, & tamen nostram doctrinam ut Eutychianam condemnant. Ex latibulis protrahentur Calviniani, si moneantur, ut 1. approbent Communicationem Personæ, & communicationem Naturarum 2. admittant non nudum concursum Idiomatum in unâ Persona; sed communicationem Idiomatum in Naturis personaliter unitis. 3. ponant loco Subjecti non Nomina Personæ duntaxat, sed etiam nomina Naturarum, uti enim hanc prædicationem *Christus est passus*, Nestorius admittebat ; ita reijciebat hanc : *DEus est passus*. Vide *Mentz. in Anti Sad. p.* 122. *seqq. in Antimart. p.* 255. 441. *Grauer. in Absurd. c.* 2. *Calov. in Exam. Syncretismi de Pers. Christi disp.* 16. *p.* 509. *seqq.*

Qv. II.

Qv. II. *Suntne qvædam Exempla in Naturâ, qvibus illustrari potest Idiomatum Communicatio in Personâ Christi?*

THESES

I. NOn deficiunt nobis Exempla, qvibus declarari aliqvatenus possunt, qvæ in Ecclesia de Communicatione Idiomatum tradimus: Tenendum autem in his tritum illud: *Omne simile est dissimile*: Siqvidem ut Unio Naturarum in Christo, ita ex hâc Unione resultans Idiomatum Communicatio, exqvisitè & adæqvatè, nulli Exemplo correspondet: Intereâ sufficit, si in qvibusdam Exemplis ostendamus 1. *propriorum* κοινωνίαν, qva alii subjecto communia fiunt, qvoad *possessionem, usurpationem & prædicationem.* 2. *communicationem propriorum realem*, qvæ non infert propriorum effusionem, vel subjectorum confusionem. 3. *diversitatem in propriis communicatis*, qvæ non admittit, ut omnia statim exerceantur vel prædicentur, qvæ possidentur Idiomata.

II. Hæc ostendunt Philosophi in Exemplo 1. *Formæ & materiæ*, 2. *Animæ*, *informantis corpus*, & 3. *Ferri igniti.* Videatur imprimis *Schroderus de Communic. propr. Jacob. Martini de Propriorum Communic. & D. Mei Snerus parte* 1. *Philos. sob. sect.* 1. *c.* 1. *q.* 2.

III. Qvando *Forma* communicat *materiæ actum* & *agendi* vel *operandi vires*, communicantur Formæ propria materiæ, ut materia, qvæ per se δύναμις est, possideat actum ex communicatione, nec non agendi vires, qvibus concurrit materia cum totum compositum operatur.

IV. Qvandò *Anima* communicat *corpori vitam* & *facultates sensitivas*, propria Animæ possidet corpus per communicationem vel συνδύασιν, & qvia qvædam propria exeruntur, etiam de corpore prædicantur unde corpus dicitur vivere, oculus dicitur videre; de aure τὸ audire, de Naso τὸ odorari prædicatur.

V. Qvando *Ignis* unitur *ferro*, hoc per communicationem habet *splendorem* & *vim adurendi*, qvæ sunt propriæ affectiones Ignis κατὰ τὶ in relatione Ignis ad ferrum.

VI. Neqve *Formæ*, neqve *Animæ* neqve *Ignis* propria effundun-

tur

tur ê suis subjectis; neqve *Forma* in materiam, neqve *Anima* in corpus, neqve *Ignis* in ferrum convertitur & transmutatur.

VII. Etsi *mediante Forma* omnes proprietates formæ possideat materia, tamen omnes non exercentur â materiâ, idcircô omnes non prædicantur, ut dicere liceat; *materia est invisibilis incorporea & simplex*: Sic qvia *corpus* non exerit Animæ Spiritualitatem, facultatem intelligendi, &c. non rectè dico, *Corpus est spirituale, intelligens* &c. Item, qvia *Ferrum* non exerit Ignis levitatem, agilitatem &c. non valet hæc prædicatio: *Ferrum est leve, agile &c.*

VIII. Sive vitam dicas *essentiam* Animæ, sive *facultatem*, sive *effectum*, semper hoc manet; vitam in *actu primo* animæ inesse πρώτως per naturam, corpori autem δευτέρως per κοινωνίαν: Nam vitam corpori non inesse per naturam δι' αὐτὸ scriptura & sana Philosophia suggerit, docendo 1. vitam ἔξωθεν corpori advenisse *Genes. 2. v. 7.* 2. vitam corporis non provenire â propriâ corporis forma, qvæ est forma mixti & in cadaveribus manet, abiente Vita.

IX. Anima in corpore non producit vitam diversam â vitâ sibi propriâ. Nam 1. Deus vitæ spiraculum non legitur, *produxisse*, sed *spirâsse*. 2. essent duæ diversæ facultates vitales in Homine: Qvædam Animæ *propriæ*; qvædam ab Animâ in corpore *productæ*, qvod ἄτοπον. 3. Si vita produceretur in corpore, fieret hoc vel per *emanationem*, vel per *transmutationem*. Non per *Transmutationem*: qvia sic vel *generatione* vel *alteratione* esset producta vita: Si *illâ*, esset vita corporis substantia: Si *hâc*, esset Elementaris qvalitas ê potentiâ materiæ erumpens; Non per *Emanationem*, qvia πρῶτον δεικτικὸν illorum, qvæ per Emanationem producuntur, est illa forma, qvæ producit, & sic Anima non in corpore, sed in seipsâ vitam produceret.

X. Qvomodo Ignis cum ferro uniatur, & unde sit Ignis in ferro? Philosophis disqvirendum relinqvimus, nobis hoc loco sufficit, qvod sciamus, Ferrum non lucere, vel urere virtute sibi connatâ & propriâ, sed eâ, qvæ est Igni propria, & ferro communicata.

ANTITHESES.

Philosophi & Theologi, ê Castris Calvini progressi omnes in-

ingenii acuunt mucrones, ut communicationem propriorum in allatis exemplis obviam enecent atqve perimant Vide *Goclen. ir Adverſ. q.* 68. *Martin. in Defenſ. Sadeel. c.* 5. *Danæum in Exam. Chemnit. p. m.* 215. *ſeqq. Maſſon. part.* 2. *Anat. Univerſ. p.* 630. *ſeqq. Combach l.* 4. *Phyſic. c.* 2. *ſqq.*

HYPOTHESES.

I. Vita deſcribitur vel in *actu primo*, vel in *actu ſecundo*; Priori modo ipſa vita formaliter, *poſteriori* vitales operationes deſcribuntur.

II. Non eſt abſurdum, in uno compoſito duplices eſſe Formas, unam *ultimam* & *ſpecificam*, plures autem *generales* & *ſubordinatas*, ut in Homine eſt forma *mixti*, forma *Jangvinis*, *oſſium*, *Carnis* &c. qvæ Animæ rationali ceu ultimæ & ſpecificæ ſubordinantur.

III. Animam habere vitam propriam, etiam cum ſeparata eſt, non negamus: ſed qvæſtio non eſt de vitâ vel ſolius Animæ, vel ſolius corporis, cum de vitâ totius compoſiti diſputatur, qvam ab Animâ proficiſci & corpori communicari, diximus.

IV. Vita corpori propriè loqvendo non *extinguitur*, ſed *ſeparatur*, qvando unâ cum Animâ è corpore demigrat & ſic vitales operationes cum deſinunt in corpore, vita videtur extingui, non aliter ac ſi qvis Candelam lucentem è muſæo aufferret, & alius fortè dormiret in muſæo, qvi, ſi evigilaret, putaret, Candelam eſſe extinctam, qvæ tamen eſt duntaxat remota & ablata.

V. Etiam qvoad *actum primum* Vitam ineſſe corpori inde patet, qvod Inſtrumenta, qvibus vitales eduntur operationes, ut lingva, os, ſtomachus, aures, oculi &c. ſemper vivant, licet vitales operationes non ſemper exerant.

VI. Nulla idiomata eſſe communicata *Materiæ*, *Corpori*, *Ferro*, qvia non omnia Idiomata *Formæ*, *Animæ* & *Ignis* prædicantur, de *Materia*, *Corpore* & *Formæ*, per ἀσυλλογίσιαν infertur; Nam 1. non omnia Idiomata *Formæ* per *materiam*, *Animæ* per *Corpus*, *Ignis* per *ferrum* exeruntur, unde etiam 2. omnia non prædicantur: Interim qvia *Forma Materiæ*, *Anima corpori*, & *Ignis ferro* per συνδύασιν unitur, poſſidet *Materia* omnes proprietates *Formæ*, in Formâ unitâ, *Corpus* poſſidet omnia ἰδιώματα *Animæ*, in Animâ unitâ, & *Ferrum* poſſi-

det omnia propria Ignis, in Igne unito. Sed non valent hæ prædicationes: *Materia est invisibilis, Corpus est Spirituale, Ferrum est leve*; qvia nec *Forma* per invisibilitatem in *materia*, nec *Anima* per Spiritualitatem in *Corpore*, nec *Ignis* per Levitatem in *Ferro* qvicqvam operatur.

VII. Nullam posse esse Idiomatum Communicationem in allatis Exemplis, nisi *Materia* sua propria *Formæ*, *Corpus* sua propria *Animæ*, *Ferrum* suâ propria *Igni* communicet, sine ratione colligitur. Agentia enim qvæ sunt, non statim â patientibus accipiunt imperfectiones, qvando his largiuntur perfectiones; Qvæ per ἀνθυποίησιν appropriantur Imperfectiones, non deprimunt Agentia, ut horum Idiomata evehunt passiva.

Qv. III, *Estne qvædam differentia inter communicationem, Unionem & Prædicationem?*

THESES.

I. Differre, credimus, *Unionem* â *Communicatione* ut antecedens â conseqvente, qvæ *tempore* qvidem sunt simul, *ordine* autem & natura *hoc* posterius, *illud* prius: Sicuti etiam communicatio est *Unionis*, ita *prædicatio* est *Communicationis* conseqvens, ut minus rectè communicatio definiatur per modum prædicandi vel prædicationem.

II. *Unionis* ac *communicationis* Differentiâ patet 1. ex *Communicationis principio*, qvod est *Unio*: Ut enim subjecta priora propriis; ita subjectorum unio ac communio præsupponenda, anteqvam propriorum communicatio potest astrui 2. ex *argumenti* & *qvæstionis distinctione*: Qvando de Communicatione idiomatum qværitur, illa Unione ceu argumento probatur: Qvæstio autem & argumentum non sunt unum & idem. 3. ex *prædicationum Unionem ac communicationem exprimentium distinctione*. *Unionem personalem* qvæ declarant propositiones, sunt reciprocæ, ut orthodoxè dicatur, *Deus est homo homo Deus, Filius Dei est Filius Mariæ, Filius Mariæ est Filius Dei*. At *Idiomatum communicatio*, qvando explicatur propter *assumentis* & *assumpti* discrepantiam, non sunt semper reciprocæ prædicationes; Sic orthodoxa est propositio: *Caro Christi est vivifica*: E contra falsa & Eutychiana est hæc: *Deitas est mortalis*.

III. Prædi-

III. Prædicationis & communionis differentiam evincit utriusqve *cohæsio*, qvæ duntaxat est *Accidentalis*: Non enim statim poni necesse est *prædicationem*, cum posita est *communicatio*: A primo Unionis momento fuit communicatio, non autem prædicatio tunc statim fuit necessaria. 2. *differentia Notionis prima & secundæ*: Communicatio est notio prima: prædicatio notio secunda *Hæc* qva talis, Logicæ est considerationis: *illa* Theologiæ vel alterius scientiæ, cujus ad objectum res unitæ & communicatæ spectant. 3. *distinctum subjectum*: Communicatio est in duabus Christi naturis: prædicatio autem vel in mente, vel in oratione. Vide *Gerh. d. l. §. 179. 180. tom. 6. Disp. Gress. disp. 26. th. 40. Hutter. in Loc. p. 145. Schrod. in sept. Reg. p. 13.*

ANTITHESES.

Pezel. in Demonstrat. p. 90. expresè scribit, qvod communicatio sit ipsa Unio. *Saaxel de V. H. Nat. p. 109.* ita definit communicationem. *Realis propriorum communicatio nihil aliud est, qvam communio & Unio*, ut *Naturarum ita & proprietatum utriusqve naturæ in unâ Personâ.* Qvoties verbalem communicationem urgent, communicationem esse prædicationem sentiunt.

HYPOTHESES.

I. Patres etsi qvandoqve Unionem appellent communicationem; tamen non negant omnem differentiam, nec communicationem Idiomatum, qva de hic controvertitur, simpliciter cum Unione confundunt.

II. Cum differentiæ & formæ freqventer declarentur per effecta & conseqventia, qvidam ê nostris Theologis formam Unionis dixerunt Idiomatum communicationem.

III. Dicitur etiam â nostris *communicatio* interdum *prædicatio*, sed non in sensu Calviniſtico: Nos *veram*, Calviniani *falsam* urgent prædicationem. Nos enim in hac prædicatione, *Deus est natus*, agnoscimus congruentiam prædicationis cum Re ipsâ, qvia credimus Deum nasci non in natura propria, sed in natura humana per realem communicationem; Calviniani non agnoscunt congruentiam cum re ipsâ, qvia Deum natum credunt, absqve reali & vera communicatione qvando in Persona Dei sola humana natura nascitur,

& sic Deus non nascitur, solâ enim Persona absqve natura Dei & sola humana natura non est *Deus*.

Qv. IV. *Suntnè certa & præcisè tria constituenda genera illorum, qvæ de Christo per Communicationem Idiomatum prædicantur?*

THESES.

I. IN libro Concordiæ, scripturæ dicta de qvibus qværitur, in certa & qvidem tria genera rediguntur, ut doctrina de communicatione Idiomatum clarius & dexterius intelligatur.

II. Fundamentum hujus Distinctionis exstruit *ipsa Personalis Unio*, qvâ dum *Deus* factus *homo*, & *homo* factus *Deus*, *divina de homine*, *humana* de *Deo* prædicantur: Deinde, qvia Verbum carnem evexit & perfecit, *divina idiomata prædicantur de carne*. 3. Et tandem qvia ideo Deus est incarnatus, ut in redemptione generis humani operaretur divina humanitas, & humana divinitas: prædicantur de Christo *actiones* Θεανδρικαὶ, & sic ternarius completur numerus illorum, qvæ per communicationem de Christo enunciantur.

III. Alia prædicata *unius naturæ idiomata*; alia *auchemata* divina Carni communicata; alia *Apotelesmata* designant.

IV. In *primo* genere communicantur *idiomata*, *reciproce*, ut approprientur â Verbo humana, & communicentur Carni divina. In *secundo* non est reciproca κοινωνία, dum Verbum ita â carne non deprimitur, uti caro â Verbo exaltatur. In *tertio* ἐνεργείων communicatio deprehenditur.

V. *D. Thumm. in* ταπεινωσιγραφία *Theorem.* 15. *p.* 864. qvatuor gradus s. genera Communicationis Idiomatum constituit: Ad 1. refert Dicta, qvibus de Filio Dei prædicantur *Idiomata Humanitatis* propter ἰδιοποίησιν, qvâ Verbum sibi appropriavit Humanæ Naturæ Idiomata. *Secundum* gradum tribuit dictis, qvibus *divina Naturæ idiomata* prædicantur de Filio Hominis, propter μεταδόσιν τῶν ἰδιείων. *Tertium* gradum assignat *Apotelesmatibus* vel actionibus officii, qvæ prædicantur de Christo *secundum utramqve Naturam*. *Qvartum* iis adjudicat prædicationibus, qvibus *Totæ Personæ* tribuitur *Idioma*, qvod uni Naturæ *per se*, alteri per *communicationem idiomatum tribuitur*, ut si dicam: *Christus est natus*,

&

& *est æternus*; ut *Homo*, natus per se, ut *Deus* natus, per Communicationem ἰδιωμάτων: ut *Deus*, æternus per se, ut *Homo*, æternus per communicationem Idiomatum. Confer *Thumm. d. l. p.* 169.

VI. D. *Gerh. in Exegef. L. IV.* §. 184. hos qvatuor gradus Communicationis qvinqve argumentis adstruit, qvibus tamen non dimovetur â tribus gradibus, qvos enumerat Form. Concord. cum prædicationes, qvibus deputatum est qvartum genus, possint reduci ad *Primum* genus, uti paulo post apparebit. Neminem condemnandum arbitramur, sive qvis 4. gradus, sive tres recensear, modo distinguat distinguenda. Cur tres gradus recensendi, non qvatuor, ostendit *D. Feurborn. in* συναγραφίς *dissertat. 4. th.* 47. *seqq.* Certa qvædam genera esse constituenda probat D. *Chemnit. lib. de D. Nat. c.* 12. *D. Wigandus de Comm. Idiom. p.* 34. *Gesn. lib. de Pers. Christi c.* 4. *Schrod. in Scept. Reg. p.* 32. *D. Phil. Nicol. l.* 1. *de Omnipræs. cap.* 6. *Hutt. in Form. Conc. pag.* 774. *tom.* 1. *disp. Giess.* 2. *th.* 82. *Calov. in Exam. Syncretismi disp.* 16. *fol.* 512.

ANTITHESES.

I. *Scholastici* & *Jesuwitæ* non agnoscunt certa Genera Communicationis Idiomatum, sed unicam profitentur communicationem, qvæ non tribuit uni Naturæ ea, qvæ sunt alterius, sed tribuit uni suppositio utriusqve Naturæ proprietates. Vide *Bellarm. in Judic. de Libro Concord. Err.* 4. *Becan. parte* 3. *Theol. Schol. tract.* 1. *c.* 7. *q.* 1.

II. *Martinius in Mentz. Antinuth. c.* 14. *p.* 233. ita scribit: *Si pro prædicationum varietate communicationem discernere libeat, erit alia phrasis communicationis* Naturarum, *alia* Voluntatum, *alia* proprietatum, actionum, passionum, relationum, honorum. *Sed brevitatis causâ unâ Communicationis Idiomatum appellatione omnia complectimur.* Qvomodo *Martinius* tres gradus communicationis conetur convellere lege *p.* 250. *seqq. Confer Dann. in Exam. lib. de D. Nat D. Chemnit. ad c.* 12. *p.* 309. *& part.* 1. *Isag. Christ. c.* 47.

III. Qvidam ex Recentioribus Calvinianis constituunt plura Genera Communicationis, sed 1. *latè* accipiunt vocem *Communicationis*, qvæ *strictè* accepta, secundum illos, Unicum saltem parit Genus *Alting. in L. Comm. p.* 480. 2. distinguunt *Charismata* seu

dona habitualia, & finita ab *Idiomatibus* & *Apotelesmatibus*. Sed *Charismata* duntaxat Humanitati ; *Idiomata* utriusqve Naturæ toti Personæ ; Apotelesmata utriqve Naturæ , qvatenus qvælibet agit, qvod suum est , cum alterius Communicatione , h. e. *Unione* vendicant. *Wendelin. in Chr. Theol. c.36.*

HYPOTHESES.

I. Qvemadmodum in *secundo genere* pro distinctione prædicatorum , distinctæ possunt esse unius generis species, ita est inconveniens , si in *primo genere* distinctæ agnoscantur species , propter distinctam denominationem subjecti , qvæ interdum â *divina*, interdum ab *humanâ* , interdum ab *utraqve Natura* desumitur , adeoqve hæ propositiones : *Christus est passus* ; *Deus est passus* , *homo est antè Abrahamum* ; sub uno genere haud incongruè comprehenduntur.

II. Etsi in his prædicationibus ; *Christus est passus* , & *Deus est passus*; sit aliqva differentia , dum *illam* Nestorius concedebat , *hanc* non item : tamen , qvoad *communicationem* nulla est differentia. *Prior* enim qvatenus communicationem exprimit, prorsus coincidit cum *posteriori*, ac resolvitur in hanc ; *Christus Deus est passus* : Qvod si etiam hominem in Christo intelligas , uti intelligendus est , hujus respectu , nulla est communicatio , qvippè homo non per *communicationem*, sed ob *Naturæ proprietatem patitur*.

III. Ad primum genus illæ propositiones Biblicæ referuntur, qvibus Idioma vel divinæ vel humanæ naturæ prædicatur de Christi totâ personâ, qvæ denominatur 1. ab utraqve naturâ . ut *Heb.13.v 8. Rom. 8. v.34.* 2. â divinâ naturâ. *Joban.5.v.19. 1.Corinth.2.v.8.* 3. ab humanâ naturâ ut *Matth.20, 19. Joban.3.v* 13.

IV. A qvacunqve naturâ subjectum denominetur , semper notatur Idiomatum communicatio , si de totâ Personâ velis affirmare, qvæ affirmat Spiritus S. E. g. *Christus est heri , hodie & in secula*; qvâ *Deus* , per naturam, qvâ *homo* , per realem κοινωνίαν. *Christus est resuscitatus* , qvâ *Deus* per κοινωνίαν , qvâ *homo* per naturam : *Filius Dei habet vitam in semet ipso*, non solum per *naturam* , sed etiam per κοινωνίαν , qvia intelligitur Filius Dei ἔνσαρκος , qvi respectu *carnis* habet ex κοινωνίᾳ , qvod respectu *Deitatis* habet ex naturâ :

Do-

Dominus gloriæ est crucifixus, non solum per realem κοινωνίαν, sed etiam per *naturam*, qvia intelligitur vicissim Deus ἐγσαρκῶ: *Filius hominis est traditus*, non solum per naturam, sed etiam per communicationem, qvia Filius hominis hic notat totam personam, qvæ est Filius Hominis & Filius Dei: *Filius hominis descendit de cœlis*, non solum per communicationem, sed etiam per naturam, qvia rursus notatur ille Filius hominis, qvi est etiam Filius Dei.

V. Patres qvando describunt *primum* hoc genus per ἐπιζευξιν ὀνομάτων ἐναλλαγὴν & κοινωνίαν ὀνομάτων, non intelligunt communicationem *verbalem* vel *nominalem*; sed *prædicationes Biblicas*, qvas verbales esse pecus negaverit, *meræ* autem & *tantum* verbales esse, nemo nisi Calvinista dixerit. Hinc alii Patres hoc genus, per ἀντίδοσιν, ἰδιωποίησιν, ἰδιοποίαν, & τρόπον τῆς ἀντιδόσεως describunt. *Gerhard. in Exeg. d. l. §. 186. Chemnit. l. de D. N. cap. 14.*

VI. Non omnino negligenda illorum diligentia, qvi has propositiones, *Christus est passus*, *Deus est passus*, & *Filius hominis est antè Abrahamum* distinguunt, ita, ut *istam* per ἑκατέρωσιν, *illam* per ἰδιοποίησιν, & *hanc* per ἀντίδοσιν veram esse, tradant: Notatur enim his diversis vocabulis diversa *Subjecti* designatio. In *primâ* prædicatione subjectum est denominatum ab utraqve natura de qvarum unâ saltem per communicationem dicitur prædicatum. In *secundâ* subjectum est denominatum â divina natura, qvæ sibi appropriat humana idiomata, in *tertiâ* denominatum est subjectum ab humana natura, qvæ per *Antidosin* accepit divina idiomata.

VII. Duæ â nostris Theologis hujus generis approbantur Definitiones, qvarum una hæc est: *Primum genus Communicationis Idiomatum est, qvando propria Naturarum applicantur & attribuuntur Personæ Christi in concreto additis interdum ῥητῶς particulis non Χωριστικαῖς, sed Διακριτικαῖς, qvibus ea suis naturis vindicantur.* Altera hæc est: *Primum genus est, qvando utriusqve naturæ idiomata propter personæ identitatem toti personæ in concreto, alterius respectu per naturam, alterius per veram & realem naturarum κοινωνίαν attribuuntur.* Hanc Wyrtembergenses; *illam* Hassiaci Theologi commendant: *Utraqve* autem vera agnoscetur, si explicatum fuerit, qvo sensu in primo ho-

hoc genere dicatur, qvod prædicatum *juxtâ vel secundum* unam naturam prædicetur de toto subjecto vel de Personâ in concreto. Hæc phrasis 1. opponitur *Eutychianis*. & notat eam naturam, cui *per se, originaliter* & φυσικῶς ineſt *idίωμα*, propter qvam hoc de tota persona enunciatur. 2. profertur sensu Nestoriano, Jesuwitico & Calviniano, qvo prædicatum ad unam naturam restringitur & altera natura â communione prædicati prorsus excluditur. *His* qvatenus est oppositа secunda definitio orthodoxa & vera est. *Illis* qvatenus est oppositа prima definitio, nihil involvit erroris. Summatim, juxta unam naturam hic fit prædicatio, si intelligas eam, *propter qvam prædicatum dicitur de subjecto*: Hæc ea est cui originaliter ineſt idioma. Non autem fit prædicatio juxta unam naturam si intelligas eam, *cui verè & realiter tribuitur prædicatum.*

VIII. Fundantur prædicationes in hoc genere in *prædicationibus personalibus*, qvemadmodum enim hæ sunt reciprocæ, ita etiam in hoc genere divina idiomata de Christo homine, & vice versa humana idiomata de Christo Deo prædicantur: Hinc de *Filio Dei* dicitur, qvod sit natus, circumcisus, captus, percussus, crucifixus, mortuus; de *Filio hominis* dicitur, qvod sit creator cæli & terræ, immensus, æternus &c. qvia ut propria Divinitatis Filio Dei tribuuntur *essentialiter*, ita filio hominis tribuuntur *personaliter*, & tam propria est Filio Dei humanitas ὑποστατικῶς, qvam propria est Filio hominis ἰδιωδῶς.

IX. In hoc genere adhibentur *particulæ distinctivæ*, qvæ leguntur *Actor.* 2. v. 10. *Rom.* 1. v. 3. 1. *Pet.* 3. v 18. *Rom.* 9. v. 5. 2. *Corinth.* 13. v. 4. De his notetur, qvod non sint χωριστικαὶ restringentes humana saltem ad humanam, divina saltem ad divinam naturam; sed 1. διοριστικῶς ostendentes naturam, propter qvam Idioma dicitur de totâ Personâ 2. διακριτικῶς naturarum ac naturalium proprietatum 3. ἐπιδεικτικῶς monstrantes οἰκεῖον subjectum, cui πρώτως & ἀμέσως ineſt idioma.

X. Qvando *exaltatio* & *exinanitio* de Christo prædicatur, *ad primum* genus pertinent prædicationis respectu *exaltationis*, & *exinanitionis*, qvæ propria sunt humanæ Naturæ. At respectu ἀυχημάτων & *donorum*, qvorum retractione & usurpatione Christus

stus dicitur exinanitus & exaltatus, pertinent prædicationes ad genus *Secundum*. Vide *Chemnit. l. de D. N. cap.* 13. 14. *Hutter. in L. p.* 157. *Schrod. in sciopt. reg. pag.* 24. *Gerhard. in Exeg. d. l.* §. 186. *Apologiam Decision. Saxon. sect.* 2. *c.* 6.

XI. *Secundum* (qvod in Form. Conc. est *tertium*) Genus appellatur μετάδοσις ob Dona infinita, Carni communicata, ὕψωσις, ob Carnis Exaltationem, βελτίωσις ob Carnis Perfectionem, δόξασις ob ejusdem Glorificationem.

XII. Uti Subjectum in Secundo Genere interdum est tota Persona, interdum Concretum Humanæ Naturæ, interdum Abstractum Humanæ Naturæ; ita prædicatum vel est gloria divina & majestas infinita, vel Idioma divinum qvod Humanæ Naturæ datum, qvando in Personam Filii Dei assumpta.

XIII. Μετάδοσις in secundo genere non est confundenda cum Ἀνπδόσει in *Primo* genere. In utraqve communicatur Idioma divinum, sed in *illâ* insimul attenditur, *Exaltatio* & βελτίωσις Humanæ Naturæ. Ἀνπδόσει opponitur ἰδιοποίησις; Uti enim λόγῳ sua ἰδιώματα Carni communicat, ita Carnis ἰδιώματα & παθήματα sibi vicissim appropriat. Μετάδοσις non competit Carni, sed λόγῳ cujus ut assumentis est τὸ *Communicare*, *dare*, *evehere*: Assumpta autem Caro ut *accipit*, *evehitur* ac *perficitur*; ita non potest dare aliqvid Verbo, qvo vel evehatur vel deprimatur.

XIV. Abstractum in hoc genere â qvibusdam Theologis rejicitur, ab aliis approbatur: Homonymia autem Vocis evoluta omne tollit dissidium. *Vel* enim notatur per abstractum Natura â λόγῳ divulsa & separata; *vel* Natura vera ac integra, λόγῳ personaliter unita: In *primo* non *secundo* significatu abstractivæ loqvutiones damnantur. Vide *Hesshus.* in Bekänntniß von der Person Christi *Kirchner. contra Anhald. p.* 58. *seqq. Wyrtemb.* wider das Staffort Buch *pag.* 95. *seqq. Method. Wigand, de Abst. & Concr. D. Jacobum Andr.* in Widerleg. der *Calvin.* Lügen *pag.* 35. *Gerh. d. l.* § 168. & 273.

XV. Particulæ limitativæ in *Secundo* Genere non notant οἰκεῖον prædicati subjectum, cui originaliter & δι' αὐτὸ prædicatum

ineſt, ſed vel *Objectum* cui data ſunt Idiomata divina, vel *Fundamentum*, qvod eſt Unio Perſonalis. E. g. *Chriſtus eſt vivificus ſecundum humanam Naturam*, qvia humanæ Naturæ vis vivifica communicata & *Caro Chriſti eſt vivifica*, non δι' αὐτὸ, ſed κατ' ἄλλο, qvia non per *naturam*, ſed ex *unionis gratiâ* eſt vivifica.

XVI. *Brentius* & alii Theologi utuntur in Explicatione ſecundi Generis, voce *Effuſionis*: Non autem intelligunt *Phyſicam* & propriè dictam Effuſionem, qvâ ê ſuis ſubjectis propria effunduntur, ſed in *metaphoricâ* ſignificatione utuntur voce Effundendi, ut denotent 1. *Donantis liberalitatem*. 2. *Donorum Copiam*, qvam ipſe Spiritus S. voce effundendi interdum indicat. *Eſa. XLIV. 33. Joel. II. 28. Zachar. XII. 10. Tit. III. 6.* Confer *Chemnit. l. de D. Nat. cap. 19 20. 21. Hunn. tom. 1. Op. col. 163. Mentz. in Anti Mart. p. 199. tom. 1. Gieſs. diſp. 3. th. 3. Gerh. d. l. §. 201.*

XVII. Ordine naturæ qvamvis Metadoſis prior ſit Communicatione ἐνεργειῶν; tamen in *Lib. Conc.* hæc illi præmiſſa eſt, qvia de illâ fuſius erat diſſerendum, & major convenientia propoſitionum in *primo* genere cum illis, qvas parit κοινωποίησις, atqve cum illis, qvarum fundamentum eſt Metadoſis.

XVIII. Differt *tertium* genus â *primo* & *ſecundo*, qvatenus in *tertio* 1. *prædicatum* eſt Apoteleſma, ad qvod utraqve Natura concurrit. 2. *ſubjectum* eſt tota Perſona, ex duabus ſubſiſtens Naturis. 3. *prædicatio* fit ſecundum utramqve Naturam, nec adduntur particulæ diſtinctivæ.

XIX. Evidentior fit communicatio in *tertio* Genere, ſi agnoſcatur 1. ἐνεργῶν, qvi θεάνθρωπος 2. ἐνέργεια, qvæ efficax cujuslibet Naturæ motus. 3. ἐνεργητικὸν, qvod Natura ipſa. 4. *Apoteleſma* qvod opus officii, ad qvod utraqve Natura, communicatis ἐνεργείαις, concurrit: Sic *ſanguine redimere* Eccleſiam eſt ἀποτέλεσμα ἐνεργῶν θεάνθρωπος, ἐνέργεια Deitatis *Redemptio*, ἐνέργεια Humanitatis *ſanguinis effuſio*; Hæc *appropriata* â Divina Natura, & illa *communicata* Humanæ Naturæ ceu ἐνεργητικοῖς parit ἀποτέλεσμα, cujus reſpectu pertinet ad *tertium* Genus Communicationis, qvemadmodum reſpectu *Sanguinis appropriati Deo*, ad *primum*, & reſpectu *Virtutis*, qvâ Sangvis valuit redimere, ad *ſecundum* reduci poteſt.

Con-

Confer *Chemnit. d. l. c.* 17. *Hutter. in L. Theolog. pag.* 159. *Gerh. in Exeg. L. IV. §.* 282. *seqq.*

Qv. V. *Num in prædicationibus, Deus est natus, Filius Hominis est omnipræsens & Similibus, Synecdoche, vel Allæosis concedenda, ut realiter divina duntaxat de Divina, & humana duntaxat de Humanâ Naturâ prædicentur?*

THESES.

I. IN qvâvis Synecdoche Rhetoricâ fit mutatio nativæ significationis Vocis, in asiam in prædicationibus generis *primi*, qvarum Exempla oblata, nulla Vox â genuinâ significatione est abducta E. g. In his Propositionibus: *Deus est passus*; *Christus homo est æternus*, nulla vox potest ostendi, qvæ propriam significationem amiserit. E. in his prædicationibus nulla est Synecdoche.

II. Si per unam naturam notatur altera, &, si dixero, *Deus est passus*: *Filius hominis est antè Abrahamum*, per *Deum humanitas*, per *Filium hominis*, *Deitas* est intelligenda, nulla Synecdoche habet locum, qvia in hâc per unam partem non notatur altera totius pars, sed vel totum sumitur pro parte, vel pars pro toto.

III. Præscripta prædicationum Analysis scripturam negat, uti patet ex his duabus propositionibus ἐγγράφοις: *Filius Dei factus est ex muliere* Galat. 4. v. 4. *Filius hominis descendit de cœlis & fuit in cœlis* Johan. 3. v. 13. cap. 6. v. 62. Hi scripturæ textus si ita exponantur, ut *primum* prædicatum ad solam humanam naturam, *posterius* ad solam divinam restringatur, emergunt hæ propositiones: *Solus homo factus est ex muliere*: *Solus Filius Dei descendit de cœlis & fuit de cœlis.* Hæ autem propositiones contradicunt scripturæ, qvando negant, qvod *hæc* affirmat, uti patet ex hoc Syllogismo. *Qvi factus ex muliere, est solus homo, & qvi descendit de cœlis ac fuit in cœlis, est solus Filius Dei.* At *Filius Dei non est solus homo*, & *Filius hominis non est solus Filius Dei* E. *Filius Dei non est factus ex muliere* & *Filius hominis non descendit de cœlis.* En conclusionem, Scripturæ verbis contradictoriè oppositam.

ANTITHESES.

I. Zwingliani & Calvinistæ passim in suis scriptis urgent Allæosin

læosin, & Synecdochen a nobis rejectam: Audiemus hâc vice *Martinium* qvi in *Defens. Sadeel. pag.* 15. ita scribit: Synecdochen non esse in illis formulis: *Deus est natus: Deus est passus. Homo est æternus*: qvis est, qvi mihi persvadeat contra tam perspicuam lucem? De Personâ qvod dixerat Apostolus, ad alteram naturam, cui proprium, restringit. *Reliqvi omnes* prædicationes hujus primi generis exponunt per Allæosin, qvâ per nomen Personæ, subjecti loco positum, tantum illa natura intelligitur, cujus proprium in prædicato exprimitur, & licet fateantur, de totâ Persona prædicari verè & realiter utriusqve naturæ idiomata, tamen illam naturam â prædicato semper excludunt, cujus naturale non est, proprium id, qvod prædicatur. *Neostad. in Admonit. pag.* 70. & 250. *Consens. Orth. p.* 18. & 122. *Apolog. Anhalt. p.* 246. *&c.*

HYPOTHESES.

I. Particulæ distinctivæ qvod restringant prædicata ad eam naturam, cujus sunt propria, nondum est evictum: Potius ita urgendæ sunt hæ particulæ, ut scripturæ constet sua Veritas. Si ergo legimus, Filium Dei esse natum ex semine *David*, *secundum carnem*, particula distinctiva ita explicanda, ut verum maneat, *Filium Dei* esse natum.

II. Ἀλλοίωσις Damasceni & Zwinglii differunt in eo, qvod illa ἀντιδοσιν, hæc meram nominum permutationem designet. Vide *Buscher. in fasc. p.* 147. *Hutter. in L. p.* 158. *Meisn. part.* 1. *Philos. sob. ect.* 1. *c.* 5. *q.* 12. *Gerh. in Exeg. d. l.* §. 188.

Qv. VI. *Annon* λόγος *sibi appropriavit Humanitatis ac Carnis* παθήματα?

THESES.

I. REtinemus de hâc qvæstione B. Patris nostri Lutheri doctrinam, qvam in Confes. Majore *tom.* 3. *Iben. germ. fol.* 455. strenuè contrâ Zwinglium propugnat, cum inqvit: *Qvia divinitas & humanitas una sunt Persona, ideo scriptura propter unitatem istam personalem etiam divinitati adscribit omnia qvæ Humanitati competunt, & contra. Et qvidem in veritate res ita habet: Nam hoc, necesse est, dicas; Persona (Christus) patitur, moritur. Jam Persona est verus Deus, ideò rectè dicitur; Filius Dei patitur, Etsi enim una pars (ut ita loqvar) Deitas sc. non pa-*

tia-

tiatur, tamen Persona illa patitur, qvæ Deus est, in alterâ suiparte sc. Humanitate. Vide *etiam Postill. Eccles. part. 1. pag. 83. tom. 2° Witt. Lat. fol. 188.*

II. Scripturæ textus *Actor. 3. v. 15. 1. Cor. 2. v. 8. Rom. 8. v. 32. Galat. 4. v. 4. 1. Johan. 1. v. 2.* non erunt veri, si Filius Dei παθήματα Carnis sibi non appropriavit, & in Carne de παθήμασι realiter non participat: Cum nunqvam probari possit, qvod illa *nativitas* & *passio* sit Filius Dei nativitas & passio, cujus neqve per *naturam* neqve per κοινωνίαν est Filius Dei particeps.

III. Communicationem humanæ naturæ monstrant dicta *Hebr. 2. v. 4. Joh. 1, 14.* Qvam verè igitur propria est Verbo assumpta Caro, tam verè appropriata sunt λόγῳ carnis Idiomata, & sicuti Caro verè nascitur, patitur, moritur &c. *essentialiter*; Ita Filius Dei verè nascitur, moritur &c. *personaliter.* Vide *Gesner. de Pers. Christi p. 121. Schrod. de commun. propr. th. 129. seqq. Gerhard. in Exeg. d. l. §. 193. Tubingens. contra Brem. p. 174. Calov. in Exam. Sycretism. disp. 15. p. 468.*

ANTITHESES.

I. Nestorii hoc erat pronunciatum. *Noli gloriari Judæe; non Deum, sed hominem crucifixisti*, tom. 2. Concil. fol. 534. Histor. Tripart. lib. 12. cap. 4.

II. Mahumetistæ Deo indignum putant, ut patiatur *Schweigger lib. 2. Alcor. c. 10.*

III. Jesuwitæ realem & naturarum & Idiomatum communicationem negant *Grets. in Def. Bellarm. tom. 2. Col. 177.*

IV. Calviniani qvicqvid blaterent, hanc propositionem; *Deus est passus*, aliter veram non concedunt, qvam, ita relolutam: *Sola humana natura est passa.* Vide *Dana. in Exam. Chemnit. p. m. 321. Bezam in Coll. momp. de Pers. Christi Anteth. 1. in Resp. ad Acta Coll. momp. part. 1. pag. 121. seqq. & Epist. 60. Vol. 3. p. 273. Admonit. Neostad. p. 250.*

HYPOTHESES

I. Sicuti *actu naturali Deus* est ἀπαθὴς, nec nascitur nec patitur; ita in Carnè suâ & nascitur & patitur, *actu Personali.*

II. Jesuwitæ & Calviniani clamitant, sibi â nobis maximam fieri injuriam, qvando accusantur, qvod Verbi Hypostasin excludant â κοινωνίᾳ passionis ac mortis in Carne: At latet anguis

in herba, qvando per hanc κοινωνίαν nihil aliud intelligunt, qvam carnis sustentationem, qvâ in passione ac morte fuit sustentata. Præterqvam autem qvod etiam Martyrum naturæ sint sustentatæ, â Filio Dei, Filius Dei non per solam sustentationem, sed per Carnis assumptionem & appropriationem factus est homo. Qvære ergò â Calviniano: *An verè credat: Inter Verbum & Carnem esse realem naturarum communicationem? Si affirmat*, nostræ doctrinæ herbam porrigit, & fatetur, se nostris argumentis esse convictum. *Si negat*, frustrâ amoliri conatur accusationem suprâ expressam, qvum nulla possit dari realis Communio inter Verbum & passiones carnis, nisi Carnis & Verbi realis κοινωνία præsupponatur.

III. Beza urget hoc simile: *Uti Homo dicitur sepultus secundum solum corpus*, ita *Deus dicitur passus*, *secundum solam humanitatem*. Alii urgent has propositiones: *Homo intelligit solâ animâ, est qvantus solo corpore, est capax disciplinæ solâ animâ, est mortalis solo corpore*, sic etiam *Deus nascitur, & patitur solâ carne*. Verum prima Bezæ similitudo aberrat â scopo, qvia prædicatum involvit ac præsupponit partium separationem, cum non homo, sed corpus hominis sepeliatur. In reliqvis Animæ & corporis κοινωνία agnoscenda est, nisi statuere velimus: Solam animam vel solum corpus esse hominem: πρῶτον qvidem δεκτικὸν intellectus, & capacitatis disciplinæ est Solæ Animæ, qvemadmodum qvantitatis, & mortalitatis solum corpus; qvia autem Anima in suo corpore intelligit ac disciplinas capit, organis etiam corporeis ex parte utitur, qvando nihil in intellectu, qvod non fuit prius in sensu: qvia similiter corpus animâ rationali unitum est qvantum, mortale, Homini hæc tribuuntur. Insuper nostra qvæstio hic non est de propriis strictè sumptis in *actu primo*, ut sunt, qvantum, mortalem, capacem disciplinæ esse, sed de propriis latè sumptis, in *actu secundo*, qvalia sunt actiones & passiones, qvas totius esse suppositi Philosophi docent. Non tribuuntur hæc prædicata Filio Dei παθητικῶς s. inhæsivè, sed 1. ὑποστατικῶς 2. ἰδιοποιητικῶς 3. χρηστικῶς 4. βουλητικῶς qvatenus λόγος per divinam συνευδοκίαν in passionem consensit. 5. συγχωρητικῶς permissivè 6. ἐνεργητικῶς qvatenus carnem sustentat & virtutem passioni impertit. *Gerh. d. l. §.* 197.

Qv. VII.

Qv. VII. *Annon simpliciter condemnandi illi Theologi, qvi hanc phrasin,* Divinitas in carne est passa, *vel rejiciunt, vel approbant?*

THESES

I. ABsqve aliorum præjudicio, nos arbitramur, damnandos esse Theologos, qvi approbant hanc phrasin in sensu *Eutychiano*, & qvi rejiciunt eam, sensu *Calvinistico*: Hâc distinctione sopiri videtur lis illa, qvæ de hac Enunciatione inter Theologos Lutheranos fuit suborta.

II. Rejiciunt qvidam hanc Enunciationem ob rationes non contemnendas, qvas lege in *Sciagraph. Feurborn. diss. 5. thes. 24. seqq. & Exeges. D. Gerh. de Pers. Christi* §. 198. Alii contra Calvinianos eandem urgendam svadent, non qvidem sensu Eutychiano, sed ut Calviniani rectius in lucem protrahantur, qvi divinam Naturam passionis participem esse factam negant. Vide *Wyrtemb. in Exam.* c. 6. & alibi passim.

III. Neutra horum pars videtur condemnanda, qvasi vel una Eutychianis, altera Nestorianis & Calvinianis faveret, qvia de sensu & Intentione utriusqve partis abundè constat: Qvi abstinent ab hâc phrasi, non negant realem naturarum communicationem, nec negant, passiones Carnis ipsam Divinitatem Personaliter attigisse, vel Verbum παθήματα Carnis sibi realiter appropriâsse: Econtrâ qvi utuntur hac phrasi, sæpius fuêre confessi, se non loqvi 1. de Naturis separatim consideratis extrâ Unionem. 2. sensu Theopaschitarum & Eutychianorum. 3. de passione, qvæ provenit ex proprietate naturæ, sed eâ, qvæ tribuitur per & propter Unionem: Ita cum constat de sensu & Intentione, cur turbaremus Ecclesiam, nos invicem ut Hæreticos condemnando, propter phrasin & formulam loqvendi, cui per se hæresis ineste neqvit?

IV. Qvod si qvis adeò esset ab Orthodoxiâ alienus, ut vel Theopaschitarum sensu hâc phrasi uteretur, vel etiam in gratiam Calvinianorum, ut cum iis colluderet, eandem detestaretur, merito suo rectissimè condemnaretur & Hæreseos Fautor proclamaretur.

Qv. VIII.

Qv. VIII. *Estne carni Christi communicata majestas & gloria vere divina, increata & infinita?*

THESES

I. FOrm. Concord. in Declarat. p. m. 778. ita respondet; Sentimus & docemus cum veteri Orthodoxâ Ecclesia, qvemadmodum hæc ex scripturâ doctrinam hanc explicavit, qvod humana Natura in Christo illam majestatem acceperit secundum rationem hypostaticæ Unionis, videlicet qvod cum tota plenitudo Deitatis in Christo habitet, non qvemadmodum in sanctis hominibus aut Angelis, sed corporaliter ut in proprio corpore, etiam omni suâ majestate, Virtute gloriâ & operatione in assumptâ humanâ natura liberrime (qvando & qvomodo Christo visum fuerit) luceat & in ea cum eâ & per eam divinam suam virtutem majestatem & Efficaciam exerceat, operetur & perficiat.

II. Qvibus argumentis hæc Doctrina confirmetur, innotuit ex *Luth. tom. 3. Ihen. germ.* im Bekänntniß von Abendmahl Christi. *fol.* 499. *seqq.* 502. 504. 521. *Brent. tom 8. pag.* 988. *Chemnit. lib. de D. Nat. cap.* 21. 22. 23. 24. 25. *Apolog. l. Conc. p.* 29. *Wigand de Commun. Idiom. p.* 96. *Marbach. de Majest. Carn. Christi p.* 159. *Gerlach. contra Busæ. p.* 247. *Hunn. tom.* 1. *op. pag.* 213. *Hutter. L. Theol. p.* 164 *Schrod. Thron. Reg. p.* 199. & *p.* 400. *in Scept. Reg. p.* 58. 82. 88. 533. & *in Enchirid. Theol. p.* 98. *Mentz. Anti Sad. p.* 336. 335. *in Anti Martin. p.* 371. 447. 468. 482. 492. 499. *seqq. Gerh. Exeg. L. IV.* §. 203. *seqq. Calov. Exam Syncret. disp.* 19. *col.* 596.

III. Ad S. Scripturæ Dicta cum nostra restricta sit Disputatio, examinabimus præcipua qvibus Doctrina nostrarum Ecclesiarum sustentatur. Apostoli Eloqvium *Coloss. II.* 9. talem exhibet illationem: *Qvæcunqve Natura est Templum Deitatis, in illâ inhabitat tota plenitudo Deitatis.* At *Humana Natura est Templum Deitatis*, qvia divina Natura non potest esse Templum Deitatis. E. *Major* propositio non evertitur, si dicas, *Plenitudinem Deitatis habitare in totâ Personâ Christi*: Nam, qvicqvid de tota Persona Christi dicitur, illud vel secundum alterutram, vel secundum utramqve Naturam dicitur, cum Christus non sit ἕτερόν τι ἐξ ἑτέρων. Cum itaqve Divinitas non habitet in scip â σωματικῶς, concedendum omninò erit.

erit, qvod habitet in Humanitate, qvam Filius Dei Personaliter sibi univit non per παράσασιν, sed per κατοίκησιν.

IV. Porrô legimus de Christo, qvod sit unctus præ consortibus *Psalm. XLV. 8. Hebr. I. 8.* Spiritu S. *Esa. LXI. 1. Luc. IV. 21. Actor. X. 38.* ἐκ ἐκ μέτρε. *Johann. III. 34.* Uti autem Spiritus S. dona, qvæ non dantur juxtâ mensuram, sunt infinita & increata, ita Divinitas Christi non est uncta sed ungens. Unctio igitur, qvam in tempore factam, attestatur Daniel *Cap. IX. 24.* de Humanâ Naturâ intelligenda, qvæ ad officium ab æterno qvidem prædestinata, nunqvam autem ab æterno uncta dici potest.

V. Exceptionibus objicimus hos Aphorismos. I. Sancti possunt esse Christi Consortes, qvamvis non participent cum Christi Humanitate de Donis infinitis, qvia & finita dona Christo Homini data, & erunt Sancti Christi Consortes in gloriâ *Rom. VIII. 17.* Unde Sophistæ agnoscitur hæc connexio. *In qvibus Donis Christus habet Consortes, illa* TANTUM *sunt communicata.* 2. Particula PRÆ non semper est *comparativa*, sed sæpè *Exclusiva*, ut *Psalm. CXIIX. 8. 9. Matth. XXI. 31.* unctus igitur Christus donis infinitis, qvibus non sunt uncti Consortes. 3. Non haberi in textu *Johan. III. 34.* qvâ de Personâ sit sermo, mentitur *Smalc. in Resp. ad part. 2. Ref. Smigl. cap. 13. pag. 114.* qvia antecedentia & Conseq. luculenter probant, προτοβαπτίδην loqvi de Christo. 4. Etsi in præsenti loqvatur Baptista de Christo, cum inqvit: Deus *dat* Spiritum S. tamen præsens in Scripturâ haud raro ponitur pro præterito vel futuro, & si Continuationem attendas, Deus Christo Homini semper dat Spiritum S. qvod etiam *Beza in Not.* approbat. 5. phrasin ἐκ ἐκ μέτρε æqvipollere his: *Non unâ eademqve mensurâ: Totum integrum & perfectum*, uti cum *Smaltzio* contendunt, *Calviniani Beza d. l. Alting. in L. C. par. 2. pag.* 530. *Wendelin. l. 1. Chr. Theol cap. 16. p. 267.* (qvibus applaudit *Gretser in Def. Bellarm. tom. 2. tol. 194.*) nullo argumento probatur; Inhæremus nos significationi literali, qvâ opponitur ἐκ μέτρε τῷ ἐκ ἐκ μέτρε, non ut *uni diversum*, ut *toti pars*, ut *perfectum imperfecto*, ut *particulare universali*, ut *parum Copioso*; sed ut *mensuratum non mensurato*: qvod autem immensum, haud dubie etiam infinitum.

VI. Tertio Spiritus S. Opulentiam Christi deprædicans *Matth. XI. 26. Johan. III. 35. Psalm. 8. v. 7. 1. Cor. XV. 27. 2. Corinth. IIX. 9. Hebr. II. 8.* Dona designat, qvibus nihil deest, & majestatem vere infinitam, qvam cum tribuat Christo secundum eam Naturam, qvâ potuit egenus esse, & ad tempus non usurpare datas divitias, & eam in tempore datam asserat, verbo ejus adhæremus, si docemus, Christo secundum humanam Naturam datam esse gloriam & majestatem infinitam.

VII. Qvarto Gloriam Christo datam esse, legimus *Matth. 16. v. 27. c. 24. 30. cap. 25. v. 31. Johan. 17. v. 5. Psalm. 8. v. 6. Hebr. 2. v. 7. Apocal. 5 v. 12. Johan. 1, 14.* qvæ 1. infinita & verè divina, qvia data est gloria Patris æterni, virtus magnâ & majestas, gloria qvæ fuit antè secula & dici potest gloria Unigeniti â Patre, virtus Opulentia, sapientia, fortitudo, honor, gloria & benedictio, qvæ vere æterno *Deo* tribuitur *Apocal. 4. v. 11.* 2. ad humanam naturam restricta, qvæ per *Filium hominis* & *Agnum occisum* evidenter exprimitur, 3. donata in tempore, ut *Johan. 17. & Psalm. 8.* inculcatur. Qvod si divinæ naturæ qvædam in tempore dari affirmes, Deum mutabilem & perficiendum statues, adeoqve magis Arrii & Mahomethi, qvam Christi eris discipulus.

VIII. Qvintò Paulus *Philip. 2. v. 9.* indicat 1. divinam increatamqve gloriam, per *nomen suprâ omne nomen*, cui omnes Creaturæ sunt subjectæ. 2. humanam naturam, juxtâ qvam Christus in tempore potuit exaltari, & ex gratiâ nomen aliqvod accipere; Habetur enim vox ἐχαρίσατο.

ANTITHESES.

I. Qvidam ex Pontificiis & Calvinianis concedunt, Christo esse infinita & increata dona in tempore data, negant autem data esse secundum humanam naturam, & vel secundum *Personam* vel secundum *Deitatem*, vel secundum *utramqve Naturam* data esse, contendunt. Vide *Sadeel de Ver. Hum. Nat. cap. 4. pag. l. 4. Martin. in defens. Sadeel. pag. 166. Polan. in Syntagm. lib. 2. cap. 31. Trelcat. in Loc. pag. 58. 59. Bellarm. l. 3. de Christo. cap. 15. Bezam. parte 1. Resp. ad Acta p. 96. 97. Massonium part. 2. Anatom. Univers. cap. 6. p. 334.* ubi longum Catalogum allegat suorum Asseclarum, qvi suâ ex opinio-

nione probârunt, Humanæ Naturæ non esse communicata divina Idiomata.

II. Alii ex Calvinianis & Pontificiis negant, præter dona habitualia & finita carni λογου esse communicata infinita dona, ut *Dana. in Exam. Chemnit. pag. 194. Beza in Colloq. Momp. pag. 221. 247. 265. Grundfest. p. 19. Staff. Buch p. 107. Martin. in Mentz. Artinuth. cap. 15. Masson. part. 2. Anatom. Univ. cap. 43 pag. 1644. Buss. adverss. Gerlach. p. 7. Greg. de Valent. tom. 4. disp. 1. q. 2. punct. 3. §. 4. 5. Becan. part. 3. Th. schol. tract. 1. cap. 7. q. 3.*

HYPOTHESES.

I. Non sunt confundenda 1. *Dans.* 2. *accipiens* 3. *donum. Hoc* est ipsa majestas & gloria: *Ille* est Christus secundum humanam naturam: *Iste* est tota S. sancta Trinitas. Quia Majestatis divinæ *dono* est â Patre, Filio & Spiritu S. sed ita, ut terminetur in Filio. qvemadmodum enim Incarnatio Verbi *inchoative* est â totâ Trinitate *terminativè* in solo Filio, ita etiam divinorum ἀυχημάτων communicatio â tota Trinitate inchoatur, in solo Filio terminatur. Relatio inter *Patrem dantem* & *Filium accipientem*, involvit in Filio humanam naturam, cum non agatur hic de illis, qvæ Filius Dei per generationem æternam â Patre accepit.

II. Ex dictis Esaiæ *cap.* 42. *v.* 8. *cap.* 48. *v.* 11. non sunt eruendæ conclusiones, qvæ negant, qvod affirmatur *Philipp.* 2. *v.* 9. Propheta ad Idolorum confusionem respicit; Idola autem cum Carne Christi absqve inligni impietate conferri neqveunt, cum hæc in Personam Filii Dei sit assumpta, illa nec de essentiâ, nec de Personâ communicant. *Distinguatur* etiam ἄλλο & ἄλλος, *aliud* & *Alius*: *Humana natura* est qvidem ἄλλο & *aliud* â Filio Dei, non autem *alius* καὶ ἄλλος, cum non sit distincta Persona â Personâ Filii Dei, & sic non *alteri Persona* datur gloria unigeniti â Patre; qvando datur carni, qvæ est una Persona cum unigenito â Patre.

III. Idiomata divina multiplicarentur si doceremus, Idiomata divina ex Deitate effundi in Carnem, & carni ἐνυπαρκτικῶς inhærere, qvod nostris in Scholis hactenus fuit rejectum.

IV. Photinianis non gratificamur, cum pro divinâ majestate carnis Christi pugnamus: Nam nullam aliam in Carne Christi

divinam agnoscimus majestatem, præter eam, qvam caro ab æterno â Filio Dei Patri ὁμοουσίῳ communicatam accepit: uti ergò asserens de corpore, qvod vivat, sentiat, moveatur, non negat, sed præsupponit, Animam vivere, sentire, moveri: Ita nos asserentes, carnem Christi divina fulgere gloriâ, non negamus, sed præsupponimus, cum carne personaliter illum esse unitum, qvi est verus æternus & naturalis Deus.

V. Axiomata Philosophica: (*Finitum non est capax infiniti*: *Propria non fiunt communia*; *Dici reqvirit inesse*) & *Philosophia* & *Theologia* nobis reconciliat: *Philosophia* docet 1. finitum non esse capax infiniti, *comprehensione qvantitativâ* & *Physica*. 2. Propria non fieri communia, ut *egrediantur sua subjecta*. 3. Dici reqvirere inesse non *unum* sed *multiplex*, cum multi sint modi inessendi. Ita explicata hæc axiomata nostram non lædunt thesin, qvâ docemus, finitum esse capax infiniti, non *comprehensione qvantitativâ*, sed *unione hypostaticâ*: propria communicari propter *subjectorum* συνδύασιν, & Carni inesse divina Idiomata non *subjectivè*, sed *hyperphysicè*. *Theologia* docet, dari finita; propria & prædicationes in statu non *physico* & *ordinario*, sed *hyperphysico* & *Extraordinario*, qvem Philosophorum non assequuntur speculationes, remittit itaqve Theologia dicta Axiomata ad proprium territorium & prima principia, qvæ sunt Exempla physica & ordinaria.

VI. Calumniis de proprietatum *confusione* & Naturarum *æqvatione*, nostræ Ecclesiæ tamdiu præter meritum gravantur, qvamdiu non probatur â parte Adversâ, illa propria confundi, qvorum unum est in subjecto πρώτως, ἀμέσως per *naturam*: alterum vero δευτέρως, ἐμμέσως & per unionis gratiam. Conter *Chemnit. I. de D. N. cap. 12.*

VII. Idiomatum divinorum ταυτότης non obstat Carnis Christi communicatæ majestati, qvia 1. In divinis non universaliter deprehenditur vera hæc Enunciatio: *Qvæ realiter unum qvia sunt, simul communicantur*: sic Hypostasis & essentia Patris sunt realiter unum qvid, & tamen sola essentia communicatur Filio & Spiritui S. non Hypostasis. Item licet proprietas personalis Filii non differat realiter â Persona Verbi, tamen non illa ut hæc dicitur communicata. Si ergo

go de communicatâ majeſtate ſint ſolida Scripturæ dicta, illa non negan-
da vel deferenda ideò, qvia nos intelligere non valemus, qvo-
modo qvædam Dei Idiomata potuerint communicari, qvædam
vero non? 2. Aliud eſt *poſſeſſio* Idiomatum; aliud *prædicatio*: Licet
enim non *prædicetur* de humanâ Chriſti naturâ, æternitas, immenſitas,
infinitas; tamen non ſeqvitur, qvod æternitatem, immenſitatem non
poſſideat & *habeat*: qvippè communicatam habet infinitam æternam
& immenſam Perſonam 3. utcunqve ſint in ipsâ Eſſentiâ Dei Idio-
mata Divina unum qvoddam ταυτὸ; tamen negare neqveunt ipſi
Adverſarii: alia eſſe ἐνεργήματα, alia ἀνενέργητα, qvæ utcunqve
in eſſentiâ Dei ſint operoſa & non otioſa, tamen κατ' ἔξω, ap.
creaturas, non operantur. Non igitur eſt, ut miremur, Carnem
dici *omnipotentem*, non *æternam vivificam* & non *infinitam*: qvia (1)
Scriptura Magiſtra eſt audienda, qvæ illa vult de carne enunciari
Idiomata, qvæ in Redemptionis opere exeruit aſſumpta humanitas.
(2) Æternitatem & infinitatem ap. creaturas nullo opere exerit
Caro, adeoqve ceſſat illorum idiomatum prædicatio, qvorum ceſſat
uſurpatio & operatio. Ut divina natura non ἁπλῶς omnibus per-
ſonis eſt communicata carni; ſed χριστικῶς certo charactere nota-
ta; ita etiam idiomata non *gignentis & procedentis*, ſed *geniti Dei*
ſunt communicata.

VIII. Abſurda, qvæ ex noſtrâ doctrinâ colliguntur, qvando in-
fertur 1. *Unionem eſſe datam ſecundum ſolam humanam naturam, ſi*
omnia in tempore data, ſint ſecundum humanam naturam data. 2. *Dei-*
tatem fore patibilem & mortalem, ſi caro dicatur, omnipotens & vivifica
3. *etiam proprietatem perſonalem Filii fore carni communem, ſi communicata*
ſit Filii majeſtas 4. *Humanam naturam fore Deum*, offerunt meros Pa-
ralogiſmos παρὰ τὸ ἐπόμενον: Nam 1. Unio non tam eſt in tem-
pore *data*, qvam *facta*, neqve de omnibus in tempore *datis* hic con-
trovertitur; ſed de illis *donis*, qvibus *majeſtas qvædam*, βελτίωσις
& ὑπερύψωσις carni obtigit. 2. Deitas qvia immutabilis & aſſu-
mens, in inferiorem ſtatum ita non deprimitur, ut in ſuperiorem
exaltatur Caro mutabilis, perfectione indiga & aſſumpta 3. cum de
communicatâ proprietate perſonali nihil doceat ſacra Scriptura, &
de communicata divinâ majeſtate plurima credenda tradat, hæc non

ideo sunt neganda, qvia ignoramus, qvomodo Persona divina cum totâ Deitatis plenitudine sit communicata, & non sit communicata characteristica proprietas. 4. Humana natura foret Deus, si per naturam, πρώτως & δι' αυτὸ possideret divina Idiomata.

IX. Majestatis divinæ Carni Christi communicatæ χρῆσις qvamvis non fuit in statu Exinanitionis, sed reservata Exaltationi ad Dextram Patris; tamen ab ipso Unionis momento, majestas divina Humanæ Naturæ â Verbo assumptæ fuit communicata, qvia 1. Inhabitare cæpit tota plenitudo Deitatis in Christi Humanitate, cum Deus factus est Homo. 2. Verbum particulariter in miraculis & aliis actibus per Carnem, Exinanitam adhuc & nondum exaltatam ad Dextram Patris, exeruit virtutem divinam *Matth. 9. v. 6. cap. 17. v. 2. Joban. 1. 14. cap. II. 11.* 3. Communicatâ divinâ Hypostasi & naturâ, simul communicata sunt Idiomata Divina. Vide *Gesn. de Pers. Chr. pag. 229. Gerh. d. l. §. 270. Feurborn. in συναγ. differt. 2. th. 10.*

X. Sicuti non imus inficias, Deum in S. Scripturâ describi, ut exaltatum per divini Nominis celebrationem, ita Testimonia de gloriâ, Christo Homini in tempore datâ non possumus intelligere de externâ manifestatione, qvâ Deitatis gloria Hominibus fuit patefacta: Nam 1. Christus per gloriam datam factus est melior *Hebr. I. 4* 2. plenissima manifestatio gloriæ subseqvetur demum in Extremo Judicio. *Hebr. II. 8. 1. Pet. IV. 13.* 3. manifestatio divinæ gloriæ ap. Homines non de solo Christo potest accipi, qvia & Patris & Spiritus S. gloria manifestatur hominibus. 4. Pater glorificat Filium ap. semetipsum. *Joban. XII. 28. XVII.* 5. Confer *Gerh. d. l. §. 208.*

XI. Filio Dei in tempore data est *Humana Natura*, dati sunt *Homines* qvi *servandi*, data est *dignitas officialis*: Sed his & similibus Exemplis non infringitur Regula Leonis. Epist. 4. ad Palæst. *Qvicqvid in tempore Christus accipit, id secundum Hominem accipit, cui qvæ non habet, conferuntur.* Nam 1. hæc Regula loqvitur de illis, qvæ afferunt ὕψωσιν vel βελτίωσιν. 2. Dicta allegata in thesib. non loqvuntur vel de humanitate â Christo assumptâ, vel de hominibus servandis, vel de dignitate officiali. 3. Homines ser-

servandi & officiales actus Christo dati sunt non in *tempore*, sed ab *aterno*, qvia Dei in Decreto ante mundi Constitutionem Christus constitutus est Salvator Humani generis. 1. Timoth. 1. 9. 1. Pet. 1. v. 20.

XII. *Simplicitas Essentiæ divinæ* in nullo Scripturæ Dicto opponitur Communicationi, qvâ humana Natura particeps facta divinæ majestatis. Credimus itaqve 1. *Simplicissimam esse Dei Essentiam, & attributa vel Idiomata DEI* qvatenus κατ' ἐξω considerantur in ipso DEO, *realiter non differre ab ipsâ Essentia DEI.* 2. *Divinam naturam & divina Idiomata Carni Christi esse communicata*: qvia utrumqve S. Scriptura affirmat. Rationem si hîc libet consulere, illa non magis admittet; Simplicissimam esse Dei essentiam, cujus idiomata sunt communicata Humanæ Naturæ, atqve admittit, Simplicissimam esse & numero unam Essentiam, qvæ est in tribus distinctis Personis. Opponat ergo *Massonius* suum Axioma ex Rationis dictamine depromptum, cui multum tribuit. *d. l. p.* 1646. *seqq.* Rationis discipulis, qvi illud duntaxat opinantur verum, qvod Rationi Consentaneum. In Fidei mysterio â Spiritu S. qvod revelatum, nullius terunnii æstimamus hanc Propositionem. *Cujus Essentia est Simplicissima absqve Idiomatibus, ejus Idiomatum Communicatio fieri non potest.* Si hic negatur simpliciter, DEO convenire Idiomata, S. Scripturæ verba negantur, si intelligantur Idiomata, qvæ ad intrâ realiter differunt ab Essentia, sine his esse divinam Essentiam, largimur, Consequentiam autem eam, qvam nectit Ratio, non tenemur concedere, qvia eam Spiritus S. doctrinæ adversari, novimus.

Qv. IX. *Estnè Humanæ Christi Naturæ Communicata Omnipotentia?*

THESES.

I. OMNIPOTENTIA, qvæ infinita Dei Virtus, Christi Humanæ Naturæ qvod, propter Unionem Personalem, communicata sit, svadent argumenta qvæ nostrates Theologi comportarunt *Marbach. de Majestate Carn. Chr. cap. 2. arg. 11. p. 147. Chemnit. l. de D. Nat. cap. 14. Gerlach. in Anti Dan. pag. 113. Mylius disp 13. in Form. Conc. cap. 6. Gesn. de Pers. Christi p. 152. Hutter. in L. Theolog. p. 163.*

Schrod.

Schrod. in Enchir. Theol. p. 133. *Mentz. in Anti Sad. pag.* 355. *in Anti Martin. p.* 459. *Gerh. in Exeg. L. IV. §.* 214. 216. 217. 230. *seqq.* &c.

II. S. Scriptura his suppeditavit medios terminos, qvibus Conclusio probanda nervosè elicitur. Nos hâc vice ea cum primis dicta repetemus, qvibus θεικῶς asseritur: Christi Humanitatem, ex Unione Personali, possidere & usurpare divinam increatam & infinitam potentiam, qvæ etiam de Christo Homine prædicatur. bili.

III. Tribuitur Christo potestas æterna *Dan. VII.* 14. potestas omnis in cælo & in terrâ. *Matth. XVIII.* 18. potestas omnis Carnis *Johann. XVII.* 2. Nulla autem potestas creata & finita & æterna omnibus in cælo & terra præsidens & omni Carni prævalens: Deo enim soli tribuitur potestas æterna *Rom. I.* 20. omnibus gentibus formidabilis, *Jerem. XXXIII.* 7. & potestas omnis Carnis *Num. XVI.* 22. *cap. XXVII.* 16. Hæc tribuitur Filio Hominis, qvi non est absqve humanâ naturâ, apparet Discipulis post Resurrectionem & glorificatus est in tempore: *Possessionem* evincit δόσις, *usurpationem* prædicatio.

IV. Adversariorum σοφιστικὰ qvibus Spiritus S. Verba corrumpunt, his conterimus Notis. I. Δύναμις & ἐξουσία non solum conjunguntur. *Luc. IV.* 36. *cap. IX.* 1. sed etiam ἐξουσία per δύναμιν explicatur, *Luc. XXII.* 69. *Act. IV.* 7. 10. 1. *Tim.* 1. 12. 2. *Tim.* IV. 17. Imò suptâ δύναμιν & ἐξουσίαν Christus elevatus. *Ephes.* I. 20. 1. *Pet. III.* 22. II. Potestas in cælo & in terrâ non potest esse finita, qvia additur vox πᾶσα: potestas in cælo & in terrâ limitata est, sed *omnis* potestas in cælo & in terrâ, illimitata, infinita & verè infinita est. III. Ad Imperium & dominium Mediatoris sufficere solam finitam potestatem, probandum est: Si solâ finitâ Virtute Mediator Dei & Hominum valuit expedire suum officium, frustrâ DEus factus est homo. IV. In dominio *mundano* interdum distinguitur ἐξουσία, *potestas, jus & Authoritas*, à δυνάμει & *potentiâ*. In *divino* autem Dominio, ratione hæc duntaxat distinguuntur & nunqvam divelluntur: In DEO enim nulla potestas & authoritas, qvæ destituta sit exeqvendi viribus, potentiâ & facultate.

V. De

V. De *virtute Creatâ*, qvæ major omnium Angelorum & Hominum virtute, de *potestate vicariâ* & *secundariâ*, qvæ Christo data in tempore Sociniani freqventer, libri biblici autem nunqvam loqvuntur.

V. Regimen Christi extenditur ad omnes Terræ Gentes *Psalm. II. 8. Psalm.* LXXII. 5. ad vivos & mortuos *Rom.* XIV. 9. ad omnia 1. *Cor.* XV. 27. *Ephes.* 1. 21. 22. *Philipp.* II. 9. Hujusmodi regimen præsupponit infinitam & increatam potestatem, qvia nulla finita potestas omnibus terræ gentibus, vivis & mortuis, omnibusqve creaturis imperat. Datum autem hoc regimen Christo secundum humanam Naturam, qvia 1. hæc furoribus gentium exposita *Act.* II. 26. 27. 2. in hac Christus Filius *David*, qvi Dominus in tempore factus *Act.* II. 36. 3. in hâc resurrexit & revixit, Patriqve subjiciendus est Christus.

VI. Opera divina, qvæ nulla finita creataq; potestas potest producere, Christo tribuuntur secundum humanam Naturam, qvæ obvia 1. in Θαυματοργίᾳ s. miraculorum operatione *Act.* X. 38. *Matth* IX. 20. 25. *Marc.* VII. 33. *Johann.* XI. 35. &c. 2. in generis humani Redemptione *Zach.* IX. 11. *Matth.* XX. 28. 1. *Pet. II.* 24. 3. in Vivificâ Virtute *Johan.* VI. 54. 55. Conferatur *v.* 51. cum v. 48. 50. & *Hebr.* X. 20. 4 in Ecclesiæ collectione *Esa.* LIII. 10. *Marc.* XVI. 10 *Ephes.* IV. 10. 11. 5. in Spiritus S. Effusione. *Johan.* XVI. 7. *Actor.* II. 33. 6. in Emundatione â peccatis & remissione peccatorum *Matth.* IX. 6. *cap.* XXVI. 28. 1. *Johan.* I. 7. *Hebr.* 9. 13. 14. 7. in mortuorum resuscitatione *Johan.* V. 28. 1. *Corinth.* XV. 21. 45. 8 in *administratione universalis judicii*. Johann. V. 26. 27. Matth. XVI. 27. c. XIX. 28. c. XXIV. 30. c. XXVI. v. 64. Act. XVII. 31.

VII Opera hactenus enumerata ab increatâ, infinitâ & divinâ virtute, qvæ Omnipotentia vocatur, emanare, Adversarii non diffitentur, qvi illa afferunt ut æternæ Deitatis infallibilia testimonia, cum Christi & Spiritus S. Divinam Essentiam evincunt. Qvod autem in citatis Dictis hæc enuncientur de Christo *secundum Humanitatem*, addiscimus 1. ex Historiâ Evangelicâ, qvæ describit Christi miracula & monstrat in miraculis agentem *Vocem*, *manum Carnem* & *Animam Christi humanam*. 2. ex pretio qvo sumus redempti, qvod in *Sanguine*, *Filio Hominis* & *Corpore humano* offertur. 3. ex *Carne*

Christi, qvæ *vivifica* pronunciatur. 4. ex *resurrectione* & *Exaltatione* ejus, qvi Ecclesiam gubernat & SpiritumS. effundit super Apostolos. 5. ex dilertâ Restrictione, qvâ potestas Judicium faciendi data legitur Christo, *qvia Filius Hominis est*.

VIII. Refugia Adversariorum qvam sint futilia, aperiunt hi Aphorismi I. Non qværitur; An tota Persona Θεανθρώπου opera divina exeruerit? sed An non etiam secundum humanam Naturam hæc opera effecerit? Hoc qvi negat, â Verbis Spiritus S. recedit, qvia ad Humanam Naturam nostram mentem revocant, ea, qvæ Christo Homini sunt propria. II. Instrumentum Verbi fuisse Humanitatem, eatenus concedimus, qvatenus intelligitur instrumentum σύνεργον non ἄνεργον, ὑποστατικῶς *unitum*, non separatum: Baculus Moysis, Canalis per qvam fluit aqva, &c. fuerunt Instrumenta ἄψυχα, ἄνεργα & â Personâ agente sejuncta. III. Caro Christi nec *meritoriè* nec *effectivè* esset vivifica, nisi vis vivifica Carni esset communicata; Ad vitam enim æternam acqvirendam & efficiendam nimium infirma est sola vis finita & creata, *si Psalmo XLIX.* 9. credimus: Scriptura ubicunqve de vivificatione loqvitur divinæ infinitæ virtuti eam vendicat: 1. *Sam.* II. 6. *Ps.* CIV. 3. *Actor.* XVII. 28. *Rom.* IV. 17. 6. VIII. 11. 1. *Corinth.* XV. 27. 2. *Cor.* III. 16. 1. *Timoth.* 6. 13. IV. Qvicqvid nos cibat & potat ad vitam æternam, illud verè & ἐνεργητικῶς est vivificum; jam Caro Christi nos cibat & Sangvis Christi nos potat ad Vitam æternam. E. Major non labefactatur, limitatione, *qvatenus Fide apprehenditur*: Hæc enim non tollit, sed præsupponit vivificam virtutem in Christi Carne: uti enim λόγος ad vitam æternam â fide non posset apprehendi, nisi esset vivificus essentialiter; ita nec Carnem Christi potest fides apprehendere, ut vitam æternam homo conseqveretur, nisi sit vivifica Personaliter. V. Sangvinem Christi *instrumentaliter* emundare â peccatis, scriptura non tradit; *Causa meritoria* nostræ justificationis non potest esse causa *instrumentalis*: Posito autem, qvod sangvis Christi sit Instrumentum Verbi, *modus agendi* alius in Verbo, alius in Carne, non autem *alia virtus agendi* in hâc, alia in illâ: Sic *Verbum* alio modo agit, qvando convertit animas, alio *Spiritus S.* & tamen eadem virtus in Verbo, qvæ in Spiritu S. qvi suam virtutem verbo communicat.

AN-

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1011896508/phys_0126
DFG

ANTITHESES.

I. *Bellarm. lib. 3. de Christo cap. 16.* denegat Humanæ Christi Naturæ. 1. Omnipotentiam. 2. Vim, qvæ emundat â peccatis. 3. Θαυματουργίαν. Consentit *Greg. de Valent. tom. 4. disp. 1. q. 13. Busæus in Apol. adv. Gerlach. c. 4. p. 66. Gretser. in Defens. Bellarm. tom. 2. col. 191.* &c.

II Omnipotentiam communicatam esse humanæ Naturæ in Christo negat *Beza in Coll. M. p. 262. Vol. 3. Oper. p. 126. 127. Admon. Neost. cap. 8. p. 255. Wendelin. lib. 1. Christ. Theolog. cap. 16. Sohn. in Exeg. A. Conf. p. 447 Alting. in LL. CC. p. 526. Syntagm. Confess. in Confess. palat. p. 208.*

III. Omnipotentiam humanæ Christi Naturæ datam describunt ut *virtutem creatam*, vel ut *omnium rerum Administrationem*, cui omnia suprema, media & infima subjecta, vel ut *potentiam*, qvæ major Angelorum & hominum robore, *minor autem nihilominus, qvam Dei Omnipotentia. Beza Vol. 3. op. p. 127. Adm. Neost. p. 274.* Grundf. Witteb. p. 18.

IV. *Masson. in Anatom. univ. tom. 2. pag. 945. cap. 13.* Christus redet nicht von der ewigen Gewalt / welche er mit dem Vater und H. Geist gemein hat / sondern von der Gewalt / welche ihm besonders als dem Mittler gegeben ist / nemlich die Sünde / Todt / Teuffel und Helle zu vertilgen / Gerechtigkeit und ewiges Leben wieder zu geben. &c. *paulo post pag. 947.* Christo der gantzen Person unseres Mittlers / welche ist wahrer GOtt und Mensch ist nicht die Allmacht / sondern alle Gewalt / Macht und Herrschafft gegeben / verstehe die Prophetische / Hohepriesterliche und Königliche Gewalt wie es der Apostel selbst auslegt / *Ephes. 1. 22. 23.* daß er zum Haupte der Gemeine über alles gesetzet.

V. Virtutem Verbi essentialem vivificandi humanæ Christi Naturæ Communicatam, negant *Admon. Neost. c. 8. p. 252. 373. Collocutor. Momp. ad th. 15. de Pers. Chr. Beza in Coll. Momp. p. 208. 270. 335. Vol. 1. op. p. 526. Vol. 3. p. 105. Petrus Martyr. in Dial. de Cor. Chr. p. 45. Danæus Cont. Chemnit. p. 305. 307. 338. Zanch. l. 2. de Incar. col. 187. Masson. in Anatom. Univ. tom. 2 cap. 6. p. 423.* Præcedente *pag. 422.* cum Hessiandro concedit Carnem Christi esse vivificam 1. *ratione Unionis*, qvia cum Verbo unita, 2. *ratione meriti*, 3. *respectu copulationis cum membris*, qvatenus credentes sunt viva Christi membra

VI. Beza *Vol.* II *op. pag.* 527. asserit: repugnare Brentium ex Diametro Cyrillo & omnium Orthodoxorum sententiæ, cum docear, Carnem Christi *remittere peccata virtute Divinitatis*, qvæ hoc donum Carni contulerit.

VII. In *miraculis*, & *resuscitatione mortuorum*, Carnem Christi duntaxat ea operatam fuisse, qvæ per vires Naturales operari valuit, Essentialem autem Dei Virtutem faciendi miracula ei non fuisse communicatam, multis Verbis satagit svadere *Masson. part.* 3. *Anatom. Universf. cap.* 3. *pag.* 33. *seqq.* ubi multos sibi contentientes allegat.

VIII. De *potestate judicium faciendi Christo Homini datâ*, ad ductum *Ursini*, *Neostadiensium & Dialogistæ Masson. par.* 3. *Anatom. Univ. cap.* 7. *pag.* 151. seqq. docet; Humanam Naturam sententiam pronunciaturam, divinam autem Corda & Conscientias exploraturam, sententiam prolaturam & exeqvutioni daturam. *pag.* 154. Daß des Menschen Sohn wird kommen und sitzen auf dem Stul seiner Herrlichkeit / daß Christus des Menschen Sohn wird mit seiner Stimme Todten auferwecken / und was desgleichen mehr von des Menschen Sohn gesagt wird / das alles wird von der gantzen Person / nicht aber von der Menschlichen Natur geredt &c.

HYPOTHESES

I. Humanam Christi Naturam factam esse Deum, vel Deitati exæqvatam esse, qvia facta est ex Unionis Personalis gratiâ Omnipotens, nullatenus docet Spiritus S. in Verbo suo; Inqvire igitur Originem hujus illationis, & Rationis humanæ discursum, dicta Scripturæ ὑπαλλήλα opponentem invenies, qvem si permittis, dimoveri â perspicuis Spiritus S. verbis, fidei Plerophoriam nunqvam concipies.

II. Si potentia, qvâ Christus administrat *Regium*, *Propheticum* & *Sacerdotale* officium, non est divina, æterna & infinita, Incarnationis mysterium evacuatur, & Fidei Christianæ arenosum fundamentum substernitur: Annon absqve Verbi incarnatione Redemptio nostra potuit absolvi, si finita & creata expeditum dedit Redemptorem potentia? Qvomodo subsistet illa Fides in luctâ adversus DEI Iram, peccatum, Sathanam, mortem & infernum, qvæ

qvæ solâ finitâ potentiâ Carnis qvâ facta est Redemptio humani generis, innititur?

III. Inepta est argumentatio, qvæ colligit: *Humanitatem Christi fore diversi generis â nostrâ Humanitate, si sit Omnipotens*; Uti enim *actu naturali* Christi humanitas nobis est ὁμοούσιος, licet *actu Personali* subsistat in Personâ æterni Filii Dei; ita *actu naturali* ejusdem generis est Christi Humanitas, qvoad Essentialia, utcunqve *actu personali* sit Omnipotens.

IV. Sicuti non seqvitur, Christum ἐνσαρκον solâ Deitate vivificare, qvia ἀσαρκος solâ Deitate vivificavit in V. T. ita inqvirendum curiose non est, qvomodo vivifica manserit Caro Christi in morte: Solutio *Unionis Naturalis* inter Animam & Corpus, non admittit qvidem χρῆσιν Virtutis ζωοποιητικης, in Humanitate Christi mortua; κτῆσιν autem ejusdem virtutis non sustulit, si simpliciter S. Scripturæ Verbis credimus, & Unionem Personalem morte non solutam concedimus.

V. Effundit Christus Spiritum S. secundum utramqve Naturam, qvia â divinâ Personâ procedit Spiritus S. & Personâ Filii Carni Christi est communicata; non autem ab ipsa humanitate procedit Spiritus S. qvia humanitas non mittit Spiritum S. ut *Persona divina*; sed ut *Natura in Personam divinam susceptа*.

VI. Communicatio Omnipotentiæ, Virtutis vivificæ, potestatis judicandi omnes Homines &c. qvam per *Unionem* describunt Calviniani, laqveus est, qvo illaqveantur Simpliciores: Nam non intelligunt eam Communicationem, qvâ Humana Natura particeps fit revera potestatis infinitæ, Virtutis vivificæ &c. sed respiciunt duntaxat ad Omnipotentem Verbi Naturam, cui Humanitas est unita, adeoqve Carnem Christi *verbaliter* vel *impropriè* dici omnipotentem, vivificam &c. sentiunt. Vide *Zanch. lib. 2. de Incarnat. col* 201. *Scarp. in cursu Theol. p.* 722.

VII. Qvo sensu Calviniani Humanam Christi naturam dicant λόγου *Instrumentum*, produnt Similia, qvibus Carnem Verbi conferunt *Baculo Moysis, pallio Eliæ* & *Sanctis*, per qvos Deus operatur. *Admonit. Neostad. pag.* 471. urget Instrumentum cui artifex non realiter communicat suas proprietates, nec personaliter est unitus, & tamen

ad omnia opera Artificis concurrit. Talia Instrumenta sunt ἄψυχα, & plane diversa ab Instrumento συνδεδυασμένῳ & συνέργῳ, qvale est Christi Humanitas. Confer *Meisn. part. 2. Phil. Sob. sect 2. cap. 1. q. 10.*

IIX. Omnipotentiam, qvæ respectu Objectorum & in comparatione cum Virtute in Creaturis, duntaxat sit infinita & immensa, non autem divina, æterna ac increata S. Scriptura & pia Antiqvitas ignorat. Ut unum Ecclesia orthodoxa semper credidit DEum, ita & unam infinitam Omnipotentiam: Inter *Creatum* & *increatum* nullum datur medium: Idcirco potentia, qvæ creaturarum potentia superior, & tamen increata non est, Ingenii humani Spectrum est.

Qv. X. *Estnè Animæ Christi Humanæ Communicata Scientia æterna ac infinita, qvæ vocatur Omnis scientia?*

THESES.

I. Filium Dei secundum Divinam Naturam cum Patre & Spiritu S. esse Omniscium & παρεδιεγνώσην, demonstravimus, qvando cum Socinianis pugnavimus, Humanam Animam Christi non carere infusa creata & habituali Scientia, ex dictis liqvet: Jam qværitur de Omniscientia Filio Dei propria, an Animæ Christi, vel Humanæ ejus Naturæ communicata sit, non per *subjectivam* & *formalem inhæsionem*, sed per *realem participationem*; *vi Unionis Hypostaticæ*, ut Anima Christi humana possideat & usurpet Omniscientiam, qvæ Idioma DEI increatum infinitum atqve æternum?

II. Affirmando responderunt Theologi nostri, & suæ Sententiæ solida fundamenta subjecerunt. *Chemnit. lib. de duab. Nat. in Christo cap. 21. Gesner. de Pers. Chr. cap. 9. p. 187. Hutt. in L. Theol. pag. 171. in Form. Conc art. 8. cap. 4. Kirchnerus* im Grundl. Ber. *pag. 44. Gerlach. in Anti Dan. p. 217. Schrod. in Enchirid. Theol. p. 1191 Gerh. in Exeg. L. IV. §. 215, Calovius in Exam. Syncret. Controv. 7. col. 810. seqq.*

III. Fluit horum Thesis ex perspicuis SS. Textibus, qvorum exetasin repetemus: De *Virgâ*, qvæ *egressa ex Radice jesse*, Esaias pronunciat, qvod super eam reqviescat *Spiritus Sapientiæ & intellectus, Spiritus Consilii & scientiæ, ut non secundum visionem Oculorum*

rum, nec secundum auditum aurium possit arguere & judicare in justitiâ Esa. XI. 2. 3. 4. Apostolus Paulus hæc explicat de *omnibus Thesauris* τῆς σοφίας καὶ γνώσεως, qvi in Christò ἀπόκρυφοι. Coloss. II. 3. Eruimus ex his verbis 1. *Omniscientiam DEO propriam*, qvia solus Deus novit omnia, & non indiget ut per visum vel auditum exteriorem experiatur qvicqvam, cum corda & renes scrutetur: Creata & finita scientia non absqve mendacii crimine, per *omnem Scientiam & Sapientiam*, multo minus per *omnes* Scientiæ & Sapientiæ *Thesauros* potest describi. 2. *Communicationem dictæ Omniscientiæ, cujus particeps est facta Humana Christi natura*, juxta qvam est *Virga de radice Jesse prodiens* & apta ut thesauri possint in eâ esse reconditi: Natura divina Christi dum est ipsa Omniscientia, in se non potest reconditos habere omnes thesauros Scientiæ & Sapientiæ: qvia illud qvod reconditum est, distinguitur ab eo, in qvo reconditum.

IV. Qvi Telum hoc eripere moliuntur, his retunduntur Aphorismis. 1. Relativum ἐν ᾧ in verbis Apostolicis, ut non ad proximum præcedens subjectum Χριστον, sed ad remotius μυστήριον referatur, nulla ratio ê visceribus textus deprompta nos cogit. II. In mysterio Evangelii latent qvidem thesauri scientiæ & Sapientiæ, sed non OMNES, qvia etiam in Lege Dei patefacta est Sapientia *Deut. IV.* 6. & multiplex est Sapientia, non revelata in Evangelio. III. In Evangelio annunciato in N. T. non *abscondita*, sed *patefacta* est DEi Sapientia, *Rom.* XVI. 26. *Tit. I.* 3. *Coloss. I.* 26. IV. Nullo de puro Homine omnes thesauri Scientiæ ἀληθῶς prædicantur, Idcircô de scientiâ qvam ex agnitione Christi hauriunt credentes, Apostolo non est Sermo. V. Infinita Scientia depingitur ut thesaurus *Rom.* XI. 33. Finita & Creata nusqvam. VI. Non sufficit nominare Christi Personam, cum explicandum subjectum, in qvo reconditi omnes Thesauri Sapientiæ & Scientiæ: Persona enim Christi Deus & homo est: In Deo nunqvam potest abscondi Omniscientia, in Homine autem potest abscondi, uti etiam in statu Exinanitionis, qvoad plenariam *usurpationem* fuit abscondita:

V. De Filio Dei incarnato attestantur Evangelistæ, qvod agnoverit Hominum τὰς ἐνθυμήσεις Matth. IX. 4. διαλογισμὸς cap. XVI.

XVI. 8. *Marc.* II 8. *Luc.* V. 22. c. VI. 8. c. IX. 47. τὰ διαλογισματα *Luc.* XI. 7. Interiorem animum τὶ ἦν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ *Johann.* II. 25. τὴν πίστιν *Joban.* VI. 46. Conferenda hæc dicta cum illis, qvibus de Prophetis & Apostolis legitur, qvod secreta, absentia & in animis Hominum recondita, ex *Dei* Revelatione cognoverint, ut Samuel 1. *Sam.* IX. 19. Elisæus 2. *Reg.* IV. 26. *cap.* VI. 12. 32. Petrus *Act.* V. 3. 9. *cap.* VIII. 21. & Paulus *Act.* XIII. 10. Horum Humanitas qvod personaliter Filio DEi non fuerit unita, in aprico est: Concedenda igitur Christi Humanitati præeminentia in Cognoscendis secretis & hominum cogitationibus, qvæ non apparet, si statuas, Animam Christi ex revelatione Verbi agnovisse arcana & cogitationes: Talis enim revelatio etiam Prophetis & Apostolis, obtigit, qvibus non per ὑποστατικὴν ἕνωσιν, sed per παράστασιν solummodo Deus fuit unitus: Infallibiliter hinc seqvitur: Humanam Animam personaliter DEi Filio unitam ex Omniscientiâ Verbi cognita habuisse, qvæ cognoverunt Prophetæ & Apostoli ex S. Spiritus assistente gratiâ: Hanc enim nunqvam distingues ab Unione Personali, nisi κοινωνίαν realem Idiomatum in dictâ Unione confitearis.

VI. Christo Homini datam esse *potestatem administrandi extremum judicium* th. 5. in q. præced. propalat: Ut Homo itaqve patefaciet κρυπτὰ τῦ σκότους καὶ τὰς βουλὰς τῶν καρδιῶν qvia Judici Universali hoc attribuit Apostolus 1. *Corinth.* IV. 7. Stabilit hanc illationem ipse Christus, qvi de se Filio Hominis mortuo & resuscitato affirmat, qvod sciat divitias interiores fidei, & Hypocrisin verbis non patefactam *Apoc.* II. 9. scrutetur renes & corda *v.* 23.

VII. Adversarii nil inveniunt, qvod opponant, præter Personam Christi, de qvâ hujusmodi dicta intelligenda credunt, non autem de Humana Naturâ: Sæpius autem responsum fuit; Personam Christi nos æqve intelligere, atqve illi; qvia autem illa denominatur ab humanâ Naturâ, hanc à participatione prædicati non patimur excludi, ut dictis Spiritus S. sua constet Veritas, qvæ evertitur per limitationem, qvâ Omniscientia ad solam Deitatem restringitur, qvia sola Deitas non est Filius Hominis.

AN-

ANTITHESES.

I. *Pontificii & Jesuwitæ* negant, Christum secundum Humanam Naturam sciviſſe arcana & cogitationes Hominum ex ſe & per Scientiam increatam ac infinitam, cum ſciverit ex dono DEI creato & finito, & impoſſibile ſit, ut creata natura aliter intelligat in ſe & per ſe, qvam per Scientiam creatam. *Gretſerus in tom. 2. Defenſ. Bell. col.* 192. 193. *Becanus parte* 3. *Theol. Schol. tr.* 1. *cap.* 9. *q.* 1.

II. *Calviniani* negant, Omniſcientiam divinam competere realiter Humanæ Chriſti Naturæ. *Admonit. Neoſtad. cap.* 3. *p.* 95. *Colloq. Momp. p.* 304. *Bucan. Loc.* 38. *q.* 7. *Polan. l.* 6. *Synt. cap.* 15. *Cham. lib.* 4. *panſt. c.* 10. §. 23.

HYPOTHESES.

I. Profeciſſe Chriſtum in Scientiâ *Luc. II.* 52. ipſimet confitemur, & nihilominus theſibus noſtris patrocinamur: Nam Spiritus S. in Animâ Chriſti rationali duplicem oſtendit Scientiam 1. ἑκτικὴν, *habitualem & finitam*, qvâ profecit. 2. ὑποστατικὴν & *Perſonalem*, â λόγῳ *Communicatam*, qvæ in ſe & ratione *poſſeſſionis* non fuit aucta, in ſtatu autem Exinanitionis qvoad *Exercitium* & ratione χρήσεως incrementa ſumpſit. *B. Luth. in Poſt. Eccl. in Evang. Dom. poſt. Chriſti Nativ. part.* 1. *pag. m.* 143. Wir ſollen die Wort Lucä aufs aller einfältigſte verſtehen/ von der Menſchheit Chriſti/ welche iſt geweſen ein Handgezeug und Haus der Gottheit / und ob er wol voll Geiſtes und Gnaden iſt allezeit geweſen/ hat ihn doch der Geiſt nicht alle zeit bewegt / ſondern jetzt hiezu erweckt / jetzt dazu/ wie ſich die Sache begeben hat. Alſo auch ob er wol in ihm geweſen iſt von Anfang ſeiner Empfängniß / doch gleich wie ſein Leib wuchs und ſeine Vernunfft zunahm natürlicher Weiſe / als in andren Menſchen/ alſo ſenckete ſich auch immer mehr und mehr der Geiſt in ihm / und bewegte ihn je länger je mehr ꝛc.

II. Ignorantia Chriſti Animæ competit 1. in *actu naturali*, ratione ſimplicis ἕξεως, non ratione pravæ διαθέσεως, qvalis eſt in nobis peccatoribus. 2. in *Statu Exinanitionis*, qvo univerſaliter, & omni tempore λόγος in aſſumptâ Carne non exervit

Omniscientiam communicatam, unde etiam diem & horam extremi Judicii modo hactenus declarato ignoravit *Marc. XIII.* 32.

III. Mirari non scrutari licet, qvomodo in Omniscientiâ Christi cessante *actu secundo*, maneat *actus primus*: Ab exercitio nostræ Scientiæ ad exercitium Scientiæ divinæ in Christi Carne, non valet conseq. Nec Naturæ humanæ eadem in Christo ratio, qvæ divinæ; *hæc* enim omnis Exinanitionis & κενώσεως expers, non *illa*.

IV. Tegunt Calviniani suum virus Lutheranâ sub lingvâ, cum prætendunt 1. Christi Humanitati nihil ignotum esse; qvia hoc non de *omnibus*, sed de iis solummodo, qvæ ad *Christi officium* spectant intelligunt. *Admon. Neostad. p.* 82. 2. Christi Scientiam secundum Humanam Naturam excedere omnem Scientiam Angelorum & Hominum; & tamen denegant Christo Scientiam infinitam & divinam, & omnia Deitatis mysteria Christum *Hominem* scire, docent, qvæcunqve & qvousqve per notitiam, ideam & similitudinem sui CREATAM repræsentari possunt. *Admon. Neost. p.* 88. 3. In Christi humanâ Naturâ esse Scientiam incomprehensibilem, qvam scil. nec Angeli nec *Homines* possunt comprehendere. *Adm. Neost. d. l.* 4. Christo competere secundum humanam Naturam, Scientiam infinitam; Nam hanc accipiunt de Scientiâ *in respectu ad Objecta*, qvæ licet infinita sint, finitam tamen & creatam Scientiam Christi *Hominis* non effugere, dictitant. *Johann. Bergius in disp. Analyt. th.* 236. *seqq.* 5. *Hominem* Christum fuisse καρδιογνώστην, scil. qvatenus ejus Animæ Cogitationes â Verbo revelatæ, vel qvatenus has in λόγῳ ceu speculo Anima aspexerit. 6. Animam Christi scientiâ plenissimam fuisse, per lumen immediatè ac personaliter participatum â Divinitate; & tamen negant, Omniscientiam qvæ *DEI* proprietas, Carni Christi esse communicatam *Walæus in L. CC. pag.* 706. *Maccov. in Colleg. de Mediat. disp.* 5. *p.* 276. *in L. C. disp.* 33. *p.* 273.

V. Sapere si non placet ultrâ id, qvod Deus patefecit, reprimendæ sunt subtiles dissertationes de 1. distinctis & successivis cogitandi actibus, sive ideis, sive speciebus intelligibilibus, qvibus Christus secundum Creatæ mentis proprietatem omnia sciat,

sciat, qvæ fuerunt, sunt, & futura 2. Scientia beatæ Visionis, qvâ Christi Anima perfectissimè cognoscit DEI Essentiam, nec tamen omnia qvæ sunt in DEO cognoscit. S. Scriptura de his qvæstionibus nihil definit, præstat igitur de illis tacere, qvam disserere, ne mens divagetur ab ædificante doctrinâ S. Spiritus ad speculationes otiosas & neminem in fide ac pietate ædificantes.

Qv. XI. *Annon Humanæ Christi Naturæ Communicata est â λόγῳ Majestas Omnipræsentiæ?*

THESES

I. OMnipræsentiam Dei distinxerunt Recentiores Theologi in *Simplicem* & *modificatam*: *Illam* per ἀδιαστασίαν vel propinqvitatem ap. Creaturas; Hanc per ἀοιαστασίαν certâ operatione modificatam, definierunt. Vide *Phil. Nicol. l. 2. de Omnipræs. cap. 2. pag. 311. D. Mentz. in just. Defens. pag. 30, 31. Apolog. Decis. Saxon. p. 350. D. Feurborn. in συναγραφ. p. 292, 233. in Κενωσιγρ. sect. 7. cap. 1, 2, 3, 4. Gerh. in Exeg. L. IV. §. 118.*

II. Utramqve tam *simplicem*, qvam *modificatam* Omnipræsentiam â λόγῳ Humanitati assumptæ communicatam, ut Humanitas Christi sit Omniprælens, non per diffusionem, expansionem, vel qvamvis aliqvam rationem physicam; sed per divinam majestatem qvæ in Unione Personali data, & in Sessione ad dextram Dei plenariè usurpata fuit, credere nos cogunt argumenta, qvæ adduxit *Luth.* im Buch daß die Wort noch fest ꝛc. *tom. 3. Ibem. germ. fol. 390. seqq. tom. 7. Witt. lat. fol. 391. seqq.* im Bekänntniß vom Abendmahl *tom. 3. Ibem germ. fol. 500. seqq. Brent. de Majest. Carn. Christi tom. 8. pag. 909. seqq. de Incarnat. p. 1067. seqq. Wigand. in meth. de Omnip. p. 38. Osiand. in tr. de Omnip. p. 79. & 118. Kirchn.* im Grundl. Ber. *p. 48. 57. Chemnit. l. de D. Nat. cap. 28. 29. Tubing. cont. Brevens. p. 135. seqq. p. 403. seqq. D. Hunn. tom. 1. op. col. 207. D. Mylius Disp. 13. in Form. Concord. cap. 5. D. Philip. Nicol. l. 2. de Omnipræs. cap. 3. D. Gesn. in lib. de Pers. Christi cap. 8. p. 169. Hutt. in L. Th. p. 180. seqq. Mentz. in Anti Sad. c. 4. & in Anti Marc. passim. Schrod. in Ihrono & Scept. Reg. item in Enchirid. p. 121. Gerh. d. l. p. 219. seqq. & c.*

III. Omnipræsentia Carnis Christi *Simplex* qvomodo roboretur Scripturæ Dictis, vidimus suprâ *cap. 2. q. 6. Modificata* vel *generalis* est, qvâ sustentantur & gubernantur omnes Creaturæ: vel *Specialis*, qvâ Christus Homo operatur apud Creaturas 1. *gratiosè*, in Cætu Sanctorum, qvi militant in terris. 2. *gloriosè* in Cætu Beatorum, qvi triumphant in cælis. *Gloriosa* Christi Hominis præsentia in Cælo Beatorum, versatur extrâ litem, Controversa autem est 1. *majestatica & universalis*. 2. *gratiosa & particularis*; qvomodo utramqve asserant S. Spiritus Eloqvia, aperiemus breviter.

IV. Christus stans apud Nicodemum in terris de se ut Filio *Hominis* testatur, qvod tunc, cum stetit in terris, fuerit in cælis: Uti autem Deo proprium est, præsentem esse in cælis & in terris. *Esa. LXVI. 1.* ita Filius hominis designat Humanam Christi Naturam, ut Simplicissimè Christi verbis credat, qvi credit, Christum secundum humanam Naturam fuisse Omnipræsentem, cum fuit præsens in cælo & in terrâ, uno eodemqve temporis momento.

V. Non infringit hanc illationem 1. *Zwingliana* ἀλλοίωσις, qvia nullo verbo indicat Salvator, se de solâ Deitate loqvi, cum loqvitur de Filio *Hominis*. 2. phrasis, *venire de cælo*, competens Christo secundum Divinam naturam: Uti enim *venire de cælo*, indicat Incarnationem, qvæ est Dei, non *Hominis*; ita τὸ *esse in cælo* incarnationem præsupponit, cum prædicatur de Filio *Hominis*: *Ante* incarnationem non potuit esse Caro, ubi est λόγος, qvia fuit λόγος ἀσαρκος; verum *post* incarnationem non potest non esse Caro, ubi est λόγος, qvia λόγος [illegible] 3. Status Exinanitionis, qvo non omnis operatio [illegible]tis majestatis fuit subtracta, sed duntaxat p[illegible]aria & [illegible]ns: Ex dicto allato non plenariam usurpationem, [illegible]em & particularem *usurpationem* Omnipræsentiæ Universalis evincere conamur.

VI. Apostolus *Paulus Ephes. IV. v. 10.* docet: Christum secundum *Humanam* Naturam esse omnipræsentem in toto mundo, qvatenus eum regit & gubernat: Qvod ut ex verbis Apostolicis addiscas, notabis 1. πλήρωσιν πάντων, qvæ generalem Dei præsentiam designat *Jerem. XXIII. 24. Sap. I. 7.* 2. *Humanam* Christi natu-

naturam, denotatam per aſcenſum & deſcenſum, hoc eſt per Exinanitionem & Exaltationem.

VII. Allatrant non mordent Apoſtolici Textus expoſitionem Adverſarii; qvatenus 1. ad *Perſonam* reſtringunt prædicatum, qvod Apoſtolus Perſonæ ſecundum humanam Naturam attribuit: Perſona enim Exinanita ceu deſcendens in inferiores terræ partes, & exaltata ſuprâ omnes cælos eſt Perſona Chriſti, ſecundum humanam naturam. 2. Impletionem Omnium fingunt, in textu non radicatam: Non enim locum hic invenit *terminus Converſationis terrenæ*, qvi nullibi in S. literis impletio omnium vocatur; non *impletio vaticiniorum*, qvia ex parte Vaticinia Prophetica ante Chriſti aſcenſionem fuerunt impleta; ex parte demum in Extremo judicio adimplenda *Act. III.* 21. vel *Donorum Spiritualium effuſio*, qvam Apoſtolus *v.* 11. ex hâc impletione, tanqvam Conſeqvens ex antecedente colligit, nec additur vox *donum* ut *Coloſ. 1. 9. Philipp. 1. 4. Non ſucceſſiva omnium locorum impletio*, qvæ nullibi ut conſeqvens, Aſcenſionis in cælum deſcribitur. 3. Univerſale præſentiæ generalis exercitium confundunt cum ejusdem poſſeſſione, propter hanc non opus erat Aſcenſione in cælum, ſed propter illam, uti ſeqvens docebit Controverſ.

VIII. Seſſio ad Dextram Dei Patris, cum deſcribitur ut univerſale Regimen ſuper totum terrarum orbem 1. *Corinth.* 15. *v.* 25. *Epheſ. 1. v.* 21, 22. *Pſ. 8. v.* 5. *Pſ.* 72. *v.* 8. 9. *ſeqq.* *Philipp. 2. v.* 5. *ſeqq.* & dominium in medio Inimicorum *Pſ.* 110. *v.* 3. *Actor.* 2, 25. *ſeqq. v.* 33 *ſeqq. &c.* Spiritus Dei Indicat. 1. *Univerſalem mundi gubernationem*, qvam vulgo tali verſiculo declarant: *Enter præſenter Deus hic & ubiqve potenter.* 2. *humanam Chriſti naturam*, juxta qvam qvod ad dextram Dei ſedeat, ſuo loco evincetur. 3. *Omnipræſentiæ de Chriſto homine veriſſimam prædicationem*, qvæ fluit ex hoc Syllogiſmo: *Qvicunqve ſedet ad dextram Dei, ille Omnipræſenter & omnipotenter omnibus creaturis dominatur*, uti patet ex dictis citatis. At *Chriſtus ſecundum humanam naturam ſedet ad dextram Dei*, uti ſeq. Controverſ. σὺν Θεῷ probabitur. E. *Chriſtus ſecundum humanam naturam omnipræſenter & omnipotenter omnibus Creaturis dominatur*, & per conſeqvens, poſſidet & exercet ſecundum humanam naturam, generalis Omnipræſentiæ majeſtatem, qvæ, dum prædicatur, ut vidimus,

possessionem & *usurpationem* præsupponit : qvomodo explicandum sit argumentum Cripticum : *Dextra Dei est ubiqve, Christus homo sedet ad dextram Dei* E. *est ubiqve* ; explicavit *Dn. D. Meisn. part.* 1. *Philosoph. sect.* 1. *cap.* 6. *q.* 2.

IX. Gratiosa Christi hominis præsentia probatur, promissionibus Christi *Matth.* 18. *v.* 20. *cap.* 28. *v.* 20. in qvibus loqvitur Christus 1. ut θεάνθρωπος & λόγος incarnatus. At *Joh.* 8. *v.* 58 de se loqvitur, uti *extitit antè Abrahamum*, qvando non ἐνσαρκος; sed adhuc fuit ἄσαρκος. 2. *secundum utramqve naturam*, uti & textus συνέχεια & modus præsentiæ ad officium Christi pertinens, evincit. 3. de *præsentiâ verè divinâ*, qvâ non solo Spiritu, sed etiam substantiâ Ecclesiam regit in omni loco, ubicunqve fuerint fideles usqve ad consummationem seculi. 4. de *dicta præsentia possessione & usurpatione*, qvam non ex toto, sed ex parte saltem Status Exinationis impedivit; Unde prædicari de humanâ naturâ Christi ab ipso Unionis Hypostaticæ initio potuit.

X. In Institutione Sacramenti Altaris *Matth.* 26, 26. *seqq. Marc.* 14. 22 * *Luc.* 22, 19. 1. *Corinth.* 11. *v.* 24. 1. *Johann.* 5. *v.* 8 His in dictis urgeatur 1. *divina & infinita præsentia*, sine qva si fuisset Christus, toti Ecclesiæ per totum mundum dispersæ sui communionem promittere non valuisset. 2. *Humanæ naturæ substantialis præsentia*, qvam Christus perspicuis verbis ostendit, qvando Ecclesiæ cum pane corpus manducandum, cum vino sangvinem bibendum legavit. 3. *gratiosæ præsentiæ prædicatio*, de humanâ Christi Naturâ, qvæ colligitur tali Syllogismo. *Cujus corpori & sangvini tribuitur præsentia Sacramentalis, & substantialis, illius humanæ Naturæ tribuitur præsentia gratiosa in Ecclesia.* At *Corpori & sangvini Christi tribuitur in allatis dictis præsentia Sacramentalis & substantialis.* E.

XI. Apparuit Christus & præsens fuit, post ascensionem in cælum 1. *Paulo* in via Damascena *Actor.* 9. *v.* 17. in Corintho *Actor.* 18. *v.* 9. 10, in castris *Actor.* 23. *v.* 11. 2. Johanni *Apocal.* 1. *v.* 13. Hæ apparitiones uti non fuerunt mera φαντάσματα; sed vera ὁράματα; ita illustria dant testimonia, de præsentiâ gratiosâ divinâ, qvâ θεάνθρωπος secundum humanam naturam post ascensionem in cælum suis fidelibus fuit præsens in terris,

Argumentum potest esse tale. *Quicunqve post ascensionem in cœlum ut homo præsens fuit fidelibus in Ecclesia militante, ille ut homo non obstante ascensione, potest esse gratiosè præsens Ecclesiæ militanti in terris.* At prius de Christo homine verum. E. & posterius. Confirmatio Minoris facilis est, si modo constet: Christum secundum humanam naturam præsentem, fuisse Paulo & Johanni. Notetur igitur 1. humanæ naturæ *Nomen* in Apocalypsi. 2. *præsentiæ modus*, qvi ad officium adeoqve ad utramqve Christi naturam pertinet. 3. *totius Christi descriptio*, qvæ tollitur, si Christus secundum unam naturam præsens dicatur: Etsi enim totum absqve separatione, secundum unam partem, possit *agere vel pati*, non tamen secundum unam partem, absqve separatione, potest *adesse*.

XII. Dicta, qvibus Christus Ecclesiæ caput salutatur, *Ephes.* 1, v. 22. *Coloss.* 1. v. 18. *Ephes.* 5. v. 24. intelligenda 1. de *humanâ etiam Christi naturâ*, partim, qvia per collocationem ad Dei dextram constitutus dicitur Christus Ecclesiæ caput, partim qvia capitis & membrorum ὁμογένεια, qvam Paulus *Eph.* 5, 24. monstrat, prorsus interiret, si saltem secundum divinam naturam Christus esset Ecclesiæ caput. 2. de *præsentiâ divinâ gratiosâ*, qvâ solâ regi possunt omnes Ecclesiæ. 3. de *præsentia non solius Spiritus; sed etiam substantiæ*: qvippè Spiritum suum fidelibus largitur Christus, non *absens*; sed *præsens*, & monstrosum prorsus esset caput, qvod solo suo Spiritu adesset membris, substantia suâ per διαστήματα locorum exclusâ. 4. de *præsentiæ* κτήσει & χρήσει, qvam Capitis officium reqvirit & prædicatio exprimit.

ANTITHESES.

I. Pontificii Doctores unanimiter docent; Ubiqvitatem Corporis Christi repugnare 1. scripturæ dictis, qvæ testantur, Christum Hominem ratione Humanitatis alicubi non fuisse, 2. articulis Symboli, de Christi Conceptione, Nativitate, morte, sepulturâ &c. *Bellarm. lib. 3. de Incarnat. cap. 11, 12. Becan. par. 3. Th. Schol. tract. 1. cap. 7 q. 4 Busæus adv. Gerlach. p. 142, 201, 216.*

II. Calviniani in publicis confessionibus Doctrinam nostram de Omnipræsentia Christi Hominis virulentis convitiis proscindunt, & pertinaciter negant; Humanam Christi naturam esse ubiqve

&c

& in terris adhuc præsentem, cum sine manifestâ & horrendâ idololatriâ in ullo alio loco, qvam suprâ in cælis â nobis per preces & invocationem nostram qværi & tanqvam corporaliter præsentem adorari non possit. *Syntagm. Confess. art.* 11. *pag.* 34. *p.* 208 209. *Admonit. Neostad. cap.* 8. *pag.* 265. Glaubens Bekänntnis der Reformierten Kirchen pag. 21. Staff. Buch p. 118. *Masson. tom.* 2. *Anatom. Univers. cap.* 19. *pag.* 1121. *cap.* 20. *p.* 1155. *cap.* 24. *p.* 1327.

III. D. *Hesshusius*, D. *Hofmannus* & alii Theologi Helmstadienses negarunt, Christum secundum Humanæ Naturæ Substantiam universaliter præsentem esse omnibus Creaturis, & asserverunt, Christum Hominem in Ecclesiâ gratiosè in S. Cænâ autem Sacramentaliter adesse, qvia promiserit his in actibus & Locis suam præsentiam. Vide Bericht von dem *Colloq* zu Qvedlenburg. *Apolog. D. Hoffmanni pag.* 53. *seqq.* *Acta* zum *Concord.* Buch gehörig zwischen den Braunschweig. und Wyrtemb. *Theol. Hesshus. de Cœnâ pag.* 184.

HYPOTHESES.

I. Ubiqvitatem Antagonistæ damnant, qvam nec D. Brentius nec D. Jacobus Andreæ, nec ullus alius γνησιος Lutheranus Theologus unqvam defendit: Semper hi Majestatem eam, qvâ Filius *Dei* & *Dextra* Dei per naturam est Omnipræsens, docuerunt, communicatam & ex gratiâ collatam Humanæ Christi Naturæ, ut hæc sit Omnipræsens, qvia in Filii DEi Personâ subsistit & ad Dextram Dei sedet: Uti jam nemo piorum & Credentium adeò stupidus & rerum divinarum imperitus, ut credat, Personam Filii DEi, & Dextram infinitam DEi Patris includi omnibus locis, omnibus herbis, omnibus animalibus, omnibus ædificiis, omnibus doliis, Cupis, cistis &c. extendi per omnia loca, diffundi per totum Orbem &c. ita Ubiqvitatem, qvam objiciunt Adversarii in nostrâ non inveniunt Doctrinâ, qvâ propugnamus Omnipræsentiam, illocalem & majestaticam, multis terminis naturæ vel Loci definitam. Progressum localem, præsentiam localem & certum ϖ̃ in Cælo beatorum Christo non denegamus, si consideretur ejus Humana Natura in actu naturali: Interim, qvia Scriptura eidem Naturæ attribuit actum personalem, & sessionem ad Dextram

Dei

Dei Patris, non subtrahimus Omnipræsentiæ majestate n humanæ Christi Naturæ qvia Scriptura in actu personali & Sessione ad *D*extram Patris æterni huic illam adjudicat.

II. Qvæ testimonio *S*ensuum constare possunt, ut miracula & πραχθέντα Christi in visibili conversatione cum Hominibus obvia, fides munitur sensuum testimonio, & de his intelligenda *D*icta Johann. III, 11. Act. X. 40. 1. Corinth. XV. 5. Luc. I. 2. I. Johan. I, 1. Multa autem credenda, qvæ sensibus non subjecta Johan. XX. v. 29. & his etiam annumeranda Omnipræsentia Christi Hominis, qvæ oculis manibusqve non obvia, qvia non est præsentia physica, visibilis, localis & humana, sed Præsentia *H*yperphysica, invisibilis, illocalis & divina.

III. Omnipræsentem non posse esse, Christi Humanitatem, nisi sit ipsa Deitas, Ratio humana sibi imaginatur, cum cogitat de Essentiâ Dei infinitâ & immensâ, qvæ Omnipræsens: Utcunqve autem noster intellectus non percipiat, qvi Caro Christi sit Omnipræsens, cum non sit ipsa Deitas infinita & immensa, num ideo deserenda Dicta Scripturæ, qvæ *H*ominem Christum Omnipræsentem fatentur non per Essentiam, sed per Unionis Personalis & Exaltationis gratiam.

IV. Uti humanitatis *simplex* præsentia & παρουσία ap. Creaturas rectissimè adstituitur in distante unione λόγου & humanitatis; ita præsentia *modificata* & παρουσίας τρόπος non ex solâ Unione personali, sed simul ex promissionibus Christi & aliis scripturæ dictis est eruenda.

V. Qvando nostrates Theologi scribunt: carnem Christi *substantialiter* esse præsentem, non notant præsentiæ *modum*, sed præsens *objectum*, qvod non est sola Deitas, sed λόγος & caro: sic qvi cum *Gerhardo* negant: Carnem Christi Essentialiter esse Omnipræsentem, attendunt, *modum*, non *Objectum*.

VI. Etsi caro propter unionem cum λόγῳ sit *omnipræsens*, tamen non est *æterna* & *infinita*; qvia aliud est Verbi *præsentia*, aliud *essentia*. *Hujus* respectu multa prædicantur de Verbo, qvæ non prædicantur de assumpta carne; *illa* autem de carne & λόγῳ prædicanda nisi ipsa Unio sit solvenda; Sic ratione *præsentiæ*, qvicqvid prædi-

catur de Animâ unitâ cum corpore, prædicatur de corpore, Sic anima unita cum corpore est Viennæ in Austria, Romæ in Italiâ &c. necesse est, & corpus ibi adesse. At ratione *essentiæ* multa prædicantur de Animâ, qvæ prædicari neqveunt de corpore, qvod nunqvam est invisibile, Spirituale, impartibile &c.

VII. Ad dicta, qvæ de Christi *abitu* & *reditu* loqvuntur, notetur; Unam eandemqve substantiam uno *modo* præsentiæ posse abire redire, discedere &c. cum alio *modo* præsentiæ non abeat, redeat, discedat. &c. Sic Dominus non erat in Spiritu, commotione, igne 1. *Reg* 19. *v.* 11. 12. videlicet eo præsentiæ modo, qvo præsens erat in sibilo auræ tenuis *v.* 13. qvis autem nullo plane modo Deum præsentem fuisse in Spiritu, commotione & igne, credet? Nemo sanè, qvi Omnipræsentiam *Dei* perspectam habebit. Sic Spiritus S. præsens fuit in columbâ ὁ σωματικῶς *Johan.* 1. *v.* 32, 33. & in vento ἀκουστικῶς *Actor.* 2. *v.* 2. qvibus sane modis in toto mundo qvod fuerit præsens Spiritus S. dici neqvit. Qvid? qvod Christus ipse de se testetur *Luc.* 24. *v.* 44. Se posse *uno modo* adesse, *qvo* non adsit semper. Loqvitur enim d. l. de præsentiâ præteritâ, qvâ se præsentem fuisse dicit, & tamen non negat, se adhuc Discipulis, qvibus adstabat, esse præsentem: qvæ duo conciliari neqveunt, nisi admittantur distincti præsentiæ modi. Ita etiam abire discedere, abesse legitur Christus *visibiliter* & *localiter*; non autem tollitur præsentia ejus *illocalis* & *invisibilis*.

VIII. Qvi opponunt Christi *ascensionem in cælum*, *reditum ejusdem ad judicium*, & *veritatem humanæ naturæ*, nunqvam se purgabunt â παραλογίσμῳ παρὰ τὸ ἐκτὸς, nisi validam rationem dederint hujus consequentiæ. *Qvicunqve verè ascendit in cælum, redibit ad judicium & verus naturalis est homo, ille nonpræsenter gubernat mundum & Ecclesiam*: Hanc consequentiam non ex scripturæ promptuario, sed cæcæ rationis ergastulo fuisse depromptam, inde patet, qvod Scriptura utraqve de Christo affirmet, qvorum unum alteri dicta Consequ opponit.

IX. Non necesse est, ut corpus semper *sit in loco*, qvod est *locabile*, uti nec semper *videt*, qvi *visibilis*, nec semper *videtur* vel *palpatur*, qvi *visibilis* & *palpabilis* est; Propria enim in *actu primo*

πο & *δυνάμει* non *actu secundo* & *ἐνεργείᾳ* sunt maximè propria.

X. Esse *visibile* & *invisibile*, dicitur de creaturis *σχετικῶς* & relate: sic Samaria *in se* erat visibilis, sed *Syris* invisibilis 2. *Reg.* 6. Exercitus Igneus *Elisæo* visibilis, *puero* autem ejus invisibilis 2. *Reg.* 6. *v.* 17. Corpora glorificata invisibilia sunt *nostris*, non v. *glorificatis* oculis.

XI. Jesus non erat in sepulchro, sed *mortuus*, qvem qværebant mulieres postqvam resurrexerat *Matth.* 28. *v.* 6, *Marc.* 16. *v.* 6. *Luc.* 24. *v.* 5. non semper mansit apud Discipulos, sed ita ut *manserunt pauperes Matth.* 26. *v.* 11. non fuit in eo loco, qvo qværebatur â turbâ, sed ita, ut *â turbâ potuisset videri Johann.* 6. *v.* 24. non fuit Bethaniæ, sed eo modo, *qvo ad eam abiit*, non est super terram *Hebr.* 8. *v.* 4. sed ut *terreni sacerdotes*, *secundum ordinem Aaronis & legem mandati carnalis*, uti patet ex *cap.* 7. *v.* 16.

XII. Omnipræsentia Carnis Christi non evertit Sacramentalem præsentiam in cœnâ. Etsi enim Caro Christi *generaliter* cuilibet pani sit præsens, tamen *Sacramentaliter* non nisi illi pani est præsens, qvi secundum Institutionem Christi distribuitur & manducatur in commemorationem mortis Domini.

XIII. Consensus Lutheranorum & Reformatorum Theologorum in Dogmate de Omnipræsentiâ Carnis Christi non est Syncerus, candidus & *ἀνυπόκριτος*, si Reformatorum pronunciata prudenter dijudicentur. *Thomas Mortonus*, *Episc. Dunelmensis* in Angliâ Anno 1640. luci exposuit *Decisionem totius Doctrinalis Controversiæ*, *de Eucharistiâ*, & nostros Theologos sibi & aliis Reformatis Theologis applaudere, statuit *part.* 1. *cap.* 2. *sect.* 3. qvia admittunt 1. Humanitatem Christi non *Essentialiter* & actu naturali, sed *personaliter* esse ubiqve. 2. Humanitatem non *existendo*, esse ubiqve, sed *habendo Omnipræsentiam*. Verum nostri Theologi in phrasibus præmissis non respiciunt ad *Objectum*, qvod Omnipræsens, sed ad *modum*, qvo Omnipræsens humana Christi Natura. Calviniani has phrases accipiunt, ac si negarent nostri Theologi *ipsam Essentiam* Humanitatis esse Omnipræsentem, & dici Carnem Christi Omnipræsentem, qvia unita est Omnipræsenti *λόγῳ*

vel qvia Persona, cui unita, est Omnipræsens. Talis autem Omnipræsentia Carnis Christi â Calvinianis fovetur, â Lutheranis semper repudiatur. Hinc *Leges Eccles. Anglic.* Londini editæ nostratium sententiam, de Omnipræsentiâ Carnis Christi, *tit. de summa Trinit. cap. 4. p. 3. tit. 2. cap. 5. tit. de Sacram. cap. 4.* ut hæreticam Heterodoxam Syenckfeldianam, absurdam & S. literis repugnantem eliminant. Vide *Calov. disp. 31. & 32. de Syncretis. in L. de Pers. Chr.*

XIV. Qvidam ex Calvinianis extenuánt Disputationem de Omnipræs. Carnis Christi, & eâ ablegatâ ad Scholas & pulpita Ecclesiarum in fundamento fidei, adunationem svadent, manente dissonantiâ Doctrinæ publicæ, de Carnis Christi Omnipræsentia. Qvi hoc svadent, bellum indicunt 1. suis Præceptoribus, qvi nostros Theologos de Omnipræsentiâ Christi Hominis â se dissentientes non fratres salutârunt, sed *Corporalistas, Nestorianos, Eutychianos, invectores paradoxorum, Patres Ubiqvitatis, novos dogmatistas, malignos veteratores, Eutychianæ Hæresis renovatores, novæ fidei magistros, uti* ostenditur in præfat. Refut. Orth. Consens. 2. Confessioni Palatinæ, qvæ in *Syntagm. Confess. par. 2. pag.* 208. asseruit, nostram Doctrinam de Omnipræsentia Christi Hominis evertere articulos, *de unicâ æternâ Divinitate in tribus Personis, de verâ humanâ Naturâ Christi, de Veritate Passionis, Crucifixionis, mortis ac sepulturæ, Resurrectionis, ascensionis, reditus ad judicium, missionis Spiritus S. acqvisitionis & meriti remissionis peccatorum & Communionis omnium bonorum, justitiæ & vitæ Christi.* 3. Veræ Religionis Exercitio, qvod illis non competit, qvi veritatem doctrinæ de Fide in Christum Hominem, de Unione Personali & de Invocatione Christi Hominis omnipræsentis & de aliis, ab Omnipræsentia Humanæ Naturæ in Christo dependentibus, non servant illibatam. Confer, *Calov. d. l. disp. 32. p. 1022. seqq.*

Qv. XII. *Annon humana Christi Natura, qvia subsistit in Personâ Λόγου religioso & divino cultu est afficienda?*

THESES.

I. ADorabilem & religiosè adorandam Christi humanitatem pro-

profitemur, qvatenus 1. in Personâ Filii DEi subsistit; 2. possidet & usurpat majestatem ac gloriam infinitam. 3. Unâ eademqve Adoratione honoratur, qvâ Divina Christi Natura censetur digna, qvia utriusqve Naturæ una est Hypostasis.

II. Nostram facimus itaqve hanc *B. Augustini* Confessionem: *Ego Dominicam Carnem imo perfectam in Christo Humanitatem ideo adoro, qvod â Divinitate susceptа & Deitati unita est, ut non alium & alium, sed unum eundemqve* DEum *& Hominem* Filium *Dei esse confitear.* Serm. 58. de Verb. Dom. tom. 10. col. 217.

III. Medios terminos ê qvibus elicitur doctrina hactenus enarrata, nostri Theologi laudabili studio detexerunt. Vide ex multis D. *Chemnit. l. de D. N. cap.* 28. *Gesn. de Pers. Chr. p.* 210. *Apolog. lib. Conc. p.* 22. *Marbach.* von der Majest. Christi *cap.* 2. *p.* 66. *Selnecc. in Repet. Doctr. de Comm. Idiom. p.* 129. *Hutter. in L. th. p.* 178. *Schrod. in Enchir. Theol. p.* 174. *Gerh. tom.* 1. *L. de Pers. Chr.* §. 114. *& in Exeg.* §. 237. &c.

IV. Dicta S. Scripturæ, qvibus hi & alii militant, nullis Adversariorum argutiis vel machinis cedere, manifestum est, si thesis probanda in illis accurate vestigetur. In Dicto Apostolico *Philip.* 2. *v.* 9. 10. Cultus divinus & religiosus, vel ὄνομα ὑπὲρ πᾶν ὄνομα ἐν ᾧ κάμψῃ πᾶν γόνυ ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων assignatur Christo secundum humanam naturam, cui dictum nomen in exaltatione ἐχαρίσατο Deus Pater.

V. Vaticinia Prophetarum has componunt propositiones. 1. *Coram Filio* Davidis & Filio Hominis procident Æthiopes, & adorabunt eum omnes Reges, omnesqve gentes servient illi *Ps.* 72. *v.* 1, 9. & 11. Dan. VII. 14. 2. Filius Dei introductus in orbem, adoratus ab omnibus Dei Angelis *Ps.* 97. *v.* 7. *Hebr.* 1. *v.* 6. 3. Christo homini, ante cujus tribunal sistemur *Matth.* 25. *v.* 31. flectetur omne genu *Esa.* 45. *v.* 23 *Rom.* 14. *v.* 11. Hæc qvidem de cultu civili vel solâ Deitate Christi accipiunt, monendi sunt, ut suæ sententiæ rationes ex textu proferant, anteqvam â clarâ literâ sibi contraria discedant.

VI. Fidei & Spei objectum solus Deus per *naturam*; & humana Christi natura, per *Unionis Hypostaticæ gratiam*: Uti enim in radicem Jesse sperârunt gentes, *Roman.* 15. *v.* 12. *Esa* 11. *v.* 10. ita mandu-

care Christi Carnem h. e. credere in Carnem Christi jubemur *Johan. 6. v. 47. 48. 49. 50. 51.*

VII. Possessionem & usufructionem majestatis suprâ adstruximus. *Quacunque autem natura est Omnipotens, omniscia & Omnipræsens ex Unionis gratia, illa etiam est ex eadem gratia adorabilis.* At *Christi humana natura est Omnipotens, omniscia & Omnipræsens* ex *Unionis gratiâ* E.

VIII. Exempla extant illorum, qvi Deum & hominem unâ adoratione coluerunt: Sic Magi adorarunt puerum Jesum jacentem in gremio Matris *Matth. 2. v. 11.* cæcus invocavit Filii Davidis misericordiam *Matth. 20. v. 30. Luc. 18. v. 38.* Cæcus natus adorat Filium Dei, qvem intuebatur *Johann. 9. v. 36.* Leprosi Filium Davidis *Luc. 17. v. 17.* Stephanus Filium Hominis stantem â dextris Patris *Act. VII. 56. 59.* Beati in alterâ Vitâ Agnum occisum & mactatum *Apocal. 5 v. 12. seqq.* religioso prosequuti sunt cultu.

IX. Constringi his argumentis, Adversariorum Conscientiam, futiles eorum Exceptiones perhibent testimonium: Nam 1. totam Personam si intelligere velint, nostræ accedunt sententiæ, cum tota Persona non possit adorari, nisi adoretur secundum utramqve naturam, qvia adoratio respicit Christi officium, qvod exeqvitur secundum utramqve naturam. Distinctio inter *totum Christum* & *totum Christi* non invenit hic locum; qvum non duntaxat Persona ejusqve proprietas, sed insimul officium Christi attenditur. 2. *Civilem adorationem* in nostris argumentis si deposcant, propriâ cædunt vinetâ, & argumenta sua Photinianis opposita evertunt, qvia & Photiniani civilem adorationem vel talem adorationem, qvæ illâ inferior, qvâ æternus summus Deus adoratur, obtrudunt. 3. Honorem *mediatoris*, qvi inferior, qvam cultus divinus & religiosus, si opponant, divinam naturam in allatis dictis neqveunt intelligere, nisi ad Socinianorum castra velint transfugere. Insuper S. Scriptura non agnoscit gradus in cultu religioso, & Christo Mediatori tribuit honorem merè divinum *Esa. XLV. 21. 23. Rom. XIV. 11. Philipp. II. 10.* 4. Si confiteantur, nostris argumentis evinci Christi Humanitatem esse adorandam ex Unionis Personalis gratiâ, & non ex naturæ suæ proprietate, actu personali, non naturali, palmam nobis porrigunt; & suas Disputationes nobis in hâc qvæstione

stione oppositas frustraneas arguunt, qvia nemo ex nostris Theologis unqvam docuit: Humanitatem Christi ex suæ naturæ proprietate & actu naturali esse adorandam.

ANTITHESES.

I. *Nestorius* carnem Christi *coadorandam* & *conglorificandam* docuit & non τὸ συναμφότερον, sed alterum & alterum in Christo adorandum, credidit. Videantur Acta Concil. Ephesini *tom. 1. Concil. p. 607. 666.*

II. *Scholastici* & *Pontificii* dissonantes inflant tibias, cum de Adoratione Christi Hominis suam aperiunt mentem: *Alensis, Biel Paludanus, Cordula* negare videntur *Tannero in 2. 2. Thom. disp. 4 §. 27.* humanitatem Christi perfecta latriæ adoratione colendam. Alii ut *Vasqvez, Bonavent, Waldens. Catharinus; Clichov. &c.*, Humanitatem Christi solâ adoratione latriæ cum verbo incarnato colendam censent *Durandus 3. sent. dist. 9.* dixit: Christum per se adorari latriâ, per accidens autem ejus Humanitatem, qvam phrasin carpit *Suaretz. tom. 1. disp. 53. sect. 2. Busæus in Apolog. cont. Gerlach. cap. 6. p. 167.* ita scribit: *Sicut Christus Deus non dicitur natus, passus, mortuus, mortalis patibilis in se, vel Secundum Divinitatem, sed ratione Carnis, sic Christus Homo non dicitur eodem cultu adorari cum Verbo in se vel secundum humanitatem, sed ratione Verbi vel divinitatis. Tannerus d. l. n. 29.* attribuit Christo secundum humanitatem in se spectatam cultum hyperdulias, cujus ratio est dignitas & Excellentia creata, vel unio Personalis vel gratia Habitualis. Etsi autem largiatur, Humanitatem Christi, qvatenus unita est λόγῳ personaliter, colendam latriâ; tamen hanc latriam vocat *imperfectam* & §. 30. asserit, *perfectam latriam, nulli Rei tribui posse, nisi propria & immediata ratio colendi sit Excellentia increata, qvæ in Humanâ Christi natura non sit.*

III. *Massonius tom. 2. Anatom. Univ. cap. 15. pag. 1026.* multis testimoniis Theologorum suorum probat: Calvinianos totum Christum adorare secundum utramqve naturam, ut Mediatorem, Regem ac Dominum. Qvalis sit hæc adoratio; ipse Massonius explicat, cum *pag. 1041.* negat: *Christi humanitatem honore Mediatoris in-*

invocari, qui præsupponat communicatam divinam majestatem. Alii ex Calvinianis diserte negant, Carnem Christi eâ adoratione & latriâ colendam, qva colitur divina Christi Natura. *Danæus ad cap. 29. libri de D. Nat. D. Chemnitii Beza Vol. 2. Apol. 3. ad Selnec. p. 473. Zanch. l. 1. de Incar. Fil. Dei, col 198. Sohn. in Ex. A. C. art. 3. p. 457.* Horum eloqvia accipienda esse de Adoratione, qvæ competit ex *proprietate Naturæ*, & de *Ratione Adorationis*, qvæ non humanitas, sed Divinitas contendit *Masson. d. l. c. 16.*

IV. Similitudinibus qvibusdam Calviniani mentem suam de adorandâ Christi Humanitate denudarunt: Comparârunt enim hanc Humanitatem *Regiæ Purpuræ, Coronæ & Sceptro*, ad qvæ honor Civilis non dirigitur, cum ipse Rex civili honore afficitur: *Beza in Colloq. Mompelg. collat. d. 26. Mart. pag. m. 284.* hæc proloqvitur verba: *Regem vel Principem adoro purpuratum, coronatum dextrâ tenentem sceptrum. In illâ adoratione non respicio vel ad coronam, quam in capite gestat, aut ad purpuram, qva indutus est aut ad sceptrum qvod manu tenet, nec tamen separo Coronam purpuram aut sceptrum â Rege; Sic in adoratione religiosâ Christi invocationem nostram dirigimus ad Filium DEI, id est ad divinitatem ejus tanquam ad unicum proprium objectum religiosæ adorationis & non ad humanitatem ejus, nec tamen humanitatem â Deitate Filii DEI separamus.* Vide & *Zanch. l. 2. de Incarn. p. 198. Rezam. Vol. 2. Apolog. 3. adv. Selnecc. p. 473.*

HYPOTHESES.

I. Assumptæ & Personaliter unitæ suæ Humanitati qvod Filius DEi nolit dare suam gloriam, non discimus ex ejus Verbis *Esa. XLII, 8.* qvia hic de iis Creaturis loqvitur, qvæ extrâ suam Personam subsistunt: Caro autem Filio Dei unita est qvidem ἀϰϰο â Filii Dei Divinitate, sed non ἀϰϰ ab ipso Dei Filio.

II. Carnem Christi si comprehendas illâ Carne, qvâ de sermo est, *Jerem. XVII, 7.* ab analogiâ Fidei multis modis recedis: Nam 1. extrâ Controversiam est, Jeremiam loqvi, de Carne peccato inqvinata, qvalis non est Caro Christi 2. ipsi Calviniani coguntur fateri in Carnem Christi collocandam fiduciam, qvia manducationem Spiritualem hujus Carnis per fiducialem Carnis apprehensionem

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1011896508/phys_0148
DFG

nem exponunt. 3. non de Carne Θεανθρώπε, sed ἀνθρώπε loqvitur Propheta.

III. Fides Christiana non qvidem confundit Naturas, in Christo, sed nec *dividit Personam*: ita etiam invocatio Religiosa fertur in Christum, in qvo duæ distinctæ Naturæ, qvæ Personâ in unâ Copulatæ. Uti enim unum invocantes Deum non confundimus Personas in SS. Trinitate, ita unum invocantes Christum, non confundimus Naturas distinctas.

IV. Similia, qvibus Adoratio Christi religiosa illustratur, dextrè sunt applicanda: Uti una civili adoratione Regis Corpus & Animam venerantur Subditi, non sublatâ Excellentiâ digniore, qvæ est in Animâ; ita τὸ συναμφότερον adoramus in Christo, non sublatâ Naturarum inæqvabilitate, qvæ ex naturali actu cujuslibet promanat. Similide Purpurâ qvæ honoratur cum Rege, utuntur ὀρθοδόξοι & ἑτεροδόξοι. *Illi* declarant 1. *honoris Originem*, qvi ut â Rege ad Purpuram, ita â Divinitate Christi ad Humanitatem ejus descendit. 2. *Unionis necessitatem*: Uti enim purpura non nisi Regio corpori unita honore afficitur, qvo Rex afficitur; ita Humana Christi natura non ut Separata â Verbo sed ut eidem unita cultum Verbi adipiscitur. *Hi* geminam adorationem hâc similitudine depingunt, ac si Caro Christi inferiori honore adoretur, & Verbum solum cultu latriæ; vel ideo saltem adoretur, qvia Verbo juncta qvod adoratur. Posterior hæc applicatio Scripturæ non est congrua, qvippe ex sacris literis luculenter patet, longè aliam esse Unionem inter Verbum assumptamqve Carnem, & aliam inter Regem ejusqve purpuram.

V. Christus simpliciter nunqvam ita fuit noster Conservus, ut majestatem adorabilem non *possederit*: Etsi enim in statu Exinanitionis non *universaliter* & *semper* usurparit, tamen eam possedit in humanitate, ejusqve plenariam χρῆσιν Exaltationi reservavit.

VI. Occultant qvidam ex Adversariis Errorem suum cum asserunt: Carnem Christi religiosè esse adorandam, ratione *Subsistentiæ*, non ratione *Essentiæ*: Ambiguitas jam antè detecta hic recoqvitur: Si *causam* adorationis attendas, ob qvam Caro Christi religioso afficitur cultu, hæc non est Carnis Natura vel Essentia;

sed λόγῳ subsistentia Carni communicata. Si autem respicias Adorationis *Objectum*, non nuda Carnis subsistentia, sed ipsa Essentia in λόγῳ subsistens adoratur. Hoc posterius nolunt admittere Calviniani, adeoqve Distinctione adductâ nostram & suam non conciliant Doctrinam.

VII. Christum esse adorandum ut *Mediatorem*, qvidam ex Calvinianis, non omnes docent: *Maccovius* & *Voetius* negant, adorandum esse Christum Hominem, ut Mediatorem. Vide *Voet. disp. select. tom.* 1. *pag.* 530. Qvi affirmant; Christum ut Mediatorem esse adorandum, *vel* humanam Christi naturam excludunt, ut *Junius Rivetus* &c. *vel* interiorem adorationis Cultum Carni Christi adjudicant, ut *Ludov. Croc. Apolog. disp.* 11. *th.* 36. Manet itaqve inter nos & Calvinianos dissensus in Doctrinâ de Christi Hominis religiosâ adoratione, qvam illi negant. 1. Gloriam divinam & infinitam Carni Christi esse communicatam, qvemadmodum enim unus Deus, ita una adorabilitas, qvæ nititur unâ Majestate in Deo. 2. Objectum religiosæ adorationis esse Christi Humanitatem, qvam Beza, Danæus & multi alii adorandam, negant, ut prorsus inepta deprehendatur illa excusatio qvorundam, qvi prætendunt, Bezam, Danæum & alios non de Adorationis *Objecto*, sed duntaxat Adorationis *Origine & Causâ* esse loqvutos. 3. Eundem religiosum Cultum & unam Adorationem Deitati ac Humanitati Christi tribuendam: Nunqvam evincent, Hominem Christum unâ adoratione qva Deum eos prosequi, qvi Deum venerantur, ut corda inspicientem, gemitus audientem, Spiritum S. dantem, Hominem autem honorant, ut suâ Voluntate nostram Exauditionem approbantem, non verò corda inspicientem, gemitus exaudientem &c.

Q. XIII. *Annon in officii Operibus Humana Christi Natura agit suprâ vires naturales?*

THESES.

I. Affirmando respondet *Damasc. lib.* 3. *de Orth. Fide cap.* 17. *pag. m.* 247. his verbis: ἡ δὲ τῦ Κυρίυ σὰρξ τὰς Θείας ἐνεργείας ἐπλυτησε, διὰ τὴν πρὸς τὸν λόγον ἀκρωφυεις ἀτην ἕνω-

ἕνωσιν ἤτοι τὴν καθ' ὑπόστασιν, ἑδαμῶς τῶν κατὰ φύσιν ἰδίων ὑποστάσα ἔκστασιν. ἡ γὰρ κατ' ἰδίαν ἐνέργειαν, ἀλλὰ διὰ τὸ ἡνωμένον αὐτῇ λόγον τὰ θεῖα ἐνήργει, τῷ λόγῳ δὲ αὐτῆς τὴν οἰκείαν ἐνδεικνυμένῳ ἐνέργειαν.

II. Explicatur his dictis Regula *Leonis*, qvæ talis est. *In Actionibus officii qvælibet natura agit, qvod sibi proprium est, cum Communicatione alterius*; ut intelligamus, in actionibus officii Deitatem verè appropriare sibi, qvod humanum est, & Naturam humanam agere ex communicatâ sibi virtute divinâ, unde emergit Actio θεανδρικὴ, qvia non solum qvælibet natura agit ex virtute *naturali*, sed etiam ex virtute vel *appropriatâ* vel *communicatâ*.

III. Qvibus argumentis hoc Dogma nostri Theologi corroborent, patescit legenti *Chemnit. lib. de D. Nat. cap. 16. Schlter. in brevi & pers. Declarat. pag. 6. seqq. & in affixâ Synopsi Wigand. de Communic. idiom. pag. 186. Hutter in Form. Conc. art. 8. pag. 787. in L. Th. p. 160. Schroder. in Enchirid. Theolog. p. 138. tom. 1. Disp. Giess. 2. th. 85. Gerhard. in Exeg. L. IV. §. 282. seqq. Calov. in Exam. Syncretis. de Pers. Christi Disp. 34. col. 1102.*

IV. Theses â Spiritu S. prolatas, si libet attendere, affirmant illæ Humanam Christi Naturam in actionibus officii operatam esse Viribus divinis, â Verbo communicatis: Asserit enim Spiritus S. nos Deo esse reconciliatos ἐν τῷ σώματι τῆς σαρκὸς Χριστ. *Colos. I. 22.* renovatam nobis esse Viam διὰ τῆς σαρκὸς ἰησ. *Hebr. X. 20.* Christum obtulisse nostra peccata ἐν τῷ σώματι αὐτ. *1. Pet. II. 24.* emundare nos â peccatis αἵματι Ἰησ. Χρ. *1. Joh. I. 7. Apocal. I. 5.* Si in his dictis observes *Vim Deo reconciliantem peccatores, vim præparantem viam ad vitam æternam, vim satisfacientem pro peccatis & purgantem peccata*, animadvertes Vim increatam & divinam, hujus ἐνέργειαν autem qvia de humanâ Christi naturâ prædicatur, diserte docetur; Suprâ naturales vires Humanitatem Christi in Actionibus officii fuisse operatam, viribus divinis â λόγῳ communicatis.

V. Eandem thesin detegunt *Miracula* Christi, in qvibus naturales vires exeruit humana Natura Voce *Matth. IX. 5. Luc. XIIX. 47.*

Joban. IV. 50. *cap. V.* 8. *cap. XI.* 43. Tactu *Marc. V.* 39. *Luc. VI.* 9. *cap. XI V.* 4. Tactu & voce. *Matth. VIII.* 3. *Marc. V.* 41 *cap. VII.* 33. *Luc. VII.* 14. Conter verba Apostoli Petri *Act. X.* 38. Jam extrâ Controversiam est, qvod vis edens miracula sit divina, idcircô qvum Scriptura *Humanitati* vires naturales exerenti effectus miraculosos vendicat, apertè docet, Humanitatem Christi ita exeruisse vires naturales, ut insimul suprâ vires naturales sit operata.

ANTITHESES.

I. *Calviniani* concedunt, qvod in Actionibus officii sit unus ἐνεργῶν & unum Apoteleſma, negant autem communicationem ἐνεργητικῶν h. e. *Naturarum*, & ἐνεργείων vel *Actionum*, uti hactenus disputata evincunt.

II. Humanam Christi Naturam in operibus officii ad miracula & alia Christi Opera non plus contulisse, qvam contulit Virga Moysis ad miracula Moysis, docet *Danaus in Exam. lib. D. Chem. de D. N. pag.* 118. 156. *Beza p.* 1. *Resp. ad Acta Colloq. Momp. pag.* 136. *Martin. in Defens. Sad. pag.* 91.

III. *Admon. Neostad.* postqvam prolixè disseruit de Actionibus θεανδρικαῖς, qvibus Deus divina & homo Humana duntaxat operetur *pag.* 22. & 273. negat, Spiritum S. dari per Carnem *pag.* 153. Conter *Wendelin. lib.* 1. *Christ. Theol. cap.* 16. *Ludov. Croc. Apolog. disp.* 1. *th.* 36. *pag.* 366.

HYPOTHESES.

I. Prædicationes, in qvibus Ἀποτελέσματα enunciatur de Christo, diverso respectu ad diversa Genera Communicationis referuntur: *E. g. Hæc* Propositio: *Deus Sangvine suo acqvisivit Ecclesiam*; respectu Sangvinis DEo appropriati est *primi* Generis, respectu Virtutis, qvâ Sangvis valuit redimere, est *secundi* generis, & respectu Redemptionis, per Sangvinem factæ, est *tertii* generis. Item hæc Prædicatio; *Filius Dei morte suâ mortem destruxit*, est *primi* generis, qvatenus mors Filii Hominis appropriatur Filio DEi; est *secundi* generis, qvatenus Humanitati communicatur vis divina mortem destruens; est *tertii* Generis, qvatenus Filius Dei morte destruxit mortem.

II. Benè distinguenda Naturarum Propria ab ἀποτελέσμασι vel

vel ἐνεργάαις Θεανδρικαῖς. *Hæc* includunt *illa*, non *illa hæc*. Sic *mori pro mundi Vitâ*, *livore sanare*, *moriendo mortem destruere*, *Sanguine Ecclesiam redimere* &c. nec Humanitatis nec Deitatis sunt ἰδιώματα, sed Θεανδρώως ἀποτελέσματα, qvæ includunt Idiomata tam Deitatis, qvæ sunt, vitam acqvirere æternam toti mundo, sanare, mortem destruere, & Ecclesiam redimere; qvam Humanitatis, qvæ sunt mori, livores pati & sangvinem fundere.

III. Anguis latet in Herba, cum Calviniani fatentur 1. Utramqve Naturam Christi in operibus officii agere, qvod suum est, cum alterius Communicatione: Intelligunt enim per Communicationem *Unionem*, ut hic sit sensus: *Divina natura agit qvod suum est*, cum Unione Humanitatis: *Caro agit qvod suum est cum* Unione Deitatis: Nulla hic realis κοινωνία ἐνεργάων καὶ ἰδιωμάτων conceditur. 2. Christum Hominem propriâ Virtute miracula patrâsse: Si qværas an hæc Virtus sit divina? Concedunt, Divinitatis hanc esse virtutem *formaliter*; Humanitatis autem *personaliter*, qvatenus in externâ Actione cooperatur Humanitas. 3. Humanitatem Verbi fuisse instrumentum, cum illam æqviparent Baculo Moysis, vestimenti fimbriæ, qvam tetigit Hæmorrhousa &c. adeoqve ὄργανον intelligant ἄψυχον & Virtute ea, qvâ agit Deitas, destitutum.

IV. Error Monotheletarum non conspirat cum nostrâ Doctrinâ, qvia nec unam voluntatem nec unam operationem in Christo profitemur sed diversarum voluntatum & Operationum Concursum in Unâ Personâ veneramur, Interim Actio, qvæ nec merè divina, nec merè humana, sed Theandrica est, ab uno agente proficisci neqvit, nisi Verbum Carnis ἐνεργάας vel παθήματα sibi appropriet & vicissim Carni sua Idiomata communicet: Hic autem nulla est Voluntatum & operationum Confusio, licet enim Caro agat Virtute eâ, qva agit Verbum, tamen Verbum agit *per se* & *independenter*, Caro per virtutem *communicatam* & *dependenter*.

V. Non sumus hic solliciti, qvomodo Verbum operatum fuerit, cum adhuc ἄσαρκον, nec inqvirimus, qvomodo Humanitas in seipsam egerit; sed de Actionibus officii est Disputatio, qvas ad ductum S. Spiritus explicari cupimus.

CONTROVERSIA II.

DE HUMANÆ CHRISTI NATURÆ STATIBUS DIVERSIS.

UTI Unio duarum Naturarum in Christo semper fuit ἀμεταπτώτως & absqve ullâ παραλλαγῇ; ita Caro Verbo unita ob Redemptionem humanis Generis vicissitudinibus & mutationibus fuit subjecta. His Theologi Orthodoxi ad duos revocâruht Status, qvorum unum *Exinanitionis* alterum *Exaltationis* statum dixerunt. In utroqve explicando qvidam deseruerunt ἁπλότητα τῆς πίστεως, & severunt lites, Unitatem Fidei scindentes. His determinandis & componendis multæ Disputationes sunt destinatæ, qvarum præcipua Capita exurgunt ex I. Κενώσει, qvâ retracta fuit in Carne Majestas infinita â Verbo communicata. II. Ταπεινώσει, qvâ forma Servi assumpta â Carne, qvæ fuit ἐν μορφῇ θεοῦ. III. ὑπερυψώσει, qvâ Caro Christi exinanita, accepit gloriam & honorem vel ὑπὲρ πᾶν ὄνομα.

CAP. I.

DE ΚΕΝΩΣΕΙ, QVA CHRISTUS HOMO MAJESTATIS DIVINÆ ΧΡΗΣΕΙ SE EVACUAVIT.

CHristum esse secundum Humanitatem Exinanitum & Exaltatum, docuit ex professo Apostolus Paulus *Philipp. II. v. 6. 7. 8. 9.* Cujus ex Doctrina eruunt Theologi 1. συγκρασιν, qvâ Caro cæpit esse in Formâ DEI. 2. Κενωσιν, qvâ λόγος suæ majestatis plenarium usum Carni subtraxit. 3. Ταπείνωσιν, qvâ λόγου assumpta Caro humiliata per μορφὴν δούλου, nec non ὁμοίωμα καὶ σχῆμα ἀνθρώπου: Siqvidem Humanitas in Personâ Filii DEI unigeniti subsistens admisit actus & proprietates (1) *Naturæ nondum glorificatæ*, qvatenus concepta

cepta, in utero gestata, nata, edit, bibit, dormivit, vigilavit, de loco in locum ambulavit, &c. (2.) *Naturæ Corruptæ*, qvando doluit, flevit, illusa, vulnerata, mortua & sepulta (3.) *Servilis Formæ*, qvâ etiam aliis Peccatoribus facta est inferior, ministrando, pedes aliorum lavando, mortem crucis subeundo, sarcasmos & nefandas exprobrationes sustinendo, &c. 4. ὑπερύψωσιν, qvæ initium sumpsit in Descensu Christi ad inferos, & ad ἀκμὴν pervenit in Sessione ad Dextram DEI Patris. Vide *Gesn. de Pers. Chr. pag.* 250 *seqq. Schroder. in Sceptr. Reg. cap.* 8. *p.* 97. *D. Thumm. in ταπεινωσιγε. pag.* 214. *seqq. D. Matth. contra Amling. p.* 149. 157. Qvod spectat ἐκένωσιν, illa non est hujus loci, Humiliatio enim illa, qvâ Filius Dei nostræ potius miseriæ, qvam majestatis suæ voluit habere rationem, non est propriè dicta Exinanitio, qvia competit Christo qvatenus est divina Persona, qvæ non dedignata fuit assumere Humanitatem, nullamqve depressionem vel mutationem in seipsâ est experta. Qvomodo autem λόγος sit Incarnatus, explanavit Controversiæ 1. cap. 1. Præsenti in Controv. Veritas divina propugnanda adversus eos, qvi vel Exinanitionem & Exaltationem ad Humanitatem Christi adstringere nolunt, vel κένωσιν ac ταπείνωσιν divinæ Majestatis in Humanâ Christi Naturâ labefactant vel ὑπερύψωσιν Carnis extenuant.

Qv. I. *Annon Christus secundum Humanam Naturam, est exinanitus & exaltatus?*

THESES

I. NOn hæc movetur qvæstio de οἰκονομίᾳ illâ, qvâ, Filius Dei dignatus est assumere Humanam naturam, nec de Exaltatione, qvâ Deum glorificamus & celebramus; sed de tali Exinanitione, qvâ gloria vel majestas retrahitur, cum possit exeri, & eâ Exaltatione, qvâ ê statu inferiori qvis elevatur in sublimiorem, vel exerit plenariè divinam majestatem, qvam antea retraxit.

II. Exinanitionem & Exaltationem jam designatam competere Christo secundum Humanam Naturam, probavit *B. Luth. parte* 1. *Postil. Eccles. pag.* 86. *Chemnit. lib. de D. Nat. cap.* 33. *Hunnius tom.* 1.

Op.

Op. p. 170. *Gesn. de Pers. Chr. p.* 278. *Hutt. in L. Theolog. pag.* 191. *Schrod. in Enchir. Theolog. pag.* 155. *in Thron. Reg. p.* 203. 251. *in Scept. Reg. cap. 8. 9. 10. Mentz. in Anti Sad. p.* 209. *p.* 362. *Gerh. in Exeg. L. IV. §.* 293. *seqq. &c.*

III. Excutiemus & ponderabimus S. Scripturæ dicta, qvæ pariunt thesin probandam. Divinam Naturam esse immutabilem, docetur *Ps. CII.* 26. *Hebr. I.* 10. 11. *Jacob. I.* 17. & alibi passim: Humanam itaqve attendit Spiritus S. Naturam qvam de Christo affirmat, qvod sit minor factus Angelis, *Ps. VIII.* 5. *Hebr. II.* 6. derelictus à Deo *Ps. XXII.* 2. *Matth. XXVII.* 46. factus Vermis opprobrium Hominis & abjectio plebis, *v.* 7. effusus sicut aqva *v.* 15. in pulverem mortis deductus *v.* 16. perfossus in manibus & pedibus *v.* 17. despectus præ Filiis Hominum, novissimus Virorum, Vir dolorum, vulneratus, attritus Esa *LIII.* 2. 6. 7. excisus *Dan. IX.* 26. factus minister Hominum. *Matth. XX.* 28. sit confortatus ab Angelo *Luc. 22. v.* 43. factus sit egenus 2. *Corinth. 8. v.* 9. sustinuerit crucem *Hebr. 12. v.* 2. Qvæ omnia & similia talem depingunt statum Exinanitionis, qvalem Christo secundum divinitatem, absqve insigni injuriâ, haud poterimus assignare.

IV. Christum esse exaltatum per gloriam, qvam in tempore petiit, ipse affirmat, *Joh. 17. v.* 5. melior est factus Angelis *Hebr. 1 v.* 4. è servo factus Dominus *Philip. 2. v.* 11. gloria ac honore post passionem coronatus *Ps. 8. v.* 5. 6. *Hebr. 2. v.* 7. 9. Qvæ rursus de Christi Deitate accipi non possunt.

V. Christus extitit *in formâ Dei, & non reputavit prædam, esse æqvalem Deo, sed semetipsum exinanivit & formam servi accepit in similitudine hominum factus & habitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum, & factus obediens, usqve ad mortem, mortem autem Crucis. Qvâ propter etiamâ Deo superexaltatus accepit nomen suprâ omne nomen.* Philip. 2. v. 6, 7, 8. 9. Notetur hic 1. Divinitatem Christi esse ipsam formam *Dei Hebr. 1. v.* 3. unde secundum divinitatem non potest Christus esse in formâ *Dei*, nisi credere libeat, Divinitatem esse in seipsâ, ut in formâ 2. Κένωσιν, μορφὴν δέλε, ὁμοίωμα & σχῆμα ἀνθρώπε, ταπείνωσιν & ὑπηκοὴν usqve ad mortem crucis sine Deitatis abnegatione *Deitati* vendicare neminem posse. 3. *Formam Servi* non esse ipsam *humanam naturam*, qvia hæc (1.) non

simi

similitudo & σχῆμα Hominum, uti hîc forma declaratur. (2.) non fuit deposita in statu gloriæ (3.) non per se est forma servi, (nisi etiam naturam Hominum in statu Integritatis & vita cælesti formam servi vocare placeat); sed ratione adhærentium Infirmitatum. 4. Vocem λαβὼν non solum de *substantia*; sed etiam *accidentibus* accipi, ut *Matth.* 8. 17. *cap.* 23. *v.* 14. *Heb.* 4. *v.* 16. *Jacob.* 5. *v.* 10. &c. 5. Humilitatem non solum ab Apostolo commendari Philippensibus; sed etiam *modum humilitatis* in Exemplo Christi describi. Cum ergo in Philippensibus forma servi accidentalis desiderabatur, hanc etiam commendatam fuisse in Christo συνέχεια textus edocet. 6. juxta Deitatem Christum nomen super omne nomen semper habuisse, nec demum post mortem Crucis illud accepisse. 7. Talem Servum, qvalem Apostolus describit, dici non posse Christum in statu Exaltationis, qvia (1.) nullibi in S. Scriptura, post exaltationem, ut servus depingitur. (2.) servus nemo dicitur ideò, qvia homo & creatura; sed qvia servili sorte obstrictus. (3.) *Esa.* 53. *v.* 13. non de *exaltato*, sed *exaltando* agitur servo. (4.) aliud est δοῦλος, aliud λειτουργὸς *Hebr.* 8. *v.* 2. Hujus enim officium non *humile & abjectum*, ut servi; sed *sublime & magnificum*, ut Pontificis ad dextram Dei sedentis. 8. Filium Dei sui ipsius h. e. suæ Deitatis rapinam ostentare non potuisse, cum rapina nihil sit respectu sui. Christus ergo ratione humanitatis suæ non extulit se, qvia humanitas ipsius unum fuit personale cum λόγῳ, neqve ceu rapinam jactitavit, qvod factus secundum humanam naturam æqvalis Deo.

ANTITHESES.

I. Calviniani non dubitant affirmare, secundum utramqve naturam Christum esse exinanitum & exaltatum. Vide Gründfest *pag.* 34. *Grynæum part.* 1. *disput. pag.* 332. *Antithronum cap.* 13. *seqq. Polan. in Syntagm. lib* 6. *cap.* 22. *Beza parte* 1. *Resp. ad Act. p.* 96.

II. *Maſſonius in Anatom. Univ. parte* 1. *cap* 25. *pag.* 957. 958. suorum asseclarum Doctrinam ita declarat: Wann wir sagen: Der Sohn GOttes habe sich geniedriget / so verstehen wirs nicht also / das er sich nach seinen Wesen geniedrigt habe / welches freylich nicht kan geniedrigt werden / sondern das der Sohn GOttes den Gehorsam gewolt / und auch in der Zeit Menschliche Natur angenommen und ein

Zeitlang mit seiner Göttlichen Macht inne gehalten und sich derselbigen geeussert ꝛc. pag. 958. Wir lehren / das der Sohn GOttes erhöhet sey/aber nicht nach seinem Wesen / sondern 1. ratione manifestationis, wann er in Erweckung der Menschlichen Natur die Göttliche Herrlichkeit wiederum geoffenbahrt / nachdem im Stande der Erniedrigung er sich derselbigen geeussert. 2. ratione Officii so fern er nach beyden Naturen empfangen hat allen Gewalt/nemlich die Prophetische / Hohepriesterliche und Königliche Gewalt.

III. Exinanitionem de Incarnatione exponit *Beza in Consp. p.* 78. applaudens Jesuwitis *Bellar. l. 1. de Chr. An. cap. 6. Buſæo adv. Gerlach. pag.* 127. *Cornel. de lap. Comm. in cap. 2. Ep. Ad Philipp.*

HYPOTHESES.

I. Sit semper in conspectu status Qvæstionis, & removeantur conclusiones de Exinanitione & exaltatione qvam th. 1. â præsenti Qvæstione sejunximus.

II. Missa qvidem est Christi Deitas, sed non humiliata in stricto sensu: Non enim omnis missio infert humiliationem, qvippe etiam Spiritus S. mittitur, qvi tamen humiliatus dici neqvit. Distinguendum igitur inter missionem secundum *imperium*, & secundum *originem*. *Illa* humiliationem parit in misso; *Hæc* v. neqvaqvam, & competit solis divinis Personis in Trinitate.

III. Humiliatio Fil i Dei, non est ipsa missio in hunc mundum; sed potius missionis terminus: Ideò enim missus est, ut Patri in carne obediret usqve ad mortem. Qvid? qvod post exaltationem Christus mittatur *Actor.* 2. v. 20.

IV. Obedientia Christi alia est *Incarnationis*, qvâ ut Deus obedivit Patri in statu οἰκονομίας, suscipiendo carnem & officium: alia *Passionis & humiliationis*, de qvâ hoc loco qvæstio est & competit Christo secundum humanam naturam.

V. Qvi ex Patribus & nostris Theologis Filium Dei dicunt humiliatum, non attendunt ἰδίαν λόγῳ θείαν; sed τὴν ἀνθρωσιν & γνῶσιν ἡμετέραν qvatenus ad nostram infirmitatem suam demittit majestatem 1. offerendo sese humani generis ministrum in decreto SS. Trinitatis. 2. descendendo propter nostram salutem de cælo

cælo & assumendo carnem ac sangvinem. 3. obvelando majestatem suam divinam carne & potentiam divinam adversus hostes suos minimè usurpando.

VI. Exaltatus, si Filius Dei dicatur â Patribus, metaphorica illa notatur exaltatio, qvâ Filii Dei majestas in cordibus nostris agnoscitur & colitur. Cujusmodi exaltatio, ut & exinanitio in nostrâ th. 2. non comprehenditur Idcirco, semper Adversariis inculeandum: Qvando ad humanitatem Exinanitio & exaltatio restringitur, intelligi per illam κένωσιν, & ταπείνωσιν ignominiosam, per hanc χρῆσιν majestatis plenariam & ὑπερύψωσιν gloriosam.

VII. Qvamvis λόγος tempore Passionis & mortis *qvievit*; non tamen fuit exinanitus, qvia Pater etiam qvievit, qvando Filium suum hostium manibus non eripuit, *Ps. 22. v. 1.* Absit autem ut propter hanc qvietem & auxilii subtractionem Patrem dicamus exinanitum: Aliud enim est operationis vel *cessatio* vel *dilatio*, qvæ nullam infert hujusmodi Exinanitionem, de qvâ hic sumus solliciti: aliud est *natura divino auxilio destituta*, qvæ propriè dicitur exinanita. Distinguunt alii inter Exinanitionem *activam* & *passivam*. *Illa* impropriè dicitur exinanitio, & notat auxilii divini subtractionem, qvalem etiam λόγῳ competere, nullatenus dubitamus: *hac* propriè est exinanitio, & notat desertionem hujusmodi, qvâ qvis ex miseriâ, tentatione passione & morte non subito eripitur, & soli competit humanitati. Exaltatio itidem alia *activa*, qva λόγος evehit carnem; alia *passiva*, qvâ caro evehitur & exaltatur, qvæ itidem unicè hic venit in qvæstionem.

VIII. Uti Solis radii nubibus aliqvando intercipiuntur, & tamen non Sol lumine suo, sed potius creaturæ, qvibus lux obscuratur, luce Solari privantur: ita Divinitas cedens iræ divinæ in passione & morte, subtrahendo Carni suæ majestatis usurpationem, suam majestatem & gloriam non *sibi ipsi*, sed *carni suæ* subtraxit, adeoqve exinaniri neqvaqvam potuit *in se*, qvia non fuit plenarie operata in carne.

IX. Obumbratio majestatis fit dupliciter 1. *assumendo naturam*, 2. *assumendo servi formam*. *Illa* Exinanitionem κατ' οἰκονομίαν,

hæc Exinanitionem κατ' ἐναλλαγὴν evincit & tribuenda Christo secundum humanam naturam,

X. Ratione *officii sui* Christus nec exinanitus nec exaltatus, sed propter officium humana natura & exinanita & exaltata est: Officia præreqvirunt Exinanitionem & exaltationem; non constituunt.

XI. Christum secundum divinam naturam habuisse gloriam ab æterno, legitur *Joh.* 17. qvod autem *secundum eam naturam petat in tempore gloriam, secundum qvam possedit ab æterno*, in textu non legitur. Distinguimus ergò inter gloriæ *æternam possessionem* & ejusdem gloriæ *petitionem*. *Illa* divinæ, *hæc* humanæ naturæ est indicatrix.

XII. Per ἰδιοποίησιν Exinanitionem & Exaltationem Christo Deo si tribuant, Calviniani non nisi verbale magnoscunt, & præterea non simpliciter sed κατὰ τὶ Divinæ naturæ eam tribuere possunt adeoqve frustrà ad ἰδιοποίησιν confugiunt, qvando divinam naturam exinanitam & exaltatam esse, scripsisse se, erubescunt. Vide *Mentz in Antimart. p.* 478. *Sebrod. in scept. Reg. p.* 102. 105. 135. *Hurt. in L. Th. p.* 188.

XIII. Κένωσιν illam *Philipp.* 2. non fuisse δοξαστικὴν Imaginariam & apparentem, discimus 1. ex Etymologia vocis κένωσις qvam indicant scripturæ dicta, qvibus hæc vox legitur *Esa* 55. *v.* 11. 1. *Corinth.* 1. *v.* 17. 2. *Corinth.* 6. *v.* 1. 1. *Thessal.* 2. *v.* 1. *Galat.* 2. *v.* 2. 2. *Corinth.* 9. *v.* 15. *Jacob.* 4. *v.* 5 *&c.* 2. ex Synonymis vocis ἐκένωσε, qvæ sunt חסר *Ps.* 8. *v.* 6. עוב רחוק מישעה *Ps.* 22 *v.* 2. πτωχεύειν 2. *Corinthi* 8. *v.* 9. ἐλαττόω *Hebr.* 2. *v.* 9. Qvæ vocabula non phantasticam, sed veram & realem notant στέρησιν, privationem & subtractionem. 3. ex consequente ὑπερυψώσει descriptâ à Paulo *Phil.* 2. *v.* 9. qvæ hoc parit argumentum: *Qvicunqve verè & realiter superexaltatur, ille prius verè & realiter fuit depressus & humiliatus, & per consequens etiam exinanitus.* Atqvi *Christus homo verè & realiter fuit superexaltatus.* E.

Qv. II. *Num Christus homo seſe evacuavit majestatis divinæ* κτήσεσι, *ita, ut in statu* Exinanitionis *nec possederit, nec ullo tempore usurparit formam Dei?*

THESES.

I. NEgative nos respondere docuit *D. Brentius* qvi *tom. 8. pag.* 873. affirmat: Christum secundum humanam naturam *habuisse jam indè ab initio assumptionis s. incarnationis divinam majestatem, eaqve potuisse semper uti qvemadmodum eam aliqvomodo secundum carnem tribus suis Discipulis in monte Thabor patefecit & ostentavit.* Confer *D. Feurborn. in* σκιαμαχ. *Dissert. 2. §. 9. seqq. & in* Κενωσιχριφ. *sect. 3. cap. 5. q. 5.*

II. S. Scripturæ hæc Doctrina est Conformis, qvia Unionis Hypostaticæ perpetuum nexum revelat qvo tota Deitatis plenitudo, à primo Unionis momento carnem inhabitavit, adeoqve nullo tempore qvoad κτῆσιν carni denegari potest: Cum soluta sit haud indubiè divinitas & humanitas, si hæc illius majestatem, vere ac realiter amplius non possedit.

III. In miraculis, qvæ Exinanitione durante, Christus edidit, exeruit (1.) suam Omnipotentiam in resuscitandis mortuis *Matth. 9. v. 25. Marc. 5. v. 42. Luc. 7. v. 15. Joh. 11. v. 43.* in abigendis hostibus *Matth. 21. 12. Joh. 18. v. 6.* in ejiciendis Diabolis *Luc. 11, 14. Actor. 10. v. 38. Marc. 1. v. 34. Luc. 4. v. 33.* multa hominum millia paucis panibus satiavit *Joh. 6. v. 10. Marc. 8. v. 1. seqq.* &c. (2.) suam Omniscientiam dum hominum corda inspexit *Matth. 9. v. 24 Joh. 1. v. 47. 48. Matth. 22. v. 17.* &c. futura prædixit. *Matth. 24. 25. Marc. 14. v. 13.* (3.) gratiosam suam præsentiam qvando homines ratione loci absentes vel vidit. *Joban. 1. v. 48.* vel sanavit *Matth. 8. v. 13. Joh. 4. v. 50.* vel corpus manducandum & vinum bibendum porrexit. *Matth. 26. v. 17. Marc. 14. v. 18.* (4.) dominium universale in creaturas *Matth. 8. v. 26, 27.*

IV. Manifestatio gloriæ divinæ in statu Exinanitionis *Joban. 2. v. 11. cap. 11. v. 4. & 40. Matth. 17. v. 2. seqq. 2. Pet. 1. v. 16, 17. 18.* evincit

gloriæ divinæ posſeſſionem & particularem uſurpationem, cujus κένωσις ab Apoſtolo Paulo intelligi neqvit.

V. Adoratus Chriſtus homo in ſtatu Exinanit. âMagis *Matth.* 2, 11. leproſo *Matth.* 8. *v.* 2. cæcis *Matth.* 9, *v.* 27. *Luc.* 18. *v* 38. & aliis. Particulariter ergo divinam majeſtatem, qvæ jus adorabilitatis includit, in ſtatu exinanitionis libere, qvando & ubi voluit, uſurpavit, atqve exeruit.

ANTITHESES.

I. *Calviniani* infinitam & increatam Dei majeſtatem carni Chriſti communicatam eſſe, pernegant, de qvorum effatis & hypotheſibus præcedens conſulatur Controverſ.

II. *Sociniani*, qvia in Chriſto veram æternamqve DEitatem non venerantur, Exinani um & exaltatum docent purum Hominem, qvi ex humili & afflicto factus magnus & illuſtris. Qvod autem Humanitas Chriſti divinam majeſtatem poſſederit in Statu Exinanitionis, eamqve plenariè non uſurpârit, contradictionem involvere, dictitant. Smaltz. in Refut. lib. 2. de Error. Ar. cap. 8. pag. 250. *Qvomodo iſta Conveniunt, cum eo, qvod de Unione Perſonali aſſerit Smiglecius, qvâ factum ſit ut omnia, qvæ divinâ Natura habebat, facta ſint & communia humanæ Naturæ? Si tunc facta ſunt omnia communia, qvid opus fuit petere, ut fierent poſtea per Exaltationem, idqve per alium, nempe per Patrem?*

HYPOTHESES.

I. Divinam & infinitam Majeſtatem poſſidere & non ſemper exercere, Humanæ Rationi videtur ἀνυπόφατον. Diligenter autem diſtinguenda κτήσις divinæ Majeſtatis, qvæ vel eſt per *Naturam*, vel per *Unionis Perſonalis gratiam*: Qvæcunqve afferuntur argumenta, pro perpetuâ Conjunctione κτήσεως & χρήσεως, concludunt de Κτήσει per *Naturam*. cum qvæſtio ſit noſtra, de Κτήσει per *Unionis Perſonalis Gratiam*.

II. Hypotheſes Calviniſtarum, Communicatam majeſtatem infinitam Carnis Chriſti, & Socinianorum, æternam Deitatem Chriſti & myſterium Unionis Hypoſtaticæ negantium, alibi ſunt conculcatæ. Vide ſuprâ *lib.* 2.

Qv. III.

Qv. III. *Annon Christus sese exinanivit, qvando in Humanitate sua plenariam, incessantem & Universalem* Χρῆσιν *communicatæ majestatis retraxit?*

THESES.

I. AFfirmat *Form. Concord. art. 8. pag. 608.* his verbis: *Majestatem non semper, sed quoties ipsi visum fuit, exeruit, donec Formam Servi, non autem Naturam Humanam post Resurrectionem plene & prorsus deponeret, & in plenariam, usurpationem, manifestationem & declarationem divinæ majestatis collocaretur, & hoc modò in gloriam suam ingrederetur.*

II. Consona hæc verba Κενώσει θεανθρώπε, qva retractum illud, qvod non admisit 1. formam Servi, 2. passionem & ignominiosam mortem in Cruce, *Philipp. II. 7. 8.* 3. statum qvo minor fuit Christus Angelis. *Ps. VIII. 6. Hebr. II. 7. 8.* 4. desertionem *Ps. XXII. 2.* 5. *paupertatem Matth. VIII. 20.* 2. *Cor. VIII. 9.* Inqvire jam, qvidnam illud fuerit, qvod non admisit Formam Servi, Passionem ignominiosam, minorationem infrâ Angelos, paupertatem? Deitas Christi his non fuit impedimento, qvia prædicantur de Christo Homine: Κτῆσις communicatæ majestatis non impedivit κένωσιν descriptam, uti patet ex thesib. in præc. q. Relinqvitur ergò *plenaria, incessans & Universalis* Χρῆσις *communicata majestatis*, qvæ in Carne Christi evaçuata retracta & non usurpata: Qvando enim Caro Christi plenariè exercit divinam majestatem sibi communicatam, non servit, sed imperat, non patitur vel moritur, sed omnia adversa repellit, non minor sed excellentior est Angelis, non deseritur, sed defenditur, non eget, sed omnibus bonis affluit.

III. De Christo exaltato legimus, qvod factus sit Dominus, *Act. II. 38.* qvod acceperit Nomen suprâ omne Nomen *Philipp. II. 9.* Io. qvod omnia habeat sibi subjecta *Ps. IIX. 7. 8. 9. 1. Corinth. XV. 27. Ephes. I. 20.* Hæc & similia plenariam Χρῆσιν communicatæ Majestatis exprimunt, qvæ dum post Exinanitionem Christo obtigit, haud dubiè, durante Exinanitione, retracta fuit.

IV. Dicta, qvæ Christum nuncupant Servum & Ministrum

Esa.

Esa. LIII. 1. Matth. XX. 28. Rom. XV. 8. Philipp. II. 7. non permittunt, ut asseramus; Christum humanitate sua cælum ac terram in statu Exinanitionis gubernâsse.

ANTITHESES.

Triginta fermè elapsi sunt Anni, ab eo tempore, qvo exortum dissidium inter Theologos Wurtembergenses & *Hassiacos* de Christi Exinanitione & Exaltatione. *His* Saxonici Theologi sese associârunt, & professi sunt: Christum *Hominem* generaliter, universaliter, totaliter, plenarie & semper majestatem divinam in statu suæ Humiliationis non usurpâsse s. respectu suæ Carnis, sive respectu reliqvarum Creaturarum, sive aperte, sive clam sive palam. Vide *Feurborn. in σκια γρ. diss. 2. th. 24. tom. 7. Giess. disp. 24. th. 92. 97. 98. Decis. Saxon. pag. 32. 33. ejusqve Apol. p. 376.* Wyrtembergensium mentem *Thummius in ταπεινωσιγρ. theor. 3. p. 255.* his explicat verbis: *Vera humiliatio Christi 1. potuit consistere 2. actu constitit, & 3. necessario qvidem consistere debuit in unâ & eadem Christi humanâ natura diverso licet respectu, cum universali (licet non plenaria; Christus enim Θεανθρωπος in carne reflexe usum majestatis retraxit) usurpatione divinæ majestatis extraneâ conservante regente & sustentante Ecclesiam totumqve hoc universum.*

HYPOTHESES.

I. Distinguunt Theologi Wyrtemb. 1. inter Exinanitionem *reflexam & ad intra*, qvâ caro Christi non usurpavit ea divina idiomata, qvibus finis Incarnationis h. e. obedientia Christi activa & passiva potuisset impediri, & inter *exinanitionem relatam ad extra*, qvâ caro Christi usum divinæ majestatis retraxit aliis creaturis, qvarum gubernatio finem Incarnationis non impedivit: *Illam* argumentis adductis stabiliri, annuunt, *hanc* autem iisdem connotari, negant. 2. inter officium Christi *Regium* & *Sacerdotale*. In *hoc* noluisse eum secundum humanam naturam plenè & universaliter uti, divina majestate, affirmat, in *illo* & *potestatem*, & *voluntatem* & *necessitatem* istius Χρησεως, qvâ etiam caro in statu Exinanitionis divinam majestatem exeruit, propugnant. 3. inter Χρησιν divinæ majestatis in carne *occultam s. forma servili tectam*, & *manifestam s. gloriosam*: *Illam* etiam in exinanitâ & mortuâ Carne Christi agnoscunt: *hanc*

Exal-

Exaltationi in ascensione & sessione ad dextram Dei factæ reservant. Vide *Thumm. in κατανύξεις pag. 95. 118. 164. p. 219. 218. seqq.* & alia Scripta Tybingensum, qvibus hinc inde Hessiacis Theologis hæ distinctiones opponuntur: Desiderantur autem in his distinctionibus solida fundamenta: Nondum enim vidimus perspicuos Scripturæ textus, qvibus erudiamur: Christum hominem in statu Exinanitionis voluisse usum divinæ suæ majestatis retrahere (1) tantum ad intra reflexe, non etiam ad extrâ, in respectu ad reliqvas creaturas (2) tantum in officio Sacerdotali, non Regio (3) occultando non evacuando. Qvamdiu ergo hæ distinctiones adhuc Scripturæ destituuntur testimoniis, illis conscientia & fides tuto non committitur.

II. *Reflexa* exinanitio, qvâ â Carne non fuit depulsa paupertas ignominia, passio & mors, etiam divinæ naturæ λόγε competit, qvæ itidem suâ majestate non depulit injurias carni illatas. Periculose ergo hæc sola asseritur, cùm Calviniani hoc studiosè qværant, ut divinitatem æqve ac humanitatem Exinanitioni subjiciant.

III. Christi majestas in officio Regio retracta indicatur, qvando ut pauper, servus & minister describitur; Paupertas enim & servitus non tam sacerdotali, qvam Regiæ opponitur dignitati.

IV. Si Χένωσις divinæ majestatis in Carne tempore exinanitionis fuit occulta & contecta: occulta fuit vel qvoad *modum agendi*, vel qvoad *nostram* vel qvoad *ipsius Christi notitiam*. Si *istud*; adhuc hodie est occulta in statu Exaltationis, qvo nobis perfecte non innotescit modus, qvo Christus suâ majestate in carne utitur. Sin *illud*; maxima ex parte, itidem exaltati Christi majestas occulta est, qvia multi sunt adhuc increduli & infideles, qvibus Christi hominis ad dextram Dei sedentis Regimen est ignotum. Si Sin *hoc*, Christus non exeruit suam Omniscientiam & disposuit omnia, nesciens, sese omnium esse *Dominum* in usu & exercitio, qvod in Theologiâ sanâ vix tolerabitur. Hactenus nostra Apodixis, de qvâ plura legantur in *Feurborn. κατανύξ. p. 24. 46. Mentz. justa Defens. pag. 99. seqq. 586. 140. 210. Gerhard. Exeg. de Pers. Christi p. 1377. Κένωσις P. Feurborn. sect. 14. & sect. 5. cap. 5. & 6.*

V. Christum in assumptâ carne *libere* & *voluntarie*, non autem

ex necessitate naturæ divinam exeruisse & retraxisse majestatem attestantur, sacræ literæ, qvæ docent 1. in operibus ad extrâ Deum ἐκτὸς τοῦ ἔργου ἐνεργείας agere, ita ut qvando velit, possit vel potuerit aliqvando non agere *Psal. 115. v. 3. Psal. 135. 6.* Confer. *Jona 1. 14. Sap. 18. 18. Judith 9. v. 4. 9. Apoc. 4. 8.* 2. Christum *libere* edidisse miracula & aliqvando ab iisdem cessasse, uti tota historia Evangelica attestatur. 3. Christum de ipso affirmare, qvod in miraculis *ἐκτὸς ἔργου* suam majestatem exeruerit *Matth. 8. v. 3. Joban. 2. v. 4 cap. 5. v. 21.* 4. Christum retraxisse usum majestatis in omnibus illis qvæ finem incarnationis non impediverunt, qvod libere non ex physica necessitate factum. 5. hæmorrhoüsam ex contactu Carnis Christi esse sanatam, qvando alii illam absqve fide attingentes non continuo fuere vivificati: qvod haud in dubio factum esset, si physicè & necessario, non libere virtus vivifica esset usurpata. His observatis, facile intelligitur, usum divinæ majestatis in carne demonstrari non posse, nisi vel de facto vel de Voluntate facti simus certiores.

VI. *Joban. 5. v. 17. de universali incessante operatione* in humanâ naturâ Christi non sunt adeò manifesta documenta: Consequentia abunde evincunt, Christum intendere suam divinitatem, qvâ Patri est æqualis. Antecedentia operationem non *universalem*, sed *particularem* ostendunt in Sanato ægroto. Præterea *v. 21.* luculenter indicat, Christum operationem suam cum voluntate conjungere, ut alius sensus esse nequeat, *vers. 17.* qvam hic: *Sicut Pater meus operatur, ita & ego*, qvando volo, *operor*. Hunc sensum eruo ex *v. 21.* in qvi continet specialem conclusionem ex *v. 17.* seu generali illatam. Nisi ergo impie statuere velimus, plus esse in Christi conclusione, atqve fuit in præmissis, non possumus non asserere, Christum Patri sese æqvalem pronunciare, cum inclusione voluntatis. Nihil ergo obtinetur amplius ex hoc dicto qvam illud, qvod est extrâ litem: Christum secundum utramqve naturam operatum esse, qvando voluit, sicut Pater operatur. Voluisse autem illum in statu Exinanitionis *semper* & *universaliter* secundum humanam naturam divinam exercere majestatem, uti Pater illam exercet ex citato dicto evincetur nunqvam.

VII. Regula Theologica de Christi officiis, qvibus *tota Persona agit secundum utramqve naturam*, non evincit, Christum hominem exinanitum *universaliter* & *semper* voluisse exerere divinum regimen in toto Universo. Nam *prius*, demonstrandum, qvod officium regium, in regno potentiæ Christus exinanitus voluerit universaliter ante ascensionem in cælum administrare humanâ suâ naturâ concurrente. Scripturam si libeat audire, illa nos instituit, qvod gubernatio totius universi qvatenus per humanam naturam universaliter exeritur, fuerit officium non Exinaniti, sed exaltati & ad dextram Dei evecti Christi. Uti ergo ante Incarnationem gubernationem universi exercuit, ut officium; non autem ut officium in carne administratum, qvia nondum erat Caro assumpta: ita in Exinanitione, gubernavit ut Deus omnia, non ut homo, qvia hæc gubernatio ut officium in carne non exinanitâ sed exaltatâ peragendum. Nisi ergo probetur, qvod gubernatio dicta sit officium in carne exinanitâ peragendum, nihil obtinetur.

VIII. *Indivisa* θεάνθρωπου Deum & hominem in statu Exinanitionis, dominatum esse omnibus Creaturis, non negamus: qvod autem actio hæc indivisa non fuerit, si humanitas universali χρήσει suæ majestatis non sit cooperata, probari non potest. Nam indivise Deus & homo exeruit divinam majestatem universaliter in statu Exinanitionis propter 1. naturarum κοινωνίαν ac περιχώρησιν 2. majestatem actualem infinitam carni communicatam. Non autem propter dictæ majestatis usum incessantem in carne, qvi reservatus statui Exaltationis. Qvod si probari posset, voluisse Christum in humanâ naturâ divinam majestatem exerere, qvando se exinanivit, nullatenus dubium esset, & propter κοινωνίαν ἐνεργείας indivisam fuisse actionem, qvâ θεάνθρωπος gubernavit totum universum.

IX. *Actiosa* & non *otiosa* λόγου idiomata esse Carni communicata profitemur & nos, qvæ infallibiliter evincunt, Christum in carne statim à primo Conceptionis momento potuisse universaliter divinam majestatem exercere. Qvod autem ideò coactus sit ad hoc universale exercitium, qvia hæc idiomata non potuerint non sese exerere universaliter in Carne, atqve sese semper exeruerunt in Deiparæ, cum libertate pugnat, qvâ λόγος in exerendis ἰδιώμασι, fruitur;

Potest enim, qvando vult ita exerere sua Idiomata, ut hæc in carne maneant qvoad κένωσιν, licet Caro ad Χρῆσιν non adhibeatur.

X. Particularis usus majestatis divinæ In carne, qvo Caro in miraculis Redemptione generis humani &c. divina Idiomata exeruit, probat qvidem, potuisse carnem semper & universaliter, licet latenter exerere divinam majestatem: qvod autem voluerit, & ipso actu exeruerit, apodictice non evincitur ex his actibus particularibus.

XI. In Tubingensium refutanda & Giessensium propugnandâ Thesi hæc est necessaria moderatio. Qvando consensus est, Christum in humanitate sua ante passionem & mortem retraxisse usum suæ majestatis illis actibus, qvibus Χρῆσις hujus majestatis finem incarnationis impediisset, non est scrupulose & curiose inqvirendum, Num usurparit vel non usurparit Caro Christi suam majestatem apud illas creaturas, qvarum gubernatio cum Exinanitione vera & reali potuit consistere: Nemo hic deroget divinæ potentiæ, docendo talem Exinanitionem plane impossibilem fuisse, qvæ si Christus voluisset, cum universali exercitio finem incarnationis non impediente consistere potuisset; nemo etiam irruat in arcana Dei consilia, affirmando, Deum voluisse, ut Christus homo, qvoad se reflexe non uteretur semper suâ majestate divinâ, sed ad extrâ hujus majestatis occultam & tamen universalem Χρῆσιν apud omnes creaturas exerceret. Cum hæc Dei voluntas non sit perspicuis scripturæ dictis patefacta & divina potentia nullis limitibus cingenda, gratâ mente agnoscendum, qvod Christus homo suam divinam majestatem retraxerit, qvoties Redemptionis nostræ opus reqvisiverit; & qvod in exaltatione ad hujusmodi gloriam pervenerit, qvâ jam indefinenter & universaliter secundum carnem, omnibus Creaturis omnipræsenter & omnipotenter dominetur. Qvod autem in statu Exinanitionis secundum carnem tunc etiam exeruerit, divinam majestatem, qvando ejus usus nostram Redemptionem non impedivit, credere non abnuamus, si de voluntate Christi erudiamur. Hæc si deprehenditur abscondita, ignoremus modeste, qvæ per Consequentias, discursus & ratiocinationes ut indagemus, nulla cogit necessitas.

Qv. IV.

Qv. IV. *Annon per κένωσιν in Carne Christi retracta esse incessans, plenaria & universalis Χρήσις Communicatæ Omnipotentiæ?*

THESES.

I. AFfirmativam thesin *Brentius homil. 33. in Lucam* ita effert: *Quanqvam Christus potuisset semper in diebus carnis suæ pro divinâ suâ majestate & potentia omnia agere: tamen, qvia nostri causa induerat hominem, maluit nostræ perpetuæ saluti, qvam temporariæ suæ majestati consulere: Sepositâ igitur, seu ut ita dicam, dissimulatâ divinâ suâ majestate conjecit se in nostras imbecillitates, & in his præbuit, sese Sathanæ non aliter tentandum, qvam homo qvispiam infirmus à Sathanâ tentari solet.*

II. Collegit hoc Dogma D. *Brentius* ex infirmitatibus Christi assumptis *Hebr. 2. v. 17. cap 4. v. 15.* qvibus hodie eam ob causam ipsius humanitas amplius non subjicitur, qvia incessanter & universaliter divinâ potentiâ utitur: Sic ex historiâ de tentatione Christi *Matth. 4. v. 1.* patet, illum universaliter non voluisse uti suâ potentiâ, qvâ facile potuisset Sathanam inhibere, ejusqve tentationes effugere.

III. Qvia Hostium furori Christus cessit *Matth. 2. v. 13, 14, 20. 21. cap. 4. v. 12. Joban. 4. v. 13. Luc. 4. v. 29.* ὁλικῶς & ἀδιαλείπτως suam divinam potentiam exerere non voluit: Qvia defatigatus *Joban. 4. v. 6.* fame & siti afflictus *Matth. 4. v. 2. Job. 19. v. 28.* plenaria & incessans Omnipotentiæ Χρήσις, qvod in carne retracta fuerit, dubitare non possumus.

IV. Qvia parentibus factus ὑποτασσόμενος *Luc. 2. v. 5.* divinam potentiam semper & universaliter non usurpavit, nec semper parentibus dixit: *An nescitis, qvia oportet me esse in his, qvæ Patris mei sunt Luc. 2. v. 49.*

V. Nec confortatus ab Angelo fuisset, *Luc. 22. v. 43.* nec traditus, captus, ligatus, condemnatus, illusus, vulneratus cruci affixus & sepultus esset; si voluisset per plenariam & incessantem

iuæ Omnipotentiæ Χρῆσιν avertere hostium incursum & exerere concessam Virtutem.

VI. Exaltatio passionem & mortem Christi insequuta ut Χρῆσις plenaria, universalis & haud interrupta describitur *Ps. 8. v. 5. 6. seqq. Ps. 72. v. 8. Eph. 1. v. 22. &c.* Ut ergo inter Exinanitionem & exaltationem maneat distinctio, illi non attribuenda Χρῆσις quæ est hujus propria.

VII. Christum *Potuisse* aliis actibus, finem incarnationis non impedientibus communicatam carni Omnipotentiam ὁλικῶς & κρυπτικῶς exerere, non inficiamur. Sed *voluisse* Christum occulte & universaliter exerere per carnem Omnipotentiam, tamdiu ignoramus, quamdiu nec voluntatis hujus indicia aperta, necactus, in Scriptura præscriptos, quibus hæc occulta Χρῆσις designetur, animadvertimus. Confer *D. Feurb. in ὀνιαγρ. dissertat. 3. & in Κενωσιγραφ. sect. 5. cap. 7. & 8.*

ANTITHESES.

Christum hominem à primo Conceptionis momento divinam sibi per unionem personalem communicatam Omnipotentiam in operibus ad Creaturas directis, hoc est in potenti totius Universi sustentatione & gubernatione una cum assumente λόγῳ indivise exerere & usurpare voluisse, docet *Thummius in ταπεινωσιγρ. theor. 9. p. 625.*

HYPOTHESES.

I. Dictum Joh. 5. suprà explicatum; κοινωνίαν ἐνεργείων in officio, & Unitas vel actualitas divinæ Omnipotentiæ &c. nos non oppugnant, nisi evincatur 1. voluisse Christum secundum humanam naturam universaliter & incessanter operari, sicut Pater universaliter & incessanter operatur: 2. Omnipotentiæ plenariam & universalem Χρῆσιν apud omnes creaturas, pertinuisse ad officium Christi in statu Exinanitionis administrandum. 3. Non posse Omnipotentiam unam indivisam & actualem manere, nisi incessans & universalis ejus Χρῆσις per carnem exeratur.

II. Aliud est *uti Omnipotentia*, aliud in *usu ejus carnem adhibere*: *Hoc* qui negat, non tollit *illud*, & *illud* qui probat, non statim evincit *hoc*.

Qv. V. *Annon per* κένωσιν *in carne Christi retracta est incessans plenaria & universalis* Χρήσις *communicatæ Omniscientiæ?*

THESES.

I. ACqvieſcere poteſt mens pia in theſi, qvam proponit *Apologia Form. Concord. cap. 4. pag. 93.* his eloqviis: *Secundum verissimam D. Lutheri Confessionem, Christus etiam secundum assumptam humanam naturam tempore Exinanitionis omnium rerum notitia & scientia respectu & ratione personalis unionis fuit præditus, non autem semper illâ est usus sed qvâ ratione tantum & qvando voluit.*

II. Aſſeruntur hic ea, qvæ ex ſcripturis certa ſunt, ut 1. Omniſcientiæ κτῆσις, qvâ humana Natura communicatam ſibi infinitam ſcientiam poſſedit. 2. κένωσις. Χρήσεως inceſſantis & univerſalis, qvâ non ſemper Chriſtus ſuâ omniſcientiâ voluit uti: 3. Χρῆσις particularis. Omniſcientiæ in carne.

III. Evangeliſtæ referunt, Chriſtum ignoraſſe ſterilitatem ficî *Matth. 21. v. 19. Marc. 11. v. 13.* Notetur autem 1. Ignorantiam non pravæ διαθέσεως; ſed ſimplicis στερήσεως fuiſſe in Chriſto. 2. Marcum *v. 13.* non indicare, qvod plane tempus non fuerit, qvo matureſcere debebant fici, ſed, qvod copia non adfuerit illarum ficuum, qvæ maturuerant. 3. Omnem ſimulationem procul abfuiſſe à Chriſto 4. Actu perſonæ Chriſti humanitatem potuiſſe ficus ſterilitatem agnoſcere, ſi voluiſſet omniſcientiâ ſuâ in carne uti. Voluntate autem nondum evictâ; fruſtrâ probatur, qvod Chriſtus actu Perſonæ potuerit ſcire, qvæ ignoravit actu naturæ.

III. Diem Extremi Judicii Chriſtus cum Angelis & hominibus ignoravit *Matth. 24. v 36 Marc. 13. v. 32.* Hæc dicta ita urgenda, ut attendatur 1. *oppoſitio inter Patrem & Filium*; qvæ non ſolum evincit, de Chriſto homine eſſe ſermonem, ſed etiam actum divinum ſcientiæ oſtendit & parit tale argumentum: *Qvo actu Deus Pater diem extremi judicii cognovit, eo Filius hominis, diem hunc ignoravit. At actu divino Deus Pater diem extremi judicii agnovit.* E. *Major* patet ex Conjunctione, qvâ ſe Chriſtus

ſtus ut Filius Hominis cum Angelis & meris hominibus qvoad ignorantiam copulat, adeoqve divinæ ſcientiæ uſum æqve ſibi atqve aliis hominibus & Angelis denegat. 2. *actus divinæ Omniſcientiæ in λόγῳ*, qvi non tollitur, qvando per carnem λόγος ſuam Omniſcientiam noluit exerere. 3. *oppoſitionem non eſſe accipiendam de modo*, qvaſi eo modo ſciverit Deus Pater diem extremi judicii, qvo ignoravit Filius hominis, ſed de *reipſâ*, ſc. *divina ſcientia plenariâ uſurpatione*, qvæ in plenâ ἀντιθέσει Patri ſoli attribuitur, Filio hominis v adimitur. 4. *Ignorantia qvâ ignoratur dies ultimus ad revelandum aliis*: Hæc & Patri competit, & Angelis aliisqve hominibus non competit; *Hi* enim non ſolum ad *revelandum aliis*; ſed etiam *ſibi* ignorant extremum diem. 5. *ſcopus Chriſti*, qvi fuit in eo, ut avocarentur Diſcipuli â ſollicitâ inqviſitione temporis, qvo futurum judicium extremum. Confer *D. Feurborn. in* σκιαγρ. *diſſert. 6. & in* Κενωσιγρ. *ſect. 6. cap 2. 3. 4. ſeqq. cap. 12. ſeqq.*

ANTITHESES.

D. Thummius in Ταπεινωσιγρ. theor. 8. p. 547. ita ſcribit: *Chriſtus qvâ homo in ſtatu Humiliationis ex actu communicata majeſtatis cuncta non tantum poſſeſſione, ſed etiam exercitio ſcivit.*

HYPOTHESES.

I. Qvæſtio eſt: *An voluerit Chriſtus in ſtatu Exinanitionis ὁλικῶς & ἀδιαλείπτως per carnem exercere divinam Scientiam?* Si ergo Dn. Tubingenſes poſſibilitatem urgere velint, amice cum ipſis conſpiramus, de *voluntate* manet ſaltem controverſia.

II. Dicta *Eſa. 11. v. 1. 2. ſeqq. Johann. 3. v. 35. cap. 2. v. 24. c. 16. v. 29.* &c. non eam detegunt Chriſti voluntatem, qvâ voluerit in carne ſuâ ſemper & univerſaliter uti ſuâ Omniſcientia, durante Exinanitione: Κτῆσις divinæ Omniſcientiæ & uſus particularis non vocatur hîc in dubium.

III. In officio Chriſti judicario duo obſervanda 1. *officii hujus commendatio.* 2. *commendati officii plenaria executio. Illam* â Conceptionis momento Carni aſſignamus, de *hâc* Scriptura nos non docuit, qvod ſtatim â primo Conceptionis momento in Carne Chriſti cæperit.

IV.

Disp VI. Resp. SAM. JOACH. HOPPIO. Soltqvel-lâ-March.

IV. Filius Mariæ vel Christus homo, qvamvis in statu Exinanitionis non per carnem suam, tamen per divinitatem sibi realiter communicatam omniscientiam exeruit: Unde non statim dividitur Persona, qvando proprietas unius naturæ per utramqve naturam se non exerit: sufficit enim ἰδιοχείρως in primo genere communicationis Idiomatum descripta.

Qv. VI. *Annon per* Κένωσιν *in carne Christi retracta est incessans & continua* Χριστοῦ *Omnipræsentia?*

THESES.

I. PRæsentia *Intima* & *Personalis*, qvâ λόγος ubicunqve etiam sit, ἀδιαστάτως & ἀχωρίστως præsens est suæ carni, in statu Exinanitionis nec retracta nec ullo alio modo mutata fuit: Nam Unio Personalis nullis vel temporum vel locorum vel statuum varietate potest mutari, & Unione personali stante, non potest non unum unitorum suo unito omnibus in locis esse præsens.

II. Qvando docetur, λόγον sibi â primo Unionis momento carnem habuisse in omnibus locis præsentem, etiam in Statu Exinanitionis, nostra mens concipit propinqvitatem personalem, qvâ Caro est præsens vel propinqva omnibus Creaturis per Unionis gratiam, qvibus λόγος est præsens per naturam; Qvia ubicunqve λόγος, ibi etiam caro. E. g. Cogitetur; λόγον incarnatum, qvi stetit in Jordane, qvando baptizatus fuit â Johanne, eodem tempore fuisse Romæ: Consideretur ulterius, λόγον in Jordane & Romæ fuisse ἔνσαρκον & statim apparebit, λόγον & in Jordane & in Urbe Româ carni suæ fuisse præsentem. Si jam qværatur: An Caro stans in Jordane, præsens etiam fuerit Romæ, qvia λόγος cui semper & indistanter & præsens caro, Romæ adest, vix ac ne vix qvidem tales formabis conceptus, qvibus intelligas, Carnem esse præsentem suo λόγῳ existenti Romæ, non autem esse præsentem Romæ ipsi vel creaturis, qvæ sunt Romæ: Qvin potius ita cogitabis: Cum Carnis infinita hypostasis præsens sit Creaturis qvæ sunt Romæ, etiam caro ipsa iisdem Creaturis erit præsens. Vide *Apolog Decision. Saxon. sect. 2. cap. 9. p. 316. Jeqq.*

III. Qvamvis intimam Naturarum in Christo Unionem & *præsentiam intimam*, λόγου ad suam Carnem, concipere non valeamus

absqve propinqvitate ſubſtantiali, qvâ Caro indiſtanter fuit ſuâ eſſentia λόγῳ unitâ ap. Creaturas, qvibus adfuit λόγος; tamen propinqvitatem hanc explicare non valemus, adeoqve diſputationem de illâ Cæleſti Academiæ reſervandam putamus.

IV. Nos ignoramus modum, qvo λόγος propinqvus eſt creaturis, qvia hic ut illocalis & imperveſtigabilis, dijudicari haud qvaqvam poteſt ex modis, qvibus ſubſtantia finita alii finitæ ſubſtantiæ propinqva. Sane, ſi finita ſubſtantia unita cum finita ſubſtantiâ, illis creaturis, qvibus una eſt ſubſtantialiter propinqva, & alteram ſubſtantialiter eſſe propinqvam durante Unione, in conſeſſo eſt: Num vi in Unione ſubſtantiæ finitæ & infinitæ eodem modo liceat colligere incertum eſt, cum exacte non conſtet, qvomodo ſubſtantiâ infinita aliis creaturis propinqva ſit vel approximetur.

V. Variis difficultatibus intricamur, ſi explicare conamur, propinqvitatem ſubſtantialem Carnis Chriſti exinanitæ ap. omnes Creaturas. Premi ſe ſentiet qvilibet qvi conabitur explicare (1) dictaScripturæ, qvibus hujusmodi præſentia divina deſcribitur, qvæ ſit nuda propinqvitas absqve operatione (2) communicationem hujus præſentiæ, qvæ num â λόγῳ, dubitatur, qvia nullibi talis λόγου præſentia ap. Creaturas deſcribitur, qvæ nuda propinqvitas. (3) veritas mortis Chriſti, qvæ qvomodo hac propinqvitate carnis ap. Creaturas omnes prematur, *lege ap. Feurborn. in σκιαγρ. diſſert. 8. th. 57. ſeqq.*

VI. Cum ſtatus Exinanitionis præteriit, & parum ſolatii ex illâ fluit præſentia qvæ nuda propinqvitas: Cum etiam absqve decisione problematis, de propinqvitate carnis exinanitæ ap. omnes creaturas ὀρθοδοξία de Chriſto proponi & ἑτεροδοξία refutari poteſt, vix qvædam ἀνακρισις ex inqviſitione ejusdem expectari poteſt. Confer *Apolog. Saxon. Deciſ. ſection. 2. cap. 16.*

VII. Non liqvet ex ſacris literis, qvod in ſtatu Exinanitionis Chriſtus voluerit humanitate ſuâ una cum λόγῳ ſemper & inceſſanter omnibus creaturis gubernandis adeſſe: nulla enim extant dicta, qvibus hanc declaratam, legere poſſimus Chriſti voluntatem, qvâ in Exinanitâ ſuâ carne vel clam vel palam totum univerſum regere & gubernare decreviſſet. τὸ *Poſſe* ipſius luculenter in ſcripturis eſt pateta-

tefactum. *Τὸ velle* autem & *τὸ factum* esse, solide ex scripturis nequit ostendi.

VIII. *Κένωσις* Universalis divinæ præsentiæ, quâ gubernantur omnes creaturæ, in Carne Christi fuisse, scriptura docet, quando Christi humanæ naturæ totius Universi gubernationem post resurrectionem & ascensionem in cœlum, concessam esse tradit. *Marc.* 16. *v.* 10. *Luc.* 22. *v.* 69. *Actor.* 1. *v.* 11. *cap.* 2. *v.* 33. *Ephes.* 1. *v.* 20. *Hebr.* 1. *v.* 3. *c.* 8. *v.* 1. *cap.* 12. *v.* 2. 1. *Pet.* 3. *v.* 22. In dicto Apostolico *Ephes.* 4. *v.* 10. *πλήρωσις πάντων* notat præsentiam universalem, vel regnum potentiæ & ceu consequens ascensionis describitur. Confer *D. Philip. Nicol. lib.* 2. *de Omnipræs. cap.* 5. 6. 7. *Tom.* 7 *Gies. d.* 24. *th.* 170. *seqq. D. Feurborn. in συναγ. Dissert.* 7. *th.* 80. *seqq. & Κενωσιγ. sect.* 7. *cap.* 7. *seqq.*

IX. Gratiosâ præsentiâ Christum in statu Exinanitionis Ecclesiæ tunc temporis satis angustæ non solum secundum Deitatem, sed etiam humanitatem adfuisse, *quando, quomodo & ubi voluit* pie credimus, non solliciti de illis præsentiæ gratiosæ actibus, quos sacra Scriptura reticuit.

X. Gratiosa præsentia totius Christi secundum utramque naturam promittitur fidelibus etiam in statu Exinanitionis *Matth.* 18. *v.* 20. *Joban.* 14. *v.* 23. & describitur in statu *Exinanitionis Joban.* 14. *v.* 20. *cap.* 15. *v.* 5. Ad hanc gratiosam præsentiam pertinet Missio Apostolorum ad prædicandum Evangelium *Matth.* 4. *v.* 17. *cap.* 10. *v.* 1. Efficacia concionum Christi, *Luc.* 4. *v.* 22. *Matth.* 6. *v.* 29. & Sacramentalis præsentia in Cœna *Matth.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22.

XI. Regimen Ecclesiæ Christo exaltato tribuitur ut capiti suprâ omnes Ecclesias, adimplenti omnia in omnibus *Ephes.* 1. *v.* 22, 23. ut Domino, quem omnis lingua confitetur *Philip.* 2. *v.* 11. & ut Regi semper viventi *Rom.* 6. *v.* 9. Quatenus ergo Christus in statu Exinanitionis non dum gratiose adfuit secundum humanam naturam Ecclesiæ ex gentibus collectæ & quatenus nondum universalis & semper vivens fuit Dominus, eatenus etiam præsentiam gratiosam evacuatam esse statuimus.

XII. S. Scriptura non respondet ad has quæstiones 1. *An Christus, quâ homo, jam inde à primo conceptionis momento per omnia & singula infantiæ, pueritiæ, adolescentiæ juvenilis &*

virilis ætatis tempore semper & indesinenter cunctis ubiq; credentibus gratiose adfuit eosq; sine intermissione vidit, duxit, rexit. &c. 2. *An tempore passionis mortis & sepulturæ universaliter, continuè & incessanter clausis oculis ac auribus, mortuoque corpore Ecclesiam rexerit?* Io qvibus & similibus non erubescimus profiteri nostram ignorantiam.

ANTITHESES.

I. Calviniani λόγον omnibus in locis sibi præsentem habere carnem, negant, uti suprâ fuit dictum.

II. Theologi Tubingenses, nimis rigide urgent decisionem qvæstionis, de nuda propinqvitate Carnis Christi ap. omnes creaturas in statu Exinanitionis. Vide *D. Thumm. in* Ταπεινωσιν. *theor.* 76 *p.* 342. *seqq. Amicam Admonit. de Decis. Saxon. p.* 19. 48 49. 50.

III. Iidem simpliciter & absolute negant, Exinanitionem fuisse retractionem usus ad Creaturas in regimine Ecclesiæ totiusqve universi foras prodeuntis vel externi. Vide D. Thumm. in ταπειν. p. 217.

HYPOTHESES.

I. Propinqvitatem substantialem carnis Christi, qvâ in λόγῳ fuit propinqva omnibus creaturis â primo Unionis momento, simpliciter non negamus, sed pro nostro concipiendi modo illam concedimus, exqvisitam & veram ejus qvidditatem statui beatorum reservantes.

II. Non condemnabimus eos, qvi propinqvitatem nudam in statu Exinanitionis Carnis λόγῳ unitæ assignant, modo & nos alii non condemnent, qvando ejus veritatem & qvidditatem scrupulosè non indagamus.

III. Præsentiam non *simplicem* sed *modificatam* in statu Exinanitionis retractam in carne, docemus: Ideo argumenta pro simplici præsentiâ absqve ullâ operatione, fluente ab immensitate Dei & non ex liberâ Dei voluntate, nos non lædunt.

IV. Regem fuisse Christum in statu Exinanitionis ipsimet confitemur, qvia (1.) regiam majestatem posuedit. (2.) in regno gratiæ & aliis particularibus actibus exeruit: Neminem autem esse Regem, qvi non universaliter & indesinenter regnum suum administret, negamus.

V. Ea-

V. Eadem potentia & *Ecclesiam* & totum *universum* regi, ipsimet credimus: Potentiæ autem operationes alias in *illâ*, alias in *hoc* exeri scriptura aperuit.

VI. Potuisse Christum per carnem suam omnes gubernare creaturas â primo Unionis momento, non imus infitias, qvod autem talem gubernationem ante Resurrectionem & sessionem ad dextram De exercere voluerit, apertis Christi verbis ut edoceatur, â parte adversâ contendimus. Prolixius Tybingensibus respondetur â *Mentz. in Defens. pag.* 71. 81. 148. 240. 290. *Feurborn. in* σκιαχαφ. *p.* 289. *Dissert* 8. & Κενωσιχ. *sect.* 7. *cap.* 16. *seqq.*

Qv. VII. *Annon* Κένωσις *Carnem Christi privavit universali & incessante cultu, qvo hodie religiose colitur?*

THESES.

I. NEmo orthodoxus dubitat, qvod â primo Incarnationis puncto, Caro Christi majestatem adorabilem & jus adorationis habuerit; Hujus Κενωσιν esse factam, qvatenus retracta Χρῆσις plenaria Omnipotentiæ, Omniscientiæ & præsentiæ universalis superius evictum.

II. Χρῆσιν Particularem dictæ majestatis scriptura N. T. toties depingit, qvoties Christum Θεάνθρωπον etiam in Exinanitionis statu adoratum fuisse, testatur.

III. Qvoties Sancti Angeli & pii Homines in Ecclesiâ tam militante qvam triumphante Christum adorarunt, Deum & Hominem religioso cultu sunt prosequti: Qvod autem Christi *Humanitatem*, qvatenus *universaliter, plene & semper exerit Majestatem adorabilem* Sancti Angeli & Homines adorarint in statu Exinanitionis, nullis textibus Θεοπνεύστοις evinci potest.

IV. Qvod attinet impios homines & Dæmones, illi (1.) intermittunt cultum, qvem debent non solum Filio Dei sed etiam Patri & Spiritui S. 2. non tantum intermittunt universalem cultum Carnis, sed etiam Deitatis Christi 3. universalem cultum æqve in statu Exaltationis detrahunt Carni, atqve detraxerunt eum in statu Exinanitionis. Horum enim Intermissio si ad Exinanitionem ὁριστικῶς pertineret & tota SS. Trinitas, & Christi Deitas & caro

Christi exaltata diceretur exinanita, qvod sana & Θεόπνευστος Theologia neqvaqvam admittit.

V. Sancti Angeli & Homines, qvia Humanitatem Christi religiose adorarint, qvando evacuavit se μορφῇ τοῦ Θεοῦ, assumpsit formam Servi & nondum accepit Nomen suprâ omne Nomen oppidò manifestum est, qvod religiose adorarint Humanitatem Christi, qvæ *plene & Universaliter non exeruit majestatem adorabilem.*

VI. Κένωσις ita qve non simpliciter Christo Homini cultum Religiosum, sed duntaxat eum cultum subtraxit, qvi in Statu Exaltationis exhibetur Carni plene & universaliter exerenti majestatem adorabilem.

ANTITHESES.

I. *Theologi Wyrtemberg.* contendunt, Christum ut Hominem toto *Humiliationis* tempore non tantum, qvoad ἐστίαν possedisse adorabile Nomen, sed etiam qvoad χρῆσιν restrictive ab omnibus bonis Angelis & universâ & militante & triumphante Ecclesiâ unâ cum λογῳ indivise, tam in statu Humiliationis, qvoad rem, qvam glorioſæ Superexaltationis Resurrectionem insequtæ, actu ipso religiose fuisse invocatum. *Thumm. in ταπεινωσιχ. theor.* II. *pag.* 761.

II. *Theologi Hassiaci* sententiam Wyrtembergensium oppugnant, negando â Sanctis Angelis & Hominibus Christi Humanitatem religiose semper in Statu Exinanitionis fuisse invocatam. D. *Feurborn. in σκιαγραφ. diss.* 2. *th.* 19. *seqq. & in* Κενωσιχ. *sect.* 4. *cap.* 1. *seqq.*

HYPOTHESES.

I. D. Thummii si expendas argumenta, qvæ d. l. comportavit, probant duntaxat: *Christum in Statu Exinanitionis â Sanctis Angelis & Hominibus fuisse religiose invocatum, non duntaxat ut DEum, sed etiam ut Hominem.* Hæc Conclusio nobis non opposita est; Qvod autem Christus *Homo* in statu Exinanitionis sit adoratus ut *universaliter & plenarie exerens majestatem adorabilem*, argumenta adducta non probant.

II. Cum primogenitum Pater cælestis introduxit in mundum, præcepit ut omnes Angeli eum adorarent. *Ps. XCVII.* 7. *Hebr. I.* 6. sed non introduxit in mundum Hominem, qvi statim *plenarie exe-*

mu-

municatam divinam majestatem usurparet D. Brent. tom. 3. op. pag. m. 1031. Christum ab omnibus Angelis adoratum, scribit, cum ad prædicationem Evangelii de Christo cecidit Idolomania apud omnes gentes, & in locum ejus successit cultus Domini nostri J. Christi.

II. Qvia in Formâ servili Pater cælestis, ut Filius, nunqvam fuit, κένωσις illa, qvâ Christus docet, Filium ita esse honorandum, ut Patrem, ad statum Exinanitionis absqve limitatione non potest restringi: sed vel Deitatem suam, vel carnem exaltandam & glorificandam analogia Fidei svadet, ut intellexisse Salvatorem, credamus.

III. Argumenta *D. Thummii* deprompta 1. ex *exemplis eorum, qvi Christum adorarunt in statu Exinanitionis* 2. ex *Unione Hypostatica* 3. Κοινωνία *Naturarum.* 4. Κοινωνία *Idiomatum.* 5. *ex officio Christi Mediatorio,* 6. â *cultu Fidei.* 7. ex *Hypothesi Dissentientium.* &c. probant id, qvod â nobis conceditur; scil. in statu Exinanitionis adoratam fuisse cum λόγῳ â Sanctis Angelis & Hominibus Humanam Christi Naturam. Qvod autem hæc adorata sit, in *plena & incessante* χρῆσει *majestatis adorabilis,* argumenta non evincunt.

IV. D. *Feurbornii* argumenta probant, Carnem Christi non fuisse adoratam in Statu Exinanitionis in *plenariâ* χρῆσει *Majestatis adorabilis,* qvod itidem largimur, adeoqve via aperta videtur, qvâ dissentientes possint redire in gratiam, Si in hâc Assertione conspirare vellent: *Christus ut Deus & Homo indivise fuit in statu Exinanitionis adoratus, sed, qvamdiu Caro sese forma Dei evacuavit* 1. *majestatem adorabilem plenarie non exeruit.* 2. *formâ servili fuit tecta* 3. *non â tot fidelibus fuit adorata, qvot eam in statu gloriæ venerati sunt, postqvam Evangelio per universum mundum divulgato multi ad veram Religionem sunt conversi.*

V. Si alicui mirum videatur Adorari eum religiose ab Angelis & Hominibus qvi plenarie non exerit majestatem adorabilem, cogitet, Nos hoc asserere 1. non de *Deitate*, sed *Humanitate* 2. non de Humanitate *Exaltata*, sed *Exinanita*, cujus majestas ita deprædicanda ne Κένωσις tollatur, vel in κρύψιν nudam mutetur.

Qv. IIX.

Qv. IIX. *Annon sæpius dicta* Κενώσει *donorum habitualium & finitorum privatio & retractio in Carne Christi intelligitur?*

THESES

I. VEritati consonam hanc *B. Chemnitii* censemus doctrinam: λόγος *volens assumpsit infirmitates nostras sine peccato, propter nos ut fieret victima pro nobis. Et radios inhabitantis plenitudinis Deitatis, qvasi continuit & retraxit, ut non tantum foras non elucerent, sed ut inde in assumptam etiam naturam, in qvâ plenitudo illa Deitatis inhabitabat tanqvam radii s. rivi donorum, qvalitatum seu habituum, non statim plene & perfecte deducerentur, sed ut dona illa infusa seu formalia sensim & paulatim prout* λόγῳ *videbatur, crescerent & proficerent coram Deo & hominibus.* lib. de D. N. cap. 31. pag. m. 217.

II. Infirmitates â Christo assumptæ, hanc doctrinam suffulciunt, qvia qvibus similitudine & gestibus ut alius homo fuit inventus cum potuisset esse *immortalis, impassibilis, subtilis agilis* & â primo Unionis momento, imo cum multo facilius, plenius & excellentius dona habitualia absqve ullis infirmitatibus perfecta potuisset habere, atqve Adam & Eva in statu integritatis, vel Angeli & homines beati in statu gloriæ, tamen ex libera dispensatione permansit, *mortalis naturalis passibilis* &c. sicut alius qvivis homo, exceptis qvibusdam particularibus.

III. *Dicta* de abdicatione scientiæ habitualis *Esa.* 7. v. 15, 16. *Luc.* 2. v. 40. & *ult.* perfectissimam donorum habitualium, Χρήσιν æqve sublatam esse, ostendunt, uti divinæ Omniscientiæ κένωσιν evincunt. Qvi enim *nescit reprobare malum & eligere bonum Spiritu corroboratur, sapientia impletur ac proficit, tam apud Deum qvam homines,* ille nec Omniscientia Dei utitur, nec perfectam habitualem scientiam, qvalis in beatis Angelis & hominibus exerit.

ANTITHESES.

I. Qvidam Scholasticorum affirmare audent, humanam Christi naturam ab instanti Conceptionis in donis, qvalitatibus & habitibus, tam naturalibus qvam gratuitis, fuisse omnibus numeris & gradibus statim absolutam & perfectam, qvia Gratia Habitua-

bitualis sit infinita *Vasqvetz. disp. 46. cap. 1.* & Christus ab Instanti Conceptionis habuit Visionem beatificam. *Thom. q. 34. art. 4.*

II. *Sociniani* Dona habitualia statim ab initio in perfecto gradu usurpare potuisse, si voluisset, negant: Smaltz. de ver. & nat. DEi Fil. cap. 10. p. 89. *Cum Christus Homo verus, & qvoad Naturam, nostri similis fuerit, necessarium est, ut qvemdamodum naturaliter moriuntur, sic etiam Christus mortalis fuerit. Christum potuisse non mori, nisi id salutis nostræ Ratio poposcisset, verum est: sed aliud est, potuisse eum non mori, & non potuisse mori, hoc enim est immortalem esse. Itaqve prorsus falsum censendum, Christum voluntate, non necessitate mortalem fuisse.*

III. Christum subjectum fuisse Infirmitatibus & defectibus, non ex liberâ Voluntate, sed ex coactionis qvadam Necessitate, nugatur cum suo *Thomâ Greg. de Valent. tom. 4. disp. 1. q. 14. punct. 1.*

HYPOTHESES.

I. Unionem Personalem qvando attenduut Scholastici, ex ea inferunt, Dona habitualia in perfectissimo gradu Christum Hominem â primo Instanti exeruisse. Scriptura autem S. post λόγε ἐνσαρκωσιν, factam docet Κένωσιν ἐν μορφῇ τȣ̃ Θεȣ̃, qvæ simul agnoscenda, cum agnoscitur Unio Personalis, ne Scripturæ Dicta divellamus, sed conjungamus.

II. Photiniani non credunt, *Christum esse Hominem, subsistentem in Personâ Filii DEi*, nec attendunt, *Christum esse Hominem* ἀναμάρτητον, nec admittunt, *Hominem in Statu integritatis fuisse mortalem*, idcirco ex falsis præmissis hoc falsum emergit πορίσμα: *Christus Homo necessitate, non libera voluntate mortalis fuit.*

III. Θεικῶς qvando Apostolus Philip. 2. v. 7. Exinanitionem Christi describit remittit nos ad μορφὴν δȣ̃λȣ, ὁμοίωμα ἀνθρώπων, σχῆμα ἀνθρώπινον & ταπείνωσιν, qvibus omnibus πάθη, Naturæ animalis & infirmitates naturæ corruptæ, (sine culpa & vitio) qvod intelligantur, probamus 1. ex *oppositione formæ Dei*; Uti enim *hæc* statum divinum & Majestatem Deo competentem;

forma servi infirmitates servo convenientes designat. 2 ex ὁμοιώματ☉ propriâ significatione, qvâ semper notatur qvalitatum congruentia *Rom.* 1. v. 23. c. 6. v. 5. c. 8. v. 3. Cum ergo hoc loco aliæ qvalitates qvam operationes naturales & infirmitates intelligi neqveant, has per ὁμοιωμα ἀνθρώπων designari, credimus 3. ex χήματ☉ ἀνθρωπίνε & ταπεινώσεως ἐξηγήσει, qvâ talis, qvalis obedientiam ad mortem & infirmitates oppido declarat. Vide *Gerh in Exeg. h. l.* §. 298. *seqq.*

IV. Fines, propter qvos infirmitates nostras Christus assumpsit, ita enumerat *Bonavent. lib. 3. sentent. dist. 25. art. 1. q. 1.* Assumpsit Christus defectus nostros, 1. *propter pretium nostræ salutis*, ut sangvinem fundere & ita nos redimere posset 2. *propter exemplum virtutis*, ut ejus humilitatem & patientiam imitaremur. 3. propter *fulcimentum nostræ fragilitatis*, ut excitaret in nobis fidem, qvod sit verus homo, & spem, qvod nobis certo compatiatur, & amorem, qvia nos prior amavit, & nobis per omnia similis factus est.

V. Infirmitates & defectus humanæ Naturæ aliter sunt in *Christo*, aliter in *nobis*. In *nobis* ut *pœnæ debitæ*, in *illo* ut *pœnæ libere assumptæ*: In *nobis* vitio & ἀταξία infectæ; in *Christo* absqve omni peccati & ἀταξίας labe. In *nobis* omnes & singulæ, in *illo* qvædam & nonnullæ, qvæ ad ostendendam veritatem humanæ naturæ, & absolvendum Redemptionis opus necessariæ.

VI. Christus non assumpsit infirmitates *particulares s. personales* qvæ non sunt toti speciei & naturæ communes, sed *certis individuis* adhærent: ut *lepra*, *phtysis*, *cæcitas scorbutus*, *calculus* &c. Ratio est, qvia hi defectus oriuntur, vel ex intemperantia hominum, vel ex defectu Virtutis formativæ: qvæ causæ non fuerunt in Christo, qvippe nec intemperans fuit, nec defectus naturæ contraxit, per copulam viri & fœminæ carnalem, qvin potius eosdem assumpsit per unionem ineffabilem. *Becan. part. 3. Theol. scholastr. l. cap 11. Greg. de Valent. d. l. q. 14. punct. 2.*

VII. Affectus in Christo non fuerunt *culpabiles & inordinati*, sed *rectæ rationis judicio subjecti*, non vel in defectu vel in Excessu aberrârunt, sed semper causæ bonorum actuum extiterunt.

VIII. Infirmitates â Christo assumptæ ita videntur posse distin-

gui

gui, ut qvæ dam ταθη, qvædam παθήματα dicantur. *Illa* sunt naturæ in vitâ animali constitutæ, ut, *conceptio, gestatio in utero nativitas somnus, manducatio, ambulatio de loco in locum, concoctio* nutritio &c. *Hæc* sunt servilis formæ, &1. servilia, ut paupertas inNativitate, *fuga in Ægyptum, lotio pedum, aliaqve servilia opera, qvæ Christus subjit.* 2. contumelioſa. ut *infinitæ fermè injuriæ, calumniæ, insidiæ, opprobria, blasphemiæ.* 3. *violenta*, ut *proditio, vinculorum injectio, condemnatio, flagellatio, coronatio crucifixio &c.* 4. Spiritualia, ut *tentationes, tristitiæ dolores & angores*, qvos in sanctissimâ suâ animâ sensit atqve pertulit. Vide D. Affelm. in disp. de Union. Person th. 50. D. Lobech. disp. 6. in A. C. th. 30. Hutt. in form. Conc. pag. 707. Thumm. in ταπεινωσιν. p. 236.

CAP. II.

DE ΤΑΠΕΙΝΩΣΙ ET HUMILIATIONE, QVA CHRISTUS HOMO FORMAM SERVI ASSUMPSIT.

PÆnam temere litigantium in mysterio sacro ne in nos devolvamus, abstinemus â qvæstionibus, qvibus de disceptant Scholastici, cum curiose inqvirunt in Christi Conceptionem, gestationem in utero, Nativitatis modum, Educationem, adolescentiam &c. Qvia etiam Distinctione lites qvædam de præsenti Capite motæ possint componi, harum συζήτησιν non libet repetere, qvoniam salvo fidei fundamento dissentientes opiniones possint coalescere. Mota est qvæstio, de *Nominibus*, qvibus Exinanitio Christi appellanda. Qvidam Κένωσιν, alii Ταπείνωσιν conveniens Nomen arbitrati sunt: Sed utrumqve ab Apostolo *Philip. II. 7. 8. 9.* exprimitur & parum refert, qvodnam ex illis eligatur, modo Κένωσις non excludat ταπεινωσιν, & ταπείνωσις non excludat Κένωσιν. *D. Thummius in ταπείνωσις. pag.* 211. scribit, totam Christi conditionem, in qvâ fuit â puncto Conceptionis, usqve ad vivificatio-

nem mortui Corporis in Sepulchro, voce ταπεινώσεως commodissime posse explicari: Sed ipsemet concedere cogitur, ταπείνωσιν præsupponere Κενωσιν, & nisi λογομαχίαν cupiat ferere, ferre tenetur eos, qvi dictam Christi conditionem vocant Κένωσιν & subintelligunt ταπείνωσιν, qvam Apostolus Κενώσει copulat, qvemadmodum se tolerandum, judicat, cum Statum Christi Exinanitionis appellat ταπείνωσιν præsupponens factam divinæ majestatis Κένωσιν in Carne. Si qværatur. *An Conceptio & Nativitas Christi recte referatur ad statum Exinanitionis?* distinctione Contentio potest præcaveri. Aliud enim est *Incarnatio*; aliud *incarnationis modus*: Si *illa* per Conceptionem & Nativitatem Christi exprimatur, ad statum Exinanitionis non pertinet: Siqvidem Caro Christi in Incarnatione non tam exinanita & humiliata, qvam evecta & exaltata est, qvatenus assumpta in ipsam æternam ὑπόστασιν Filii Dei: Si autem *modus Incarnationis* expendatur, dubitare nemo potest, qvi Deum credit Omnipotentem, λόγον potuisse assumere humanam Naturam, absqve Conceptione & Nativitate, ut, Adam & Eva dictam Naturam absqve Conceptione, & Nativitate sunt adepti: Idcirco ταπείνωσις, est in Christi Conceptione & Nativitate, qvatenus 1. λόγος eum modum incarnationis elegit, qvo nostræ potius miseriæ, qvam suæ majestatis habuit rationem 2. matrem elegit pauperem & abjectam, qvæ Fabro lignario fuerat desponsata 3. in locis haud illustribus conceptus & natus, scil. in *Nazareth* & *Bethlehem* 4. Servilem prorsus & abjectam subiit Conditionem, cum natus in stabulo, involutus fasciis & in Præsepe depositus *Luc. II.* 7. Confer *Gerh. in Exeg. L. IV.* §. 304, 305. De *modo, qvo* B. *Maria peperit*, diversas Theologi protulerunt sententias: Qvidam *clauso utero* eam peperisse, docuerunt, ut *Scholastici*, qvibus applaudunt Pontificii *Greg. de Valent. tom.* 4. *disp.* 2. *q.* 2. *punct.* 2. *Bellarm. l.* 3. *de Euch. cap.* 6. *Feuardent. l.* 4. *Theom. cap.* 2. *Cotonus l.* 1. *Instit. cap.* 3. *Vasqvetz in* 3. *Thom. disp.* 181. *&c.* Consentiunt ex nostris D. *Lobech. disp.* 6. *in A. C. th.* 18. *seqq.* D. *Hoc adv. Dialog. Berlin. artic.* 3. *q.* 14. Alii aperto utero B. Mariam peperisse ex verbis *Luc. II. v.* 23. colligunt, ut *Origen. Homil.* 14. *in Luc. Tertull. de*

Carn

Carne Christi cap 5, & cap 3 Ambros. in c. 2. Luc. Athanas. ad Epictet. contr h. ret. Epist. tom. 1. p. 456. Epiphan. l. 3. tom. 2. p. 502 Chrysost. homil. 4. in c. 1. Matth. Theophyl. in c. 2. Luc. Fulgent. de Incarnat. Christi c. 13. His assentitur *B. Lutherus in Postil. Eccl. parte 1. pag. 66. D. Chemnit. in Harm. Evang. c. 8. p. m. 98. D. Forst. in Decad. 3. probl. 6. in Symb. Apostol. Bunting. in Pæd. Christip. 115. 116.* & ex Calvinianis *Chamier tom. 3. Panstrat. l. 4. c. 3. Masson. tom. Anatom. Univ. cap. 12. p. 896. seq.* Reconciliari posse videntur hi diffidentes, si simpliciter credant; *B. Mariam vere peperisse, & tamen in partu uterum eatenus clausum retinuisse, quatenus Virginalia claustra per partum non sunt dirupta*: 2. modeste fateantur; *se ignorare, quomodo uterus apertus, clausis claustris virginalibus?* Ad *Primum* obstringuntur textibus sacris de Christi nativitate ut verâ Nativitate & Mariæ Partu, ut vero partu nos informantibus, ê qvibus patet, Christum utero esse ex tractum & pro jectum *Ps. XXII.* 10. 11. esse natum *Esa. IX.* 6. *Matth. II.* 1. *Luc. I.* 435. *Cap. II.* 11. & vulvam adaperuisse *v.* 23. Mariam autem virginem peperisse *Esa. VII. v.* 14. *Matth. I.* 21. 25. docetur. *Posterius* suadet periculum cui sese exponunt, qvi de modo Nativitatis apodictice disputare attentant: Sive enim *clauso*, sive *aperto* utero Mariam peperisse, statuas, nunqvam non evitabis illorum periculum, qvi in mysterijs nolunt ideo credere, qvia ratione suâ non possunt credenda conciliare. E. g. Statuamus hanc thesin: *B. Maria virgo peperit utero clauso*: & nulla inveniemus media, qvibus demonstretur hæc thesis, præter ea, qvæ fluunt ex propositionis *subjecto!* Horum autem fundamentum est hoc Axioma *Virginem esse & aperto utero parere*, involvunt in nostro conceptu ἀντίφασιν πρῶτον μέν: Econtrâ statuamus hanc thesin: *B. Maria Virgo peperit utero aperto*; & nulla inveniemus alia argumenta pro demonstrandâ Conclusione, præter ea, qvæ petuntur â propositionis *prædicato*, qvorum fundamentum est hoc Axioma. *Verè parere & uterum retinere clausum* involvit itidem in nostro conceptu contradictionem. Qvia autem periculosum in fidei mysteriis â podictice aliqvid demonstrare ex contradictionibus â nostro Intellectu fabricatis, non sunt sanè extrâ periculum, qvi modum Nativitatis apodictice demonstrare conantur. Natura mysteriorum, co-

git, ut in conceptu nostro non habeamus contradicentia, qvæ humana & peccato infecta ratio concipit ut contradicentia. Uti ergò credimus ob scripturæ sacræ authoritatem: *Deum unum numero & trinum personis: Corpus interire & idem numero resurgere; peccatum esse aliqvid positivi, & tamen non substantiam. Naturam Christi humanam esse singularem, & tamen non personam* &c. qvamvis ob mysticam harum propositionum connexionem, nostra ratio in hâc vitâ comprehendere non possit conciliationem: ita piè credamus, *B. Mariam potuisse manere virginem*, & *parere utero aperto*, nec non, *potuisse vere parere, utero clauso*, licet neutrum ratió nostra conciliare possit. Cum ergo qværitur; *An clauso vel aperto utero pepererit Maria?* R. utrumqve esse credendum; qvia hæc propositio ἐγγραφος, *Virgo peperit*, in *subjecto* clausum, in *prædicato* apertum uterum literaliter ostendit. Qvomodo autem hæc conciliari possint, non puto revelatum: Ideò Deo hoc relinqvendum, qvi potuit illam uteri apertionem præcavere, qvâ claustra virginalia sunt rupta, & nihilominus ita uterum aperire ut Maria vere pepererit, hoc est ut *Hieron.* loqvitur: *lib. 2. adv. Pelag. cap. 2.* Christus clausas portas Vulvæ Virginalis aperuit, qvæ tamen clausæ jugiter permanserunt Hæc sententia si aliis displicet, qvi malunt vel clausum vel apertum Virginis uterum in partu defendere, nullam ego illis scribo dicam, sed permitto, hic qvemlibet abundare suo sensu.

Qv. I. *Annon in partu & post partum mansit B. Maria Virgo?*

THESES

I. MAriam matrem Salvatoris antè partum fuisse & in partu mansisse virginem, de fide esse Christianâ, docemus: Qvod autem post partum semper & continue virginitatem retinuerit, nullamqve cum Josepho conjugialem consvetudinem habuerit, salvâ hde Christiana ignorari posse asserimus.

II. Primum Doctrinæ membrum, qvo Virginitas B. Mariæ in partu & post partum defenditur, proponitur in scripturæ dictis *Esa. 7. v. 14. Matth. 1. v. 18. seqq. Luc. 1. v. 34. 35.* Conf. *Forst. in Thes. Catech. Dec. 3. & Symb. Apost. probl. 7. Becan. parte 3. Theol. schol. tr. 1. cap. 28. q. 4. Suaretz tom. 2. disp. 5. sect. 1. Gregor. de Valent. tom. 4. disp. 3. q. 3. puncto 1.* Vide & infra *l. 6. Controv. 4. cap. 5. q. 2. & 10.*

III. Se-

III. Secundum *Doctrinæ* noſtræ membrum argumentis probatur illorum, qvi vel negativam, vel affirmativam tuentur ſententiam in hâc qvæſt. *An poſt partum Maria mater Domini continuè virgo incontaminata manſerit?* Qvi cum *Helvidio* negativæ ſententiæ aſſurgunt, petunt argumenta 1. ex his phraſibus: Anteqvam convenirent *Matth.* 1. *v.* 18. donec peperit, *v.* 25. peperit filium primogenitum *d. l. Luc.* 2. *v.* 7. 2. ex dictis, qvibus mentio fit fratrum Domini. *Johann.* 2. *v.* 12. *Matth.* 11, 47. *Actor.* 1. *v.* 14. 1 *Corinth.* 9. *v.* 5. E contra qvi cum *B. Hieronymo Helvidium* oppugnant & affirmate ad qvæſtionem reſpondent, argumentantur 1. â vaticinio *Ezechiel.* 44. *v.* 2. 2. â traditione, & definitione Eccleſiæ 3. â variis ſimilibus & comparatis, qvæ legantur apud *Thom. part.* 3. *q.* 28. *art.* 3. *Svvaretz diſp.* 5. *ſect.* 3. *Barrad. tom.* 1. *Harmon. lib.* 8. *cap.* 6. *Gregor. de Valentz. d. l.* Hæc qvi expendit argumentorum fundamina, probabilia non apodictica & conſcientiam cogentia ab utraqve parte proferri, animadvertit: Nam 1. particulæ *donec*, *anteqvam*, &c. non ſemper ejus rei θεσιν & κατάφασιν ponunt *futuram*, cujus στέρησιν & ἄρνησιν notant vel *præſentem* vel *præteritam*: Exemplum eſt obvium *Geneſ.* 8. *v.* 7. Vide *Thomam. d. l.* 2. primo genitus non ſolum ille eſt, poſt qvem naſcuntur alii: ſed etiam ille, ante qvem natus eſt nullus 3. Fratres non ſemper dicuntur illi in ſcripturis propter eandem matrem, ſed interdum etiam propter aliqvam *conſanguinitatem* ut *Geneſ.* 13. *v.* 8. 4. Argumenta pro parte affirmativâ ex allegoriâ & ſimilibus ſunt deducta, qvibus ſi qvis fidem & conſcientiam velit committere, nos non habebit Adverſarios, modo nobis relinqvatur τὸ ἐπέχειν. 5. ſive qvæſtio affirmetur, ſive negetur, fundamento fidei nihil decedit vel accedit, modo hoc certum immotumqve maneat: Tunc fuiſſe Chriſti matrem intemeratam Virginem, qvando Salvatorem mundi fuit enixa Conf. & *Gerh. in Exeg. L. I. §.* 386.

ANTITHESES.

I. Qvidam *Mariam* matrem Chriſti, conſveto more concepiſſe dictitant, amiſſâ virginitate, ut Judæi Cerinthiani & Ebionitæ, de qvibus *Auguſt. lib. de Hæreſ. cap.* 8. & 10.

II. Qvidam nugati ſunt, Virginitatem B. Mariæ amiſſam eſſe in partu, uti *Jovinianus* & conſortes, de qvibus itidem *Auguſt. d. l. cap.* 82. & *lib.* 1. *cont. Julian. Luth. Tom.* 8. *Jen. germ. fol.* 98. *ſq.*

III. Alii

III. Alii opinati sunt, ex sacris literis infallibiliter esse certum, Mariam, edito Christo in lucem, posteâ alios concepisse ac peperisse liberos: ut *Helvidius* cum *Discipulis*, qvi nuncupantur Antidico marianitæ, referente *August. d. l. cap. 84. & Epiphan. hæresi* 48.

IV. Tandem Scholastici & Jesuwitæ de fide esse scribunt, B. Virginem post partum coluisse perpetuam virginitâtem, ad qvam sese voto obstrinxerat. Vide *Thomam, Swaretz, Greg. de Val. Barradium & Becan. d. locis.*

HYPOTHESES

I. Qvod Joseph dicatur Christi Pater non κατ' ἀλήθειαν, sed κατὰ δόξαν, fide dignus Interpres est *Lucas cap. 3. v. 23.*

II. Genealogia Christi deducitur ad Josephum Matth. 1. non qvia Joseph fuerit naturalis Christi Pater; sed qvia consvetudo hæc Spiritus Sancti, virorum non mulierum ordinem pertexere in genealogiis.

III. Virgines etiam dici γυναῖς multa Scripturæ Exempla probant *1 Corinth. 11. v. 8. 1 Timoth. 2. v. 14. &c.*

Qv. II. *An non preces, qvas Christus fudit in statu Exinanitionis, ad ταπείνωσιν referri possint?*

THESES.

I. SUnt preces Christi vel δεήσεις vel ἐντεύξεις vel προσευχαὶ vel εὐχαριστίαι. Δεήσεις sunt â Christo factæ, qvando â se petiit averti malum ut *Matth. 26. v. 44. Luc. 22. v. 41. Ps. 22. v. 3.* ἐντεύξεις institutæ sunt, aliorum causa, pro qvibus Christus intercessit ut *Luc. 22. v. 32. Joban. 17. v. 9. 11.* προσευχαὶ factæ sunt, qvando sibi aliqvid boni petiit Christus *Joban. 17. v. 1.* εὐχαριστίας denique persolvit, qvando Deo Patri gratias egit, *Matth. 11. v. 25. Job. 11. 41. &c.*

II. Si in qvæstionem veniant ἐντεύξεις & εὐχαριστίαι, non video, qvomodo in hic Christus humiliatus dici possit, cum etiam Exaltatus Christus pro nobis intercedat *Rom. 7. v. 34. Hebr. 7. v. 25. cap. 9. v. 24. 1 Joban. 2. v. 1.* & εὐχαριστία cum statu gloriæ potest consistere, uti Angelorum & hominum triumphantium Exemplum luculenter edocet.

III.

III. Δεήσεις autem & προσευχαὶ â Christo in statu Exinanitionis oblatæ tam κένωσιν, qvam ταπείνωσιν præsupponunt, cum Christus nec ulli malo obnoxius nec alicujus boni indigens fuisset, si forma Dei sese non evacuasset & servi formam assumpsisset. Sunt igitur Christi δεήσεις & προσευχαὶ κενώσεως ac ταπεινώσεως consectaria, in qvibus simulationem agnoscere non possumus, cum κένωσις & ταπείνωσις nullatenus simulata dici debeat.

ANTITHESES.

Damasc. lib. 4. de fide Orth. cap. 19. asserit, Christum multa simulate fecisse, etiam tunc, qvando oravit: *Huic nævo Vasqvez disp.* 82. *cap.* 2. suum attemperat calamum, ita distinguens: Oratio Christi potest dupliciter considerari 1. Respectu *humanæ naturæ* tantum. 2. respectu *Personæ verbi*. *Priori* modo Christus vere & non ficte oravit: *Posteriori* autem aliqvo modo simulate oravit, qvia qvando coram hominibus externâ voce orabat Deum Patrem, videbatur significare, Personam suam indigere auxilio, Dei Patris, cum tamen non indigeret.

HYPOTHESES.

I. Mens Christi potuit ascendere in Deum orando, non per *visionem* & *amorem*, qvibus Deo semper fuit conjuncta; sed *novo desiderio impetrandi aliqvid â Deo.*

II. Si Christus in statu Exinanitionis per Carnem, opulentiam & Omniscientiam universaliter exeruisset, nullâ re indiguisset, & imprudenter petiisset, qvæ futura vel non futura fuissent. At prius qvia suprâ fuit confutatum, consequens defendi nequit.

III. Christum aliqvo modo orasse & non fuisse exauditum *Greg. de Val. tom. 4. disp.* 1. *q.* 21. *p.* 2. conatur ostendere, cui contradicit *Becan. d. l cap.* 17. *q.* 3. Nos semper, eo modo fuisse Christum exauditum credimus, qvo oravit, uti ipsemet testatur *Johann.* 11. *v.* 42. *Hebr.* 5. *v.* 7. Nec obstant, oratio in horto *Matth.* 26. *v.* 39. qvæ catenus fuit exaudita, qvatenus Pater cælestis voluit, cujus voluntatem suo humano desiderio Christus orans præferebat 2. oratio pro crucifigentibus *Luc.* 23. *v.* 34. qvæ cum inclusione pœnitentiæ est accipienda 3. querela *Ps.* 22. *v.* 3. qvæ auxilii dilationem non autem finalem ejusdem denegationem involvit.

IV. *Bonav. lib.* 3. *sent. Dist.* 17. *n.* 30. qvatuor modis decens

fuisse scribit ; ut Christus in diebus Carnis suæ oraret, 1. propter meritum, qvia suâ petitione nobis promeruit susceptionem Beneficiorum DEi, qvando minus eramus idonei. 2. propter Exemplum, ut alios invitaret ad orationis studium. 3. propter Veritatis argumentum, ut ostenderet se verum Hominem, & verè â Deo missum. 4. propter Officium, qvia habebat dignitatem Sacerdotis & Pontificis, cujus est sacrificium offerre & pro peccatoribus orare.

Qv. III. *Annon verè & κατ' ἀλήθειαν Christus est passus Animâ & corpore?*

THESES.

1. CHristus tam in sanctissima Animâ qvam gratioso corpore acerbissimos sensisse cruciatus, atqve dolores, absqve ullâ simulatione *κατ' ἀλήθειαν*, docent 1. aperta verba Esaiæ *cap.* 53. *v.* 7. qvibus vox אמן omnem imaginariam passionem excludit. 2. vaticinia de Christi passione *Ps.* 22. *v.* 69. *Esa* 53. & *cap.* 63. *Zachar.* 13. *v.* 7. qvæ omnia qvod *κατὰ δόξαν* & *Φαινομένως* de Christi passione loqvantur, nunqvam demonstrabitur. 3. Evangelistarum scripta, qvibus de passione Christi annotarunt, qvæ *ἀληθῶς* facta, non autem qvæ hominum oculis per præstigias objecta sunt. 4. qverelæ Christi, qvibus de Animæ & Corporis doloribus gravissimè fuit conqvestus *Ps.* 22. *v.* 2. *Matth.* 27. *v.* 46. *Ps.* 40. *v.* 13. *Jes.* 43. *v.* 24, 25. *cap.* 50. *v.* 6. *Matth.* 26. *v.* 38. Has qviritationes si Christus effudit absqve vero sensu passionum & dolorum, non apparet, qvomodo de ipso affirmari posit hoc Petri effatum, *ὃν ὁ θεὸς ἀνέστησε λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου* 1. *Pet.* 2. *v.* 22, 5. verba Lucæ *cap.* 22. *v.* 43, 44. qvibus *θρόμβοι αἵματος καταβαίνοντες ἐπὶ τὴν γῆν* & *ἄγγελος ἐνισχύων αὐτὸν* absqve insigni impietate de imaginariis & apparentibus spectris intelligi non possunt. 6. dicta, qvibus legitur, Christum nostros pertulisse dolores & nobis posse compati *Esa* 53. *v.* 6. *Hebr.* 4. *v.* 15. Nostri autem dolores sunt veri, non imaginarii, & qvando nos patimur, vere patimur. 7. Effecta passionis Christi, qvæ omnia essent imaginaria, si talis fuisset passio. Et sic omne nostrum periret solatium, qvum non vere, sed simulate & imaginarie essemus redempti. Vide *Chemn. in L. C. part.* 1. *p.* 73. & *Bonavent. lib.* 3. *sentent. dist.* 16. *n.* 1. *seqq.*

AN-

ANTITHESES.

I. De Basilide, *Irenæ. lib. 1. adv. hæres. cap. 23.* refert, qvod negatus sit, Christum non esse passum, sed Simonem Cyrenæum portasse crucem ejus pro eo, & hunc secundum ignorantiam & errorem Crucifixum transfiguratum ab eo, ut putaretur, ipse esse Jesus: ipsum autem Jesum Simonis accepisse formam & stantem irrisisse eos.

II. *Hilarius* asseverat, Christum sine dolore passum, *l. 10. de Trin. & in Ps. 68.* Hujus Sectatores ἀπαθῆται dicti, & Hilarii hoc simile ferunt: *Sicut telum transit per aquam & ignem, & facit qvidem distractionem, sine tamen sensu vulneris, ita Christus non sensit illam, qvæ in corpore facta est, lacerationem.*

HYPOTHESES.

I. Aliud est Christi *Persona*, aliud *officium*. *Illa* peccatis nullis erat infecta. *Hoc* autem peccata nostra in Christum conjecit, & sic etiam pœnas peccati in eundem devolvit.

II. Aliud est *debitum*, aliud *liberum ministerium*. Non vere passus est Christus, qvia *debuit*, sed qvia *libere nobis ministrare & nostras pœnas in se derivare voluit*.

III. Status Christi *Exinanitionis* differt à statu *Exaltationis*: Ideo bene distinguenda scripturæ dicta, qvæ Carnem Christi *exinanitam*, ab illis, qvæ eandem *exaltatam*, describunt.

Qv. IV. *Nonne etiam cruciatus infernales vere Christus sensit?*

THESES.

I. CRuciatus infernales, vel *in se*, vel in *suo adjuncto* h. e. *duratione* possunt considerari: *Priori* modo si considerentur, affirmando respondemus ad qvæstionem: *Posteriori* autem modo si accipiantur cruciatus infernales, nemo Christianorum affirmabit, adhuc hodie & semper Christum sentire cruciatus infernales.

II. Affirmativam Enunciationem nostram confirmant Emphaticæ phrases, qvibus Christi angores & cruciatus in Animâ describuntur, qvales sunt hæ; συνέχεσθαι *Luc. 12. v. 20.* ταράττεσθαι *Joh. 12. v. 27.* περίλυπος, ἐκθαμβεῖσθαι, ἀδημονεῖν, λυπεῖσθαι, ἐν ἀγωνίᾳ γινόμενος. *Matth. 26. v. 37, 38. Marc. 14. 33, 34. Luc. 22. v. 44.*

His addantur guttæ sanguinis, sudoris instar e Christi corpore prorumpentes Luc. 22. v. 44. qvæ testantur, Christi angores omnium gravissimos, adeoqve infernales fuisse.

II. Vaticinia V. T. tales Christo tribuunt, angores, qvales non nisi infernales esse possunt Ps. 22. v. 2, 16. Ps. 40. v. 3, 13. Ps. 69. v. 2, 3, 16. Esa. 53. v. 11, 14. cap. 63. v. 2, 3. Si enim conferas Exempla aliorum, qvi angores infernales senserunt, uti David Ps. 18. v. 6. Ps. 116. v. 3. Hiskia Esa. 38. v. 17. Jonas cap. 2. v. 3. Horum angores Christi superarent angores, si Christus infernales dolores non sensisset.

III. Apostolus Galat. 3. v. 13. primario comprehendit sub maledicto legis, cruciatus infernales, uti constat ex Matth. 25. v. 41. Confer. Luth. tom. 6. W. lat. fol. 586. in cap. 42. Genes. D. Winckelm. tom. 1. disp. Giess. 13. th. 23. Hinckelm. disp. 3. cont. Anabapt. cap. 2. Junius tom. 2. Op. in Controv. 2. Bellarm. l. 4. c. 8. p. 182. Chamier tom. 2. Panstrat. l. 5. cap. 12. 13. 14. 15. seqq.

ANTITHESES.

I. Bellarm. lib. 4. de Christo cap. 8. negat, pœnam damnatorum Christo fuisse injectam, animam ejus ideo fuisse tristem, qvia mentem in externa tormenta defixerat. Consentit Gretser. in defens. Bellar. tom. 2. col. 278.

HYPOTHESES.

I. Desperatio cohæret cum pœnis infernalibus, qvando infliguntur peccatoribus, & injustis: Sanctus autem & justus etsi ob peccata sibi imputata pœnas infernales sustinere potest, desperare tamen non potest, qvia desperatio non tantum pœna peccati, sed etiam ipsum peccatum, & non est nisi in subjecto, cui peccatum ἐνυπαρκτικῶς inest: Distinguimus igitur inter subjectum pœnarum infernalium, qvod vel ob peccatum inhæsivum, vel ob peccatum imputatum dictis pœnis subjacet. Illud non hoc desperationis capax est.

II. Qvod defuit in pœnarum infernalium, qvas Christus pertulit, *duratione*, supplevit infinita *majestas Personæ*, qvæ dum æterna fuit, æterna dolorum infernalium duratio non fuit necessaria.

III. Nostra non est doctrina, qvâ docetur, Christum ita descendisse

disse ad inferos, ut infernales cruciatus sustinuerit: Suo loco de Descensu Christi ad inferos aliam sententiam explicabimus.

IV. Christum omnes & singulos cruciatus perpessum esse, qvos animo & corpore patiuntur damnati in Inferno, scriptura non docet. Contineant ergo se nostri discursus Intrâ cancellos revelationis divinæ, & non inqvirant specialem cruciatuum infernalium ἀνάγνωσιν: Ceratâ potius mente in generali hac doctrinâ acqviescendum, qvæ in genere docet, Christum sanctissima suâ animâ angores sensisse infernales. Christus omnes pœnas peccatorum sustinuit, qvia Animæ & Corporis pœnas sustinuit: qvæ sunt genera omnium pœnarum: Ut omnes infimas Species pœnarum sustineret, non placuit divino Consilio.

V. Gloria & majestas divina Carni Christi communicata non sustollit Cruciatus infernales, qvia in statu Exinanitionis Caro communicatam majestatem non exeruit, ut antea dictum.

Qv. V. *Annon sangvis à Christo passionis tempore effusus computruit?*

THESES.

I. Filii Dei sangvinem nullî corruptioni fuisse obnoxium, discimus ex vaticinio Davidis. *Ps. 16. v. 10. Actor. 2. v. 27.* qvo à corpore Christi, cujus pars est sangvis, omnis removetur corruptio: Accedunt verba Petri 1 *Pet. 1. v. 18. 19.* qvibus τιμίου αἵματος Χριστοῦ opponitur φθαρτῷ & corruptibili.

II. Sangvinis Christi dignitatem, ex Personæ majestate dependentem adeoqve Dei sangvinem proprium *Actor. 20. v. 28.* 1 *Joh. 1. v. 7.* si admittimus, credere nos oportet, talem sangvinem non putrefactum esse.

III. Qvod Filius Dei semel assumpsit, nunqvam deposuit. Rediisse ergo oportet sangvinem Christi in suas venas, postqvam Christus resurrexit, nisi aliqvid à Filio Dei assumptum fuisse depositum, statuere velimus.

IV. Sangvini Christi effuso asignatur remissio peccatorum *Matth. 26. v. 28.* propitiatio *Rom. 3. v. 25.* redemptio *Ephes. 1. v. 7.* 1 *Pet. 1. v. 18.* emundatio à peccatis. 1 *Johann. 1. v. 7. Hebr. 9. v. 14.* &c. Tales effectus si à corrupto & putrefacto sangvine proficiscerentur, non opus fuisset, ut Filius Dei sangvinis fieret particeps.

V. Causa, à qvâ venit corruptio, est peccati *radix*, qvalis non est in Christo. Uti ergo renovatione non indiguit Christus, qvia nullum peccati *dominium* sentiebat in suâ natura; ita nec corruptione indiguit, qvia nullum habuit peccati corpus. Vide *Johan. Huss. tom. 1 op. fol. 154. seqq. Greg. de Valent. tom. 4. disp. 1. q. 5. p. 1. D. Gerh. in Disp. de Resurr. Christi th. 37.*

ANTITHESES.

I. Qvidam ex Scholasticis non erubescunt scribere, sangvinem non pertinuisse ad identitatem suppositi Christi. Vide *Durand. in 4. dist. 10. q. 1. num. 19. & Richard. in 3. dist. 2. art. 2. q. 1.*

II. Qvidam ex Calvinianis asserunt; sangvinem Christi in arâ crucis effusum, computruisse, nec in resurrectione reassumptum fuisse *Calvin. in cap. 26. Matth. Sadeel in Indice Error. Greg. de Valent. Perkins. in Cathol. reform. controv. 10. cap. 3. arg. 4.*

HYPOTHESES.

Qvæ Scholastici opponunt, refelluntur à Gregor. de Valent. tom. 4. disp. 1. q. 5. p. 1. qvi ibidem & ipsemet in errore palpitat, fingendo, qvod absqve incommodo credatur, aliqvas particulas sangvinis, qvæ in Christo fuerunt, nunc in terris adhuc esse residuas. Calviniani thesin nostro tempore Sociorum suorum ut plurimum deseruerunt.

Qv. VI. *Num Veritas Mortis Christi negatur, si negatur Unionem Personalem in morte fuisse solutam & asseratur Christum triduo mortis verum & Univocum fuisse Hominem?*

THESES.

I. VEre Christum fuisse mortuum. S. Scriptura, luculenter testatur, si consulamus Vaticinia Prophetica, Christi eloqvia & tam Evangelistarum qvam Apostolorum Testimonia.

II. Prophetæ de Messiâ prænunciarunt, qvod anima ejus debeat esse in inferno *Ps. 16. v. 9.* qvod in mortis pulverem sit deducendus *Ps. 22. v. 16.* ut possit exaltare caput *Ps. 110. v. 7.* è sepulchro glorioso *Esa. 11. v. 10.* postqvam abscissus de terrâ viventium *Esa 53. v. 11.* & tradidit in mortem animam suam *v. 13, 15.* ut Christus occidendus *Dan. 9. v. 26.* & Pastor percutiendus *Zach. 13. v. 7.*

III. Christus ipse prædixit se occidendum *Matth. 16. v. 21.*

cap.

cap. 17. v. 23. condemnandum ad mortem *Matth.* 20. v. 18. dare animam suam v. 28. qvam tradidit in manus Patris *Luc.* 23. v. 46 corpus autem sepeliendum *Matth.* 12. v. 40. *Matth.* 26. v. 12. postqvam solutum *Johan.* 2. v. 19. 21. & animam posuit à seipso *Johann.* 10. v. 18.

IV. Historiam de morte Christi Evangelistæ describunt *Matth.* 27. v. 50. *Marc.* 15. v. 37. *Luc.* 23. v. 46. *Johann.* 19. v. 30, 33, 34. nec non Historiam de sepultura *Matth.* 27. v. 57. *seqq.* *Marc.* 15. v. 42. *seqq.* *Luc.* 23. v. 50. *seqq.* *Johann.* 19. v. 38.

V. Apostoli de morte Christi concionantur. *Actor* 2, 23, 24. *cap.* 3. v. 15. *cap.* 3. v. 17. *cap.* 7. v. 52. v. 30. c. 7. v. 52. *cap.* 10. v. 39. *cap.* 13. v. 28. 29. *Rom.* 5. v. 6. *seqq.* *cap.* 6. v. 10. *cap* 8. v. 34. *cap.* 14. v. 9. 1 *Cor.* 8, 11. *cap.* 15. 3. 2 *Cor.* 5. v. 14. *Philip.* 2. v. 8. 1 *Thes.* 2. v. 15. c. 4, 14. *Hebr.* 2. v. 9. *cap.* 9, 15. 1 *Pet.* 3. v. 18. *Apocal.* 1. v. 18. *cap.* 5. v. 6, 9. Catech.

VI. Unionem Personalem inter Deitatem & Humanitatem Christi per mortem non fuisse solutam, Damascenus *lib.* 3. *de Orthod. fid. cap.* 27. his verbis fatetur: *Unio corporis & animæ non fuit perpetua in assumptione: debebat enim solvi per mortem, deinde per resurrectionem instaurari. Ast unio verbi ad naturam humanam perpetua fuit, & nunqvam dissolvenda.*

VII. Huic sententiæ ut assentiamur, Fidei nos cogit Analogia. Si enim statuamus Unionem Personalem tempore mortis fuisse solutam, negandum erit 1. mortuum Christum fuisse θεάνθρωπον, qvippe nudus homo fuit mortuus, si in morte Deus ab humanitate fuit separatus. 2. humanitatem passam & mortuam fuisse Filii Dei humanitatem, contra perspicua scripturæ testimonia *Rom.* 5. v. 9. *Colos.* 1. v. 14, 20, 22. *Actor.* 20. v. 28. 1 *Johan.* 1. v. 7. 3. Deum esse mortuum, qvod scriptura affirmat 1 *Cor.* 2. v. 8. *Act.* 3. v. 15. *Zach.* 12. 10. *cap.* 3. v. 7. Confer *D. Feurb.* *in* Κενωσιολ. *sect.* 3. *cap.* 14. *Bonavent. l.* 3. *sent. dist.* 21.

VIII. Uti ex scripturis didicimus, in morte Christi, animæ & corporis Unionem esse solutam, λόγῳ autem & carnis unionem mansisse integram & ἀδιαίρετον, ita nulla expressa qvidem scripturæ dicta nos cogunt, ut affirmemus, vel negemus: *Christum in triduo mortis fuisse verum & univoce dictum Hominem.*

IX. Placeret itaqve in hâc qvæst. τὸ ἐπέχειν, & mallemus hic

hic profiteri nostram ignorantiam qvam, Scholasticorum experiri luctuationem.

X. Tutior nihilominus tamen sententia est, qvæ affirmat, Christum & in triduo mortis verum fuisse hominem; qvæ per bonam consequentiam facilius elicitur ex jam dictis, qvam negativa.

XI Parum ædificat hujus qvæstion s decisio, nec vel fidei vel pietatis incrementum ex ejus ventilatione expectari potest: Qvomodo Scholastici in ejus ἐξετάσει seipsos implicarint, videre licet ex illorum disputationibus, qvarum summam recitavit *Dn. D. Meisn. qq. vexat. q. 2. th. 7. seqq.*

ANTITHESES.

I. *Hugo* opinatus est, Animam rationalem per se esse Hominem & suppositum, adeoqve Christum in morte fuisse *Hominem*, credidit, qvia λόγῳ & Animæ Christi Unio non fuit soluta.

II. *Bonaventura lib. 3. sent. dist. 22. art. 1. q. 3.* Concedit, Christum in morte fuisse Hominem secundum *Esse aptitudinale. Alexander ab Ales part. 3. q. 29. memb. 3.* aliis utitur terminis, & Christum triduo mortis Hominem vocat *materialiter*, non *formaliter*.

III. Simpliciter negant, Christum in triduo mortis fuisse Hominem univoce dictum. *Thom. part. 3. q. 50. art. 4. Durandus in lib. 3. sentent. dist. 22.* qvibus adstipulantur ê Jesuwitis *Busæus in Apolog adv. Gerlach. mendac. 38. & Gretserus in Def. Bellarm. tom. 2 col. 226.* ex nostratibus *D. Grauerus prælect. in A. Confess. art. 3. Meisn. in Qv. vexatis q. 2. th. 18. 19. D. Lutkeman. in Dissertat. de vero Hom. pag. 55. seqq.*

HYPOTHESES.

I. Qvi negant Christum in triduo mortis fuisse Hominem, Dictis de Veritate Mortis Christi, qvæ humanitatem destructam exhibent, speciose qvidem suam negationem adstruunt, ut, ceteris paribus, Hæreseos crimine eos notare, vel Anathematis fulmine absqve, culpabili rigore illos percutere nemo possit. Interim tamen ædificationi discentium magis consultum judicio, ut â Negando abstineamus, & potius Ignorantiam curiosis Ingeniis objiciamus: Nam 1. Omnia argumenta, qvæ pro negativâ sententiâ afferuntur, nituntur statu illorum Hominum, qvi sunt ψιλοὶ ἄνθρωποι, ut dubium semper emergat: An valeant etiam

de

Θεανθρώπῳ? Non qvidem nego, de Christi Humanitate in actu naturali nos judicare, scripturâ prævia, ex Exemplis aliorum Hominum, sed multa deprehendo vera in Christo *Homine*, qvæ non sunt obvia in aliis Hominibus: Solus enim Christus conceptus â Spiritu S. natus â *Virgine*, subsistit in Personâ Filii Dei &c. Si qvis jam affirmaret, Christum actu Personali fuisse Hominem in morte, & tu opponeres argumenta desumpta ex actu Naturali *Humanæ* Naturæ, adversarius semper inveniret, qvod excipere, & nullibi certum offenderet mens fundamentum, qvo subsisteret. 2. Dicta de Veritate mortis Christi, Animam Christi in morte â Corpore solutam, evidenter & firmiter probant: Sed hæc Enunciatio: *Ubi Animæ & Corporis Solutio, ibi non est Homo*; unice nititur Exemplis eorum Hominum, qvorum *Persona* est soluta, cum soluta est *Unio Naturalis Animæ & Corporis*: Jam in Θεανθρώπῳ Persona non est soluta, cum soluta fuit Anima â Corpore: Idcirco non potest non dubitare auditor; An sequatur Conclusio è morte Θεανθρώπου, qvæ sequitur ê morte puri puti Hominis, cujus nec Anima nec Corpus subsistit in Personâ λόγου, cum mortuus est. 3. utcunqve distinguas inter Humanitatem Christi *integram* qvæ fuit in vivo, & *destructam* qvæ fuit in mortuo, scrupulos injicies simpliciorum animis, cumprimis si pro Concione ad populum & idiotas ita distinguas: Cum semper suborietur cogitatio, λόγον deposuisse humanitatem, qvam assumpsit, qvia non fractam sed integram assumpsit; vel Christum in morte non fuisse Personam qvia non fuit homo. 4. Veritatem Mortis Christi & Prophetæ & Apostoli, multi pii Patres & Orthodoxi Ecclesiæ Doctores perspicue & dextre explicarunt, non addentes hanc Enunciationem: *Christus in morte non fuit Homo*: Si qvis velit inferre: *Qui est homo non est mortuus. Christus tempore mortis fuit homo.* E. facile refellitur, si major restringatur ad ψιλον ἄνθρωπον 5. non negligenda monita *D. Meisneri*, qvæ extant in Qv. vexatis, qvibus de Q. præsenti ita judicat: *Hoc problema non tam ad ædificandum, quam ad exagitandum facit.* th. 1. & 44. *Hortamur piæ veritatis studiosos, ut deinceps in scrutandis Scripturis potius, quam in Scholasticorum Sordibus movendis occupati sint, nobisque talibus qq. molesti esse desinant. Multa Christi sanctissima dicta & facta præteriere Apostoli, ne obrueremur copia, sed ut illa quæ Scripta sunt, ponderare-*

mus diligentius. Johann. 21. v. ult. *Et nos tam erimus temerarii, ut quæsita variain Scripturis non fundata moneamus ipsi, quasi non satis doctrinæ haberemus in divino Canone? Morosus mos, imo morbus est rosas Biblicas negligere & Spinas Scholasticas colligere.* thes. 43.

II. Christum in morte absqve opprobrio & blasphemia non possumus appellare *Cadaver.* Siqvidem 1. Corpori Christi mortuo Vivifica Deitas mansit unita 2. Corpus illud Cadaver dicitur, qvod putredini obnoxium: Corpus Christi autem nullam vidit corruptionem, nec ob peccati absentiam & Deitatis præsentiam corruptibile fuit.

Qv. VII. *Annon in morte Christi Anima localiter fuit separata â Corpore?*

THESES.

I. EVocavit & hanc dubitationem *Tybingensium* ac *Giessensium* disputatio, qva *illi* negarunt, Animam & Corpus Christi mortui localiter in Personâ Filii Dei fuisse separata, teste *Thumm. in. ταπεινωσις. p.* 472. qvibus *Giessenses* uti *D. Mentz. in just. Def. p.* 103. & *Feurborn. in Κενωσις sect.* 3. *cap.* 13. erroris notam inurunt. Horum dissidium optime componi posse videtur, si de hâc qvæstione doceatur, qvod apertis verbis docent sacræ literæ, & ignoretur qvod in Scripturis non legitur explicatum.

II. Credendum igitur & docendum, juxta sacrarum literarum institutionem, Christum in morte exspirasse *Luc.* 23 *v.* 46 *Marc.* 15. 37. emisisse & tradidisse Spiritum *Matth.* 27. *v.* 50. *Johann.* 19. *v.* 30. qvi fuit in manu Dei Patris & Paradyso *Luc.* 23. *v.* 43. 46. cum corpus jecit in sepulchro *Matth.* 27, 57. *Marc.* 15, 42. &c. Qvomodo autem in Persona λόγου Anima & corpus fuerint præsentia sibi? qvomodo λόγος præsens corpori in sepulchro, & Animæ in Paradyso, & utriqve, Animæ scilicet & corpori in loco intermedio inter sepulchrum & Paradysum? nos non decet curiose scrutari & inqvirere, cum scriptura suam Informationem nobis subtraxit: Conceptibus enim & speculationibus nostris si indulgebimus in mysteriis divinis, in infinitam qvæstionum ac dubiorum voraginem præcipites nos ipsos dabimus.

III. Maneamus ergo in hac simplicitate, Christi animam & corpus in *natura humana* mortua juxta scripturam localiter separata fuisse

fuisse: In *Persona Filii Dei*, qvia non est locus, frustra qværitur, an localiter in eâ fuerint separata, qvomodo autem cum eâ manserint unita inter se separata, pervestigare hâc in vitâ non possumus.

CAP. III.

DE ΤΗΕΡΤΥΩΣΕΙ QVA CARO CHRISTI EXINANITA ACCEPIT GLORIAM ET HONOREM.

EX verbis Apostoli Petri 1. *Ep. cap.* 1. *v.* 18. 19. 21. & 22. dilucide apparet, qvibus gradibus Caro Christi, post mortem & sepulturam fuerit exaltata. Monstrat enim Apostolus 1. Ζωοποίησιν vel *vivificationem mortuæ* Carnis. 2. πόρευσιν εἰς φυλακὴν, s. *Descensum ad Inferos* 3. ἀναστασιν vel *Resurrectionem* 4. πόρευσιν εἰς οὐρανὸν vel *Ascensionem in cælum.* 5. *Sessionem* ἐν δεξιᾷ Θεοῦ. De his si Veritatem divinitus patefactam promulgant Orthodoxi, insurgunt multi ἑτεροδοξοι, cum qvibus Unitatem & pacem colere non, possumus, qvamdiu in Erroneis opinionibus persistunt. Qvales hi sint? qvibus thesibus S. Spiritus adversentur, & qvibus aranearum telis muniantur, annitemur, ut dispaleſcat.

Qv. I. *Annon Christus seipsum propriâ virtute suscitavit ê mortuis?*

THESES

I. EAndem & Patris & Filii esse δύναμιν, qvâ Christus mortuus revocatus est in vitam, adeoqve Christum propria Virtute seipsum excitâsse ipsemet confitetur, cum inqvit: Erigam corporis mei templum *Johan.* 2. *v.* 19. animam iterum sumam *Job.* 10, 17. habeo vitam in memetipso sicut Pater, & suscito, qvos volo *Johan.* 5. *v.* 19, 26.

II. Hæc contra Antagonistarum Exceptiones defenduntur, his observatis Aphorismis. I. *Hæc dicta* nullam involvunt hujusmodi obscuritatem, qvæ clarioribus illuminanda, & æqve perspicua sunt hæc dicta, qvam illa, qvæ affirmant; Patrem suscitasse Filium. II. Corporis templum ἐγέιρειν, notare Idem, ac si dixisset Chri-

ſtus, corporis templum â Patre meo ſuſcitatum erigam, non poteſt probari. Templi *deſtructi* erectio non eſt templi *erecti* erectio, & ſuſcitatio corporis Chriſti eſt etiam erectio; Idcirco βαττολογία tribueretur Chriſto, ſi accipiantur ipſius verba hoc ſenſu; *erectum corpus ego erigam.* III. Cum figuratam loqvutionem Chriſti *Joh.2. v.20.* de templo Corporis ipſius ipſe Evangeliſta exponat, huic figurato textui abſqve periculo poſſumus inhærere. IV. In verbis *Luc. 17. v. 33.* qvomodo vox ζωογονήσει ſit accipienda, alibi explicatur *Matth. 10. v. 39. Marc. 8. v. 35. Luc. 9. v. 24. Joh. 12. v. 25.* Qvi autem σώζει φύλαττει ἐυρίσκει animam, non ſtatim ſeipſum â morte liberat, ſed ea fugit, qvibus mors accelerari potuit. In dictis itaqve oppoſitis eventualiter ſignificatur, qvid contingat: Chriſtus autem de ſe Efficiente & erigente loqvitur, cujus Defenſio enervata fuiſſet, ſi eventualiter eſſet loqvutus: qvia non ſtatim is pollet poteſtate, qvâ ejiciuntur ê Templo nummularii, qvi ab alio ſuſcitatur â mortuis. V. In dicto Joh. 10. v. 17. ipſa oppoſitio oſtendit, liberæ voluntatis fuiſſe & *mortem*, & *reſurrectionem Chriſti*: Gloſſa Hæreticorum, qvâ hunc textum ſcelerate depravant, ipſi textui repugnat, qvo non legitur, qvod Chriſto ita ſit data poteſtas reſumendi vitam, uti nobis facta eſt poteſtas fieri Dei Filios. Poteſtas enim, qvâ qvis *poteſt fieri Dei Filius*, maxime differt â poteſtate, qvâ qvis poteſt *vitam deponere & reſumere.* VI. Chriſtum eo modo ſe excitaſſe â mortuis, qvo adoleſcens reſuſcitatus ἀνεκάθισε Luc. 7. 15. & Timotheus ſeipſum ſalvavit 1 Timoth. 4. 16. Verba Chriſti conjuncta non admittunt, & qvia vitam in ſemetipſo habet, ſicut Pater, apparet, qvod Virtute propria, non alienâ reſurrexerit. Hinc inſignitur ipſa vita & Reſurrectio *Joban. 11. v. 25* Author vitæ *Actor 3. v. 15.* vita æterna 1 *Joban. 5. v. 20.* qvæ Epitheta apertè δύναμιν αὐτοκρατορικὴν, qvâ valet dare & reſtituere vitam, Chriſto attribuunt.

III. Verbis Apoſtoli Petri 1. *Pet. 3. v.* 18. ut per carnem propria intelligitur Caro, ita per ſpiritum, vi oppoſitionis, intelligendus proprius ejus Spiritus vel divina natura, qvia factus eſt in Spiritum vivificantem 1 *Cor. 15 v. 45.*

IV. Qvia Chriſtus propriâ virtute â mortuis reſcuſcitavit alios

Matth.

Matth. 9. v. 25. Luc. 7. v. 14. Johann. 11. v. 44. Seipsum cur resuscitare non potuisset propria virtute, non apparet.

V. De Christo affirmatur, qvod sit factus mortimors. *Os. 13. v. 14.* non potuerit detineri â morte *Actor. 2. v. 24* qvod mortem destruxerit 2 *Timoth. 1. v. 10.* & eum, qvi mortis habuit imperium *Hebr. 2. v. 14.* Unde obtinuit claves mortis *Apocal. 1. v. 18.* Tale dominium qvi exercuit in mortem, eâ certe potestate fuit præditus, qvâ vincula mortis perrumpere iisqve exire valuit. Confer *Gerh. tom. 8. L. Theol. de Resurr. §. 47. & disp. de Resurr. Christi. §. 24. Stegman. disp 26. contra Photin. pag. 289. Calovius contr. Crell. de uno DEO Patre. §. 309. seqq.*

ANTITHESES.

I. Sociniani vel simpliciter negant, Christum propriâ virtute resurrexisse â mortuis, vel potestate â Patre accepta seipsum suscitasse, affirmant. Vide *Catechism. Racov. cap. 11. p. 312. Enjedinus in Explic. Dicti Johan. 2. v. 19. Ostorod. l. 2. cont. Tradel. cap. 10.* Kurtzer Bericht Melch. *Schafferi. Socin. in Defens. Animadv. cont. Eutrop. cap. 4. p. 151. seqq. Smaltz. in Ref. l. 2. de Err. Arrian. cap. 3. pag. 205. & in lib. de vero ac nat. Dei Fil. cap. 12. pag. 109. Crell. lib. 1. de uno Deo Patre sect. 2. cap. 29.*

II. His âbblandiuntur qvidam ex Pontificiis & Calvinianis, qvando scriptitant, Christum resurrexisse virtute Angelorum sibi ministrante. *Zwingl. parte 1. Resp. ad Lutb. Confess. pag. 465.*

HYPOTHESES.

I. Solatium nobis eripi, si doceatur, Christum propriâ virtute resurrexisse, vana est Imaginatio: Solatium enim nostrum ex Resurrectione Christi dimanans non consistit in spe de Resurrectione, qvâ & nos propriâ Virtute resurgemus; sed in infallibili connexione Capitis & membrorum, qvod sicuti Caput vivit Vita propriâ & divinâ, ita membris sit communicanda vita spiritualis & æterna.

II. Utrutrumqve credimus, Patrem tradidisse Filium *Rom 8. v. 32* & Filium seipsum tradidisse *Gal. 2, 20.* Patrem collocâsse Filium ad suam dextram *Eph. 1. v. 21.* & Filium consedisse ad dexteram *Marc. 16. v. 19.* qvia utrumqve est Scriptum: Ita utrumqve credimus, sc. Filium â Patre esse suscitatum *Actor. 5. v. 30. Rom 4 v. 24. &c.* & Filium

excitasse seipsum, qvia itidem utrumqve scriptura affirmat. Qvas v' ob causas resuscitatio Christi ut plurimum Deo Patri tribuatur, exposuit *D. Gerhard. in disp. de Resurr. Christi* §. 26.

III. Christum ex mortuis se suscitasse & mortuum esse, docemus, non autem confundimus naturas, sed illam naturam suscitatam dicimus, qvæ est mortua. Virtus autem excitandi mortuam naturam *originaliter* provenit ab illa natura, qvæ immortalis & divina est.

IV. Resuscitatio Christi est opus *ad extrâ* ratione *actus*, qvi ex divinâ potentia tribus Personis communi procedit: Interim est opus ad intra ratione *termini*, qvia humana natura resuscitata est solius Filii Dei natura.

V. Christus suscitatus est â Patre, non ex qvâdam ἀδυναμίᾳ vel impotentiâ; sed ex Patris & Filii ὁμοουσίᾳ: ob qvam nec Pater sine Filio, nec Filius sine Patre operatur. Nec simpliciter indiguit Christus ope Patris, ut excitaretur, sed saltem actu naturæ Carnis. Actu enim personæ, uti mox probabimus, Caro seipsam excitare potuit â mortuis: Ex suis autem viribus Caro Christi seipsam excitare non potuit, sed indiguit virtute Patris, qvæ etiam fuit virtus Filii Dei.

VI. Christus fudit preces pro liberatione â morte *Hebr.* 5. *v.* 7. in statu κενώσεως, qvo omnipotentiam divinam retraxit & ejus usu se verè evacuavit: Uti autem opulentiæ κένωσις non sustulit ejus Particularem Χρῆσιν, qvâ cibavit aliqvot hominum millia; ita virtutis vivificæ Κένωσις non sustulit ejus Χρῆσιν particularem, qva alios mortuos & seipsum Christus excitavit. Precibus ergo â Patre petiit usum communicatæ majestatis, ut eo se evacuatum esse, ostenderet. *Marc.* 7. *v.* 34. *Johann.* 11. *v.* 42.

VII. Uti sæpe plus est in Antitypo Christo, qvam fuit in ejus Typis; ita Typus Jonæ non omnia præfiguravit, qvæ in Resurrectione & morte Christi fuerunt subsequuta. Christus *Matth.* 12. *v.* 40. instituit collationem in *morâ triduî*, non in ipso *modo liberationis*, qvi si exacte in Jonæ liberatione esset repræsentatus, & Christus â terrâ fuisset extrusus, uti Balæna Jonam exspuit.

Qv. II.

Qv. II. *Annon etiam humana Christi natura cooperata fuit λόγῳ, qvando Christus seipsum suscitauit?*

THESES.

I. THomas *part.* 1. *q.* 53. *art.* 4. ita respondet: *Secundum unitæ divinitatis virtutem & corpus resumsit animam, qvod deposuerat, & anima corpus resumpsit, qvod dimiserat. Si autem consideramus Corpus & animam Christi mortui, secundum virtutem naturæ creatæ, sic non potuerunt sibi invicem reuniri, sed oportuit Christum resuscitari â Deo.*

II. Hanc Thomæ Confessionem de naturâ humanâ Christi actu Personæ seipsam suscitante stabiliunt dicta, qvibus supra suo loco Vis divina, qvâ vivificantur mortui, de Carne Christi est demonstrata: Hujus potentiæ χρῆσιν uti exeruit Christus per humanam naturam & concursu vivificæ vocis, qvando excitavit alios mortuos ita etiam, qvando excitavit se ipsum: Persona enim, qvæ resumpsit animam, fuit incarnata, unde etiam corpus in hâc Personâ resumsit animam, & anima resumpsit corpus.

III. Psaltes *Ps.* 110 *v.* 7. per Exaltationem Capitis etiam resurrectionem â mortuis designat, non autem sola divinitas, sed etiam humanitas exaltare vel erigere potuit caput, cum non sola divina Natura sed etiam humana cum mortua de torrente in viâ bibit.

IV. Vitam suam describit Christus ipse, cum inqvit ἐγώ εἰμι ἡ ζωή *Iohan.* 14. *v.* 6. ἔγω ζῶ καὶ ὑμεῖς ζήσεσθε *v.* 19. ὁ ζῶν καὶ ἐγενόμην νεκρὸς καὶ ἰδὲ ζῶν εἰμι *Apocal.* 1. *v.* 18. Paulus addit hæc enunciata: ἀνέζησεν ἵνα καὶ νεκρῶν καὶ ζώντων κυριεύσῃ *Rom.* 14. *v.* 9. ζῇ ἐκ δυνάμεως Θεοῦ 2 *Corinth.* 13. *v.* 4. Hæc dicta secundum humanam naturam de Christo loqvi, manifestum est, cui dum Vita hujusmodi phrasibus tribuitur, qvibus dominium in vitam denotatur, hanc ex communicatâ Virtute revixisse, nulli dubitamus. Confer *Gesn. de Pers. Chr. p.* 287. *Schilter. in Anal. Symb. Apostol. p.* 111. *Gerh. in Disp. de Resurr. th.* 27.

ANTITHESES.

Polanus lib. 6. *Synt. Theol. cap.* 23. negat Humanitatem Christi seip-

seipsam excitasse ex mortuis, seu ad resurrectionem suam esse cooperatam, cum Paulus dicat, Christum per Resurrectionem ex mortuis potenter esse declaratum Filium DEi, secundum Spiritum Sanctificationis. Consentit *Sadeel de V. Hum. Nat. p. 159. Amling. in Resp. contra D. Johann. Matth. pag. 102. Bucan. L. 26. q. 4. &c.*

HYPOTHESES.

I. Verba Apostoli *Rom. I. v. 4.* non cogunt, ut negemus, Christi Humanitatem ex communicatâ divinâ Virtute seipsam excitasse è mortuis: Declaratus enim Filius DEi per resurrectionem ut *Deus*, & ut *homo:* ut Deus, qvatenus *propriâ virtute* resurrexit, ut homo, qvatenus in unitate Personæ virtutem vivificam *communicatam* exeruit. Fallit igitur hæc Conseq. *Ex quo opere Christi probatur Divinitas illud non operatur Caro* cum Divinitas ad illud concurrat per *Naturam*, Humanitas autem per *Unionis Personalis Gratiam.*

II. *Actu naturæ* uti humanitatem Christi Seipsam non excitasse, concedimus; ita *actu Personali* qvod seipsam suscitarit virtute τοῦ λόγου communicatâ, constanter docemus.

III. *D. Iacobus Andr.* im Spiegel der *Calvin.* Lügen *pag. 751 & D. Rung. in Refut. Catech. Ubique p. 89.* negare videntur, Corpus Christi seipsum suscitasse. Sed si Verba illorum pensiculatius ponderentur, loqvuntur de Corpore adhuc *mortuo* & nondum *vivificato*? Anima Christi non fuit mortua, idcirco Vis vivifica τοῦ λόγου in illa non fuit retracta. In Corpore autem qvievit dicta vis ζωοποιητικὴ, tempore mortis, & rursum sese exeruit, qvando ὁ λόγος animam corpori, & hoc illi restituit.

Qv. III. *Annon Exaltationi Christi recte inseritur Descensus ad Inferos?*

THESES.

I. PHrasis *descendere ad Inferos* Notat 1. Descensum Christi *confictum*, de qvo non est qvæstio. 2. descensum Christi *verum*, eumqve vel *metaphoricum*, vel *proprium. Illum* itidem non attendit qvæstio, sed *hunc*, qvem nos ad statum Exaltationis referimus, & *Medium locum* inter ζωοποίησιν & ἀνάστασιν stricte sumptam illi assignamus, qvando Christum, postqvam revixit & anteqvam gloriosè vivus ex sepulchro prodiit ac surrexit, ad inferos descendisse, statuimus.

II. Ad

Disp. VII. JOHANN. DANIEL. ENGEL. CKEN. Stargard. Pomeran.

II. Ad κένωσιν non posse reduci Descensum Christi ad Inferos, facile conceditur, cum non possit ostendi, qvod usus majestatis divinæ in Carne fuit retractus, qvando descendit Christus proprie absqve allegoria ad Inferos. Ταπείνωσις huic descensui non congruit, qvia 1. non potest probari, Christum post mortem & sepulturam, alia παθήματα subijsse. 2. qvando Christus in cruce dixit, Consummatum est: terminum omnium παθημάτων in morte futurum, significavit 3. neqve Animæ neqve corpori post mortem Tapeinosis convenire potest: Non illi, qvia fuit in Paradiso, qvi locus voluptatis & refrigerii. Neqve huic, qvia sine διαφθορᾶ jacuit in sepulchro Actor. 2. v. 27. cap. 13. v. 37.

III. ὑπερύψωσις uti initium sumpsit in Ζωοποιήσει ita non interrupta, sed continuata in Descensu Christi ad inferos, cui submittit Resurrectionem series articulorum fidei.

ANTITHESES.

I. Pontificii referunt Descensum Christi ad exinanitionem, uti paulo post agnoscemus.

II. Calviniani, cum Pontificiis in thesi consentiunt, non autem in hypothesi, ex qvâ elicitur, uti itidem deinceps docebimus.

III. Flaciani, sequuntur Præceptorem Illyricum docentem: Christum in Inferno adhuc fuisse sub maledicto & sensisse Cruciatus parte 1. Clav fol. 493.

HYPOTHESES.

I. Pontificiorum & Calvinistarum Hypotheses infrâ examinabimus, cum Fictus & metaphoricus Christi descensus ad inferos veniet in qvæstionenem.

II. Qvi ex nostris Theologis, Descensum Christi ad Inferos Crepusculo conferunt, qvo ex parte tenebras Exinanitionis, ex parte lucem Exaltationis conspicere qveamus, attendunt subseqventes Exaltationis gradus, qvorum in Comparatione, Descensus Christi ad Inferos fuit occultior. Interim non negant; qvod magis Exaltatio qvam Exinanitio illo effulserit, & licet phrasi â nobis dissentiant, non tamen negant, ad primos Exaltationis gradus pertinuisse Descensum Christi ad Inferos. Vide Hutter. in Form. pag. 973. Phil. Nicol. l. 2. de Omnip. cap. 8. D. Lobech. d. 6. in A. Conf. th. 92.

Qv. IV. *Num Christus sola Anima descendit ad infernum, qvi Limbus Patrum vocatur?*

THESES.

I. Dicta S. Scripturæ de Descensu Christi ad Inferos si evolvas, ne unicum qvidem ex illis te erudit, Solam Christi Animam descendisse post mortem ad Inferni Sinum, qvo ceu Limbo Patrum Animæ ante Christi mortem collectæ, postqvam egressæ fuerunt Coi poribus.

II. Omnes articuli in Symbolo Apostolico de λόγῳ Incarnato & totâ Personâ Christi, secundum unam vel alteram Naturam intelligendi: Cur ergo solum articulum de Descensu Christi ad Inferos acciperemus de λόγῳ soli Animæ unito, qvi nec incarnatus nec tota Persona est. Negando itaqve semper nostrates Theologi responderunt: *Luth.* in der Pred. über den 2. Artic. des Apstol *Symb. tom. 6. Ihen. germ. fol. 81. seqq. Form. Conc. art. 9. D. Gesnerus & Hutterus ibidem, Schilter. in Expos. Symb. Apost. §. 81. Eck. tr. de Desc. Christi ad Inf. cap. 6. 7.*

ANTITHESES.

I. *Bonavent. l. 3 sent. dist. 22.* probare conatur 1. Animam Christi descendisse ad infernum. 2. Christum liberâsse animas electorum ex Inferno. 3. Animas Sanctorum locum Beatitudinis attigisse, qvando Christus ascendit in cœlum.

II. *Bellarm. l. 4. de Chr. An. cap. 9. 10. seqq.* tria assumit probanda: 1. Inferos esse loca subterranea, distincta â Sepulchris. 2. Animas ante Christi mortem, non fuisse in cælo, sed in Inferno subterraneo, & proinde Christum, qvi ad locum Animarum descendit, in Infernum subterraneum descendisse. 3. directe Christi Animam descendisse ad Inferos â Sepulchro distinctos. Hæc defendit *Gretz. in Defens. Bellarm. tom. 2. col. 318. Greg. de Valent. Comm. tom. 4. disp. 4. punct. 2. Salmero tom. 10. tr. 50. &c.*

HYPOTHESES.

I. Tria Enunciata â Pontificiis adstruenda, & afferendæ Conclusiones, de 1. *Anima Christi, qvæ soluta â Corpore descendit ad Infernum. ceu profundissimum Terræ locum.* 2. *Limbo Patrum, qvi Sinus inferni*, 3. *Animabus Patrum â Christo, qvi descendit ad Infernum, ex Lim-*

Limbo liberatis. Hypotheſes, qvæ non pariunt has Concluſiones, â ſtatu qvæſtionis declinant.

II. Sicuti *v.* 16. *Pſ. CVII.* de viventibus, qvi Filiis hominum hic in terris poſſunt enarrare DEi beneficia, diſerte loqvitur; ita Verba Siracidis *cap. XXIV.* 45. non extant in Textu Originali, ſed duntaxat in Vulgatâ Verſione latinâ, uti ipſe Bellarm. fatetur.

III. In argumento petito ex *Pſ.* 16. *v.* 10. multa aſſumuntur ut certa, qvæ falſa: Nam 1. Anima non ſemper partem unam Hominis ſignificat; ſed ſæpe per Synecdochen vel *totum Hominem Geneſ. XVII.* 14. *cap. XLVI.* 26. 27. *Levit.* IV. 2. 27. Ezech. XIIX. 20. vel etiam *Corpus â qvo Vita receſſit* Lev. XXI. 1. 11. *Num.* V. 2. 2. in verbis Pſalmi, qvæ terimus, non Spiritus opponitur Carni, ut Anima Corpori, ſed membrum ſecundum eſt prioris ἐξηγητικὸν: qvia Apoſtolus Petrus in utroqve Corporis Chriſti Reſurrectionem prænunciatam, indicat Act. II. 31. 3. Voces שְׁאוֹל & ἅδης non ſemper notant *locum damnatorum*, ſed ſæpe *Sepulchrum* Pſ. LXXXVIII. 49. Pſ. CXLI. 8. Conſentit ex Hebræis *Rabbi Kimchi in lib. Radic. Saldino Jarebi in c.* 37. *Geneſ.* 4. Patriarcha Jacob Geneſ. XXXVII. 35. non præſtolatur Animæ ſuæ introductionem in Limbum Patrum, ſed ſtatum in morte expectat, qvem Filio jam obtigiſſe, credidit; id qvod ex ipſis Pontificiis agnoſcit *Arias montanus*, *Pagninus*, *Steuchus*, *Lyra*, Vocem שְׁאוֹל noare Limbum Patrum, qvem ſomniant Pontificii nullus ſvadet textus Biblicus. Num. XVI. 33. vel *Sepulchrum* vel *ſtatus mortis* vel *locus damnatorum* poteſt intelligi, non autem Limbus Patrum qvem non Impiarum, ſed piarum Animarum Pontificii conſtituunt habitaculum. Pſ. CXXXIX. 8. loca ſubterranea deſignantur, ſed ut hæc de Loco Damnatorum, vel Limbo Patrum accipiamus, nulla cogit Ratio. Eſa. XIV. 15. profundiſſima depingitur Depreſſio oppoſita faſtuoſis & ſuperbis Aſſyriorum Regis Cogitationibus, de qvibus *v.* 13. Locum damnatorum eſſe in profundiſſimo loco terræ, in qvem dejectus Sathanas, non legitur in Textu, multo minus vel μὴ vel γὴ de Limbo Patrum in illo: 5. Apoſtolus Petrus nullo innuit verbo, Act. II. v. 25. ſeqq. Davidem prædixiſſe, Animam Chriſti liberandam ex Limbo Patrum: Dolores mortis, qvos Petrus ſolutos, tradit *v.* 24. non fuerunt in Limbo Patrum, ipſis Pontificiis hoc concedentibus: Animam autem non derelictam in Inferno, qvando Chriſtus fuit reſuſcitatus, Petrus fatetur *v.* 31. adeoqve

declarat Davidem Idiotismo Hebraico per Animam significare, vel *totum Hominem*, qvi descendit ad inferos, & ab Inferno detineri non potuit, vel *Corpus Animâ destitutum*, vel etiam *dolores Infernales*, qvos Anima Christi toleravit in agone & morte.

IV. Καρδίαν τῆς γῆς vel *Cor terræ*, qvod concludere debuit Filium Hominis, uti Venter Ceti per tres dies & tres noctes concluſit Jonam Matth. XII, 40. fuisse Limbum Patrum, in profundissimo Hiatu terræ, argutiis suis Bellarm. non probat: Etsi enim Cor vel *medium* vel *profundum* locum in Animali subindicet, tamen cum inanimatis Corporibus tribuitur Cor, sæpe Internum ambitum vel complexum cæli significat. Sic de monte Sinai legitur, qvod arserit usqve ad *Cor cæli* Deut. IV, 11. h. e. usqve ad circumferentiam supremi aeris. De Absalon dicitur qvod vixerit in *Corde Qvercus* 2. Sam XVIII. 14. h. e. in Qvercu qvæ eum ramis suis involverat. Tyro in *Corde maris* sita dicitur Ezech XXVII. qvia undiqve mare eam circumdedit. Ita etiam Christus Corpore suo in *corde terræ* fuit, qvando Corpus Sepulchro cingebatur. Qvod Sepulchrum in Superficie terræ fuerit, negat Historia Evangelica, qvæ de Johanne refert, qvod *inclinato Corpore* Sepulchrum oculis perlustrarit Johann. XX. v. 11. Qvod æqve in *Corde terræ* Christus fuerit vivus, qvemadmodum Jonas vivus fuit in Ventre Ceti, non evincit collatio Typi & Antitypi qvo in Typo sæpe obscurum, qvod in Anti Typo manifestum. Si cor terræ esset Limbus Inferni, & discursus Bellarm. consisteret, non sola Anima Christi descendisset ad inferos, sed etiam Corpus, qvia in Ventre Ceti non sola Anima Jonæ, sed & Corpus latuit.

V. 1. Pet. III, 19. 20. describi Descensum Christi triumphalem ad Inferos, haud imus inficias: Non autem docetur 1. Solam Christi Animam descendisse ad Inferos, qvia Spiritus, qvo Christus legitur vivificatus v. 18. non est Christi Anima: *Hæc* enim si vivificata dicatur, præsupponitur, qvod fuerit mortua: Corpus Animam non vivificavit, sed *Deitas*, qvia Anima per se & actu naturæ non fruitur Vi vivifica; Legimus interdum de Hominibus qvod vivificârint, qvatenus permiserunt alios vivere. 1. Sam. XVII. 9. 11. II. Sam. II. 2. Act. VII. 19. sed hi qvi dicuntur vivificati, nondum fuerunt mortui, qvando ipsis Vita non erepta. Christus autem Carne mortuus fuit, qvando vivificatus Spiritu, idcirco Spiritus vivi-

vivificans fuit Christi Divina Natura. 2. Φυλακὴ non est Limbus Patrum, qvia in hâc Φυλακῇ fuerunt Incredvli & impœnitentes, qvod hi pœnitentiam egerint anteqvam in Φυλακὴν pervenerint, dicit Bellarm. non probat 3. Prædicatio non fuit gratiæ, denuncians liberationem, sed *Iræ*, manifestans Victorem mortis & inferni, qvia analogia Fidei non permittit, ut post mortem promittamus Spem Veniæ & gratiam illis, qvi in hâc vitâ fuerunt ἀπειθῆς & longanimitatem Dei sunt aspernati *Rom. II, 4. 5.*

VI. Descensus in *abyssum* Rom. X. 7. ab ipso Apostolo explicatur, qvod sit Mors Christi. In sede primitivâ si verba ab Apostolo adducta contueâris. *Deuter. XXX. 12.* abyssum, vides, positam pro *mari*: Altum autem hic silentium de 1. Christi Anima, qvæ soluta â Corpore descendit in Infernum. 2. de profundissimo loco terræ, qvo limbus Patrum 3. de Liberatione Patrum ex limbo inferni, qvæ contigit, cum Christus descendit ad Inferos. Si plane impossibile judicant Pontificii, descendere in abyssum, edisserant, qvi Patres potuerint descendere in limbum, qvem per abyssum intelligunt.

VII. Largimur Ephes. IV. 9. 10. Apostolum differere de Descensu Christi ad Inferos, qvod autem de Christi Animâ, descendente ad Inferos, in profundo Hiatu Terræ, ut liberaret Patres ê Limbo, verba fecerit, nunqvam evincent Adversarii: De toto Christo qvi ascendit in cælum, Apostolus loqvitur, & inferiores terræ partes ceu locum maxime ignominiosum opponit gloriæ, qvæ est suprâ omnes cælos.

VIII. Καταχθόνιοι Philip. II, 10. non statim sunt in profundissimo Terræ loco: Sicuti enim locus beatorum non est terrenus & physicus, sic nec locus damnatorum. Phrasibus hujus sæculi & beatorum & damnatorum *tam locum*, qvam *statum* Spiritus S. passim detegit, qvas nisi secundum subjectam interpreteris materiam, non potes non gravissime hallucinari. Καταχθόνιοι igitur sunt in mansione depressa, tenebricosa & terribili. Cur non credamus v. gr. Infernum in Centro vel medio Terræ situm, qvi certos limbos habeat, alibi, qvando offeretur disputatio de Inferno, dabimus explicatum.

IX. Mortuis eo ipso tempore, qvo fuerunt mortui prædicatum

esse Evangelium non vult Petrus 1. Ep. IV. 6. sed de mortuis loqvitur â Christo judicandis, uti præced. v. 5. attestatur: Uti autem mortui judicandi, cum Vita ipsis restituta, ita mortuis prædicatum Evangelium, cum vita nondum adempta, ut judicium *Dei* morte sentientes Carne, Spiritu *Deo* viverent.

X. Violenter ad Descensum Christi ad Inferos trahuntur Dicta, qvibus *David* in suâ Personâ describit vel sepulturam, ut Ps. XXX. 10. Ps. LXXXIX. 49. vel locum damnatorum, qvo ipse ereptus. Ps. XLIX. 16. Ps. LXXXVI. 13. vel extremam Christi Exinanitionem, Ps. LXXXVIII. 7.

XI. Christum nos suâ Passione & morte â pœnis Infernalibus liberâsse docet Zachar. cap. IX. 11. Eundem in ascensione in cælum captivâsse nostram captivitatem, hoc est, triumphâsse de potestate tenebrarum, cui eramus subjecti, docet Apostolus Paulus Eph. IV. 8. Coloss. II. 15. De Anima Christi â corpore separata descendente in Limbum Inferni, ut Patres pie denatos liberaret, nec Propheta nec Apostolus qvicqvam patefecit.

Qv. V. *Annon Verba in Symbolo Apostolico de Descensu Christi ad Inferos literaliter accipienda?*

THESES.

I. B. Lutherus Tom. 6. Ihen. germ. fol. 82. tale format responsum: Wir sollen schlecht einfältig unsere Hertzen und Gedancken an die Wort des Glaubens hefften und binden / welcher sagt: Ich glaube an den HErrn Christum GOttes Sohn / gestorben / begraben und zur Hellen gefahren / das ist / an die gantze Person / GOtt und Mensch / mit Leib und Seele ungetheilet / von der Jungfrauen gebohren / gelitten / gestorben und begraben ist. Also soll ichs hie auch nicht theilen / sondern gläuben und sagen / daß derselbige Christus GOtt und Mensch in einer Person zur Helle gefahren / aber nicht darinnen blieben ist / wie Ps. 16. Von ihm sagt: Soel aber heisset er nach der Schrifft Sprache / nicht wie ein abgesondert Wesen vom Leibe / sondern den gantzen Menschen / wie er sich nennet / den Heiligen GOttes.

II. Hæc Doctrina repetitur in Form. Concord. Art. 9. & dilucidatur â Gesnero & Huttero, qvi Commentati sunt in Form. Conc. nec non ab aliis, qvi citati q. præced. th. 2.

III. Testimonia S. Scripturæ qvomodo erudiant nos de toto Christo, qvi vivificatus ante gloriosam resurrectionem Animâ & Cor-

Corpore descendit ad Infernum i. locum *Damnatorum*, ut triumphantem Victoriam Diabolis & damnatis denunciaret, ex unius & alterius Dicti accuratâ discussione elucescit.

IV. In verbis Apostolicis Ephes. IV. 9. expendantur 1. κατώτερα μέρη τῆς γῆς, qvæ non possunt hic designare vel Sepulchrum, qvod Supremo cælo non recte opponitur; vel Ventrem virginalem, qvo Christus natus, qvia non deformatione in Inferioribus terræ partibus, qvam David Ps. CXXXI. v. 15. indicat, sed de Descensu ad Inferos, sermo est, h. loco. 2. propria Descensus, qvibus distinguitur ab Incarnatione, qvæ vocatur descensus de cælo, non autem descensus in Inferiores partes terræ, & Exinanitione, qvæ nullibi ut Descensus opponitur ascensioni suprâ omnes cælos. 3. Habitantes in Inferioribus terræ partibus, qvi dicuntur καταχθόνιοι & opponuntur ἐπουρανίοις Philip. II. 10.

V. Dictum Propheticum Ose. 13. v. 14. explicatum 1 Corinth. 15. v. 54. 55. revelat triumphalem Christi Descensum ad Infernum, si observetur 1. ἐπινίκιον hoc Christo resurgenti â Propheta, & fidelibus resurgentibus ab Apostolo tribui 2. Christum non potuisse in statu Exinanitionis triumphum de morte & Inferno agere, cum tam profunda fuerit Exinanitio, ut mors & Infernus de Christo triumphare viderentur. 3. Christum de morte in resurrectione, de Inferno autem in descensu ad Inferos triumphâsse: Uti enim facta mors morti ipse mortuus & de morte resurgens, ita factus morsus Inferno ad ipsum infernum descendens & Inferno majestatem suam retegens: Mortem autem & morsum vel pestem alicui esse, illiqve non appropinqvare, contradictionem implicat verissimam. 4. Fidelibus Christi triumphum assignari, qvia Triumphum Christi per fidem sibi applicant, & membra sunt istius Capitis, qvod de morte & Inferno triumphavit unde & ipsi de utroqve Hoste suo modo triumphabunt.

VI. Dictum 1 Pet. 3. v. 18. seqq. licet obscurum ex parte sit, tamen dilucidabitur, si notaveris 1. non posse intelligi prædicationem, factam temporibus Noæ, qvia 1. de λόγῳ ἀσάρκῳ non est sermo. 2. Homines tempore Noæ viventes non posse vocari Spiritus in Carcere existentes 3. Spiritum non posse notare animam, qvia Anima non est vivificata, nec seipsum vivam effecit, qvia nunqvem mortua fuit,

fuit. 4 Vocem ζωοποιηθεὶς evincere, qvod Christus descenderit ad internum, qvando vivificatus & in limine cælestis gloriæ fuit versatus. 5. Per ἀπειθῆς intelligi eos, qvi in diluvio pœnitentiam egerunt, non posse probari. 6. Φυλακὴν notare custodiam animarum beatarum, itidem non posse probari 7. Per carnem Christi humanitatem, per Spiritum Divinitatem intelligi. 8. Prædicationem h. loco eandem esse, qvam describit infrâ cap. 4. v. 6. non constare ex utriusqve dicti collatione. 9. Prædicationem hanc non tam fuisse verbalem, qvam realem, qvâ Christus majestatem & victoriam suam qvasi intimavit.

VII. Literalem sensum Articuli de Descensu Christi ad Infernum persvadet 1. conformitas reliqvorum articulorum, qvi nullis figuratis sunt prolati sermonibus. 2. remotio aliarum Expositionum: Non enim significatur (1) sepultura, cum clarius non explicatur per obscurius. (2) descensus metaphoricus, qvi mortem ac sepulturam non subseqvutus est, sed præcessit in cruciatibus & angoribus, qvos Christus pertulit (3) Totus Exinanitionis status, qvi longe evidentior in verbis antecedentibus (4) virtus & efficacia mortis Christi, cum virtus mortis Christi etiam fuerit in V. T. & adhuc permanet, qvod de descensu ad Inferos nulla litera sacræ Scripturæ docet. (5) limbus Patrum, qvem figmentum esse, alibi evincitur.

VIII. Cum igitur nec metonymice nec metaphorice nec ullo alio modo Articuli hujus verba exponi possint, eorum literalem, propriam & nativam significationem deserere non possumus; sed credimus, in piâ simplicitate Christum totum descendisse ad Inferos, anteqvam â mortuis resurrexit, & se Judicem severum Dæmonum & damnatorum præsentavit.

ANTITHESES.

I. In primitivâ Ecclesia non omnes Ecclesiæ Doctores unam foviſſe sententiam, docent Concil. Acta, Patrum Scripta & Historiæ Eccles. *Judam Thaddæum*, hoc de articulo docuisse Regem Agbarum refert *Euseb. l. 1. Hist. Eccles. cap. 12, 13.* Omittitur â multis Patribus & Synodorum Confessionibus, ab aliis expresse profertur, uti ostendit *Masson. part. 3. Anatom. Univ. cap. 5.*

II. Calviniani per Descensum Christi ad Inferos intelligunt cruciatus infernales, adeoqve Verba Symb. Apost. metaphorica esse

esse, credunt. *Calvinus l. 2. Instit. c. 16. sect. 10. Ursinus in Comp. pag. 26. Heidelberg. in Catech. q. 44. Treleat. in Lac. p. 113. Polanus l. 6. Syntagm. cap. 21. &c. Quibus adstipulatur Masson. d. l. pag. 107.*

III. Anno Christi 1554. in Pomerania Coadjutor quidam in Eccl. Treptoviensi, nomine Jacobus *Tiele* Descensum Christi ad inferos de Passione Christi explicavit, & descendisse dixit, Christum ad inferos, quando fuit sepultus, teste *D. Cram. Lib. 3. Histor. Eccles. cap. 30.*

IV. *Socinus in Defens. Animadv. contra Eutrop. par. 3. cap. 4.* Verba Symboli Apostolici de Descensu ad Inferos ita pervertit: *Hoc significat, inter illum & cæteros mortuos pro eo tempore, quod inter ejus mortem & resurrectionem intercessit nullam differentiam fuisse. Inferi enim ij sunt, qui jam sunt mortui, & Infernus status omnium mortuorum* est. Consentit Smaltz, de Divin. Christi cap. 33. & contra Frantz, disp. 4. pag. 71.

HYPOTHESES.

I. Non audiendi illi, qui prolixe & operose probant metaphoricum Christi descensum ad inferos, sepulturam, descensu significatam &c. Hæc enim & nos confitemur, licet exclusivas conclusiones non admittamus, cum probari nequeat, quod *tantum* vel metaphorice vel metonymice descenderit ad infernum.

II. Distinguenda authoritas *Conciliorum* & *Bibliorum*. In *Illis* bene multis hunc articulum omitti certum est (vide Polan. d. l.) non autem ideo *horum* cadit authoritas.

III. Supprimenda Rationis humanæ curiositas, ne in definiendo *tempore* descensus, *loco* Inferni, & in inquirendis illis, quæ egit Christus in Inferno, extra S. Scripturæ cancellos divagetur: Quo solenni actu, se Christus in loco damnatorum Victorem exhibuit Inferni, ignoramus, sed solennitatem omnem non defuisse, credimus.

IV. Est Discrimen inter manifestationem gloriæ in *Resurrectione*, & manifestationem gloriæ in *Descensu ad inferos*: Differunt enim *Fine* & *objecto*: *Hæc* facta ap. damnatos, ut terrore percellerentur: Illa facta apud homines in terris viventes, ut solatio afficerentur.

V. Uti cum Augustino & Formula Concordiæ credimus, totum

Christum Deum & hominem fuisse in Inferno, ita hanc phrasin: Christus descendit ad Infernum secundum *utramqve naturam*, sanâ explicatione indigere, existimamus: Si enim secundum utramqve Naturam simpliciter dicatur Christus descendisse ad Inferos, secundum utramqve naturam etiam exaltatus dicitur, cum descensus ad Inferos pertineat ad statum Exaltationis. Præterea solus descensus ad Inferos secundum utramqve naturam in secundo Articulo Symboli Apostolici, Christo tribueretur, cum reliqva hujus articuli capita omnia & singula secundum humanam naturam toti Christo tribuantur: Non enim eum in Ecclesiâ ferimus orthodoxâ, qvi simpliciter dicit: *Christus secundum utramqve naturam conceptus, natus, passus, mortuus, sepultus, resurrexit &c.* Hæc ut evitemus, distinguimus duos actus, in Descensu Christi ad inferos concurrentes, qvorum 1. *Exaltationis inchoatio* & 2. *Victoriæ denunciatio*, qva se Inferno & Diabolo Victorem ostendit. *Hæc* ut pars officii Christi rectè refertur ad utramqve naturam: *Illa* v. si attendatur, orthodoxe dicitur, Christum totum descendisse ad inferos secundum humanam naturam.

VI. Nævi *D. Urbani Regii in Catech.* & *Matthesii in conc. 12. partis 2. Histor. de Christo*, qvibus ab analogia fidei declinârunt, in explicando Descensu Christi ad Inferos, scurriliter nostris Ecclesiis objiciuntur, â *Masson. d. l. cap.* 4. cum ipse Zvvinglius illis adhæreat in verbis, qvæ allegat *Masson. cap. 5. p.* 88. & nostræ Ecclesiæ in form. Conc. illis renunciarint.

Qv. VI. *Qvibus argumentis convinci potest Conscientia, ut credat, Christum ὄντως & non κατὰ δόκησιν resurrexisse ex mortuis?*

THESES.

I. IPse Christus de Veritate suæ Resurrectionis testatur, prænunciando *Joh. 2. v. 19. cap. 10. v. 18. Matth. 16. v. 21. cap. 17. v. 9, 23. cap. 20. v. 19. cap. 26. v. 32. Luc. 18. v. 33. Johann. 11 v. 25. c. 12. v. 24. cap. 14. v. 3. cap 16. v. 16, 22.* & vivum se demonstrando *Matth. 28. v. 9, 17. seqq. Marc. 16. v. 9. 12. 14. seqq. Luc. 24. v. 13. seqq. v. 36. seqq. Joh. 20. v. 14, 19. seqq. cap. 21. v 1. seqq. Actor. 1. v. 3. c. 7. v. 55, 56. cap. 9. v. 5, 17. cap. 10. v. 41. seqq c. 23. v. 11. Apoc 1. v. 18.*

II. In his omnibus fide dignus est Christus testis, qvia 1. ipsa vèri-

veritas *Joh.*14. *v.* 6. & testis verus *Apoc.*1.*v.*5. cujus in ore non fuit inventus dolus. 1. *Pet.* 2.*v.*22. 2. non semel sed aliqvoties post suam resurrectionem vivus apparuit. 3. Veritatem suæ Resurrectionis ex Mose, & Prophetis aliisqve certis documentis demonstravit, 4. verbis & operibus luculenter edocuit, qvod non fuerit post resurrectionem φαντασμα vel spectrum Diabolicum cui hujusmodi verba & opera attribui nullatenus possunt.

III. Collegium Apostolicum, Christum post mortem vidit & agnovit vivum *Actor.* 1.*v.*3. *Matth.* 28.*v.* 17. *Marc.* 16.*v.*14. *Luc.*24. *v.*35. *Joh.* 20.*v.*14,19. 1.*Cor.*15.*v.*5, 7. Nota autem qvod in collegio hoc fuerint multi, qvi exacte Christum agnoverunt, cum ipso comederunt, illum contrectârunt, & testimonium suum de Resurrectionis Christi veritate, sangvine ac martyrio suo obsignârunt. Imo impulsi â Spiritu S. testimonium dederunt de Resurrectione Christi *Actor.* 4. *v.*33. &c & miraculis sua testimonia confirmarunt *Actor* 2.43 *cap.*3.*v.*7. &c. & Christum viderunt ascendere in cælum, uti suo loco dicetur.

IV. Angeli Sancti *Matth.* 28. *v.*6. *Marc.*16.*v.*6. *Luc.*24. *v.* 5. *Johann.* 20.*v.* 10. *Luc.* 24.*v.*23. fide dignum perhibent testimonium de Christi Resurrectione, qvia sunt 1. Spiritus veraces, distincti ab illis qvi non steterunt in Veritate *Joh.* 8. *v.* 44. 2. uno plures. 3. testes aperti, & demonstrantes vacuum sepulchrum lineas, vestimenta &c. 4. testes argumentis instructi, qvi remittunt alios ad Christi conditionem, prædictionem & apparitionem.

V. E Collegio Discipulorum Christum resuscitatum vidit Petrus 1. *Cor.*15.*v.*5. *Luc.*24. *v.* 34. Jacobus 1 *Cor.* 15. *v.* 7. duo Discipuli euntes in Emmahus *Luc.*24.*v.*13 septem Discipuli ad mare Tiberiadis *Johann.* 21. *v.* 1. *seqq.* Stephanus *Actor.* 7.*v.* 55. Hi rursus ἀξιόπιστοι testes, qvia 1. plures 2. Spiritu S. fuere compulsi, ut testarentur de Resurrectionis Christi Veritate, uti Petrus *Actor.* 2.*v.*14. *seqq.* *cap.* 3. *v.*13.*seqq.* *cap.*4.*v.*8.*seqq.* *cap.* 10.*v.*40. 1 *Pet.*1.*v.*3 21.*cap.*3.*v.*18. & Johannes *Actor.* 2, 3, 4. 3. ab Apostolo Paulo, ceu fide digni ex parte maximâ commendantur 1 *Cor.*15.*v.*5.*seqq.* 4. ex parte sangvine suo editum â se testimonium confirmarunt, uti de Stephano *Actor.*7. Jacobo *Actor.* 12. & Petro in Historiâ Ecclesiasticâ legitur. 5. ex parte ipsum, Christi sepulchrum diligenter perlustrarunt, uti Petrus & Johannes *Joh.* 20. *v.* 6, 7.

VI. Concilium qvingentorum Fratrum, qvorum qvidam adhuc Apostoli Pauli tempore vixerunt 1 Cor. 15. v. 6. Matth. 28. v. 17. seqq. fide dignum de Christi Resurrectione dat testimonium; Si enim qvantitatem testium respicis, numerus excedit longissime eum, qvem Deus determinavit in lege Deut. XIX. 15. Si qvalitatem attendas sunt Αὐτόπται & ab Apostolo honorantur ut Spirituales Fratres.

VII. Una atqve altera pia fœmina *Matth.* 28. *v.* 9. *Marc.* 16. *v.* 9. *Luc.* 24. *v.* 10. *Johann.* 20. *v.* 18. testata fuit de Christi Resurrectione. Harum fides elevari neqvit, si notetur. 1. Conspirare eum his mulieribus multos viros. 2. A Christo & Angelo fuisse electas & deputatas testes, qvibus adhiberetur fides. 3. has mulieres omnem spem de Resurrectione Christi abiecisse; qværebant enim corpus Christi, ut illud unguentis â corruptione præservarent. 4. ipsum sepulchrum vacuum ab his Mulieribus fuisse visum 5. Mariam Magdalenam non cogitâsse de Christi Resurrectione; sed potius de ejus in alium locum translatione.

VIII. Apostolus Paulus, 1. Christum â mortuis resuscitatum vidit 1 *Cor.* 9. *v.* 1 *cap.* 15. *v.* 8. 2. Christi resurrectionem annunciavit *Actor.* 13. *v.* 30. *c.* 17. *v.* 3, 18, 31. *cap.* 26. *v.* 23. 3. de eadem Resurrectione haud semel suis Ecclesiis scripsit. *Rom.* 1. *v.* 4. *c.* 4. *v.* 25. *cap.* 6. *v.* 4, 9. *cap.* 8. *v.* 11. 34. *c.* 10. *v.* 9. 2 *Corinth.* 4. *v.* 14. *c.* 5. *v.* 15. *Ephes.* 1. *v.* 20. *Philip.* 3. *v.* 10. 1 *Thess.* 1. *v.* 10. *cap.* 4 *v.* 14. 2 *Tim.* 2. *v.* 8. 4. multis argumentis Veritatem Resurrectionis Christi demonstravit 1. Corinth. 15.

IX. Προφῆται partim *vaticiniis*, partim *Typis* veram Messiæ Resurrectionem â mortuis præmonstrârunt. *Illa* sunt bene multa evidentiora reperiuntur *Ps.* 2. *v.* 7. *Confer Actor.* 13. *v.* 33. *Hebr.* 2. *v.* 7. *Ps.* 16. *v.* 9. Confer *Actor.* 2. *v.* 31. *c.* 13. *v.* 25. *Ps.* 22. *v.* 22, 23. Confer *Joh.* 20. *v.* 17. *Ps.* 68. *v.* 1. Confer *Ephes.* 4. *v.* 8. *Ps.* 110. *v.* 7. Confer *Actor.* 2. *v.* 34. 1 *Cor.* 15. *v.* 25. *Esa* 53. *v.* 8, 10, 11. *Oseæ* 13. *v.* 14. Confer 1 Cor. 15, 55. *Micb* 12. *v.* 13. Addi possunt alia vaticinia de Redemptione generis humani, sessione Christi ad dextram Dei, æterno ejus regno, fructu passionis ac mortis ejus & resurrectione nostrâ ad vitam æternam, qvæ omnia veram Christi resurrectionem â mortuis includunt.

X. Inter Typos eminet Jonas, qvem ipse Christus suæ Resurrectio-

ctionis Typum agnoscit *Matth. 12. v.* 40. de multis aliis vide *Gerhard. in Disp. de gloriosâ Christi Resurrect. §. 15.*

XI. Testibus de veritate Resurrectionis Christi subjungi possunt rationes, desumptæ 1. â corporis Christi sanctitate 2. â personali divinæ & humanæ Naturæ unione. 3. â majestate divina carni communicata. 4. ab ardenti dilectione qvâ Pater dilexit filium suum. 5. â nostræ Redemptionis absolutione, & mortis nostræ destructione. 6. ab officii Christo commissi exeqvutione. De his & aliis vide *Polan lib. 6. Syntagm. cap. 23. Schilter. in Analysi Symbol. Apost. §. 98 Gerh. d. l. §. 9. seqq. & §. 22.* nec non Conciones Paschales in Postillis.

ANTITHESES.

I. Ethnici & Judæi in hunc usqve diem irridēt Christi Resurrectionem, qvibus se conjunxit Cerinthus, teste *Epiphan. hæres. 28. & August. lib. de Hæres. cap. 8.*

II. Qvidam delirârunt, adhuc in cælo animam Christi esse sine corpore, referente *Tertull. lib. de Carne Christi cap. 24.*

III. Manichæi simulatam & imaginariam Resurrectionem Christi svadere studuerunt, referente *August. de hæresib. cap. 46.*

HYPOTHESES.

I. Rationis humanæ argutias compescere jubent divina oracula, qvibus Veritas Resurrectionis Christi est patefacta. His non consentire *Rationem* nisi sub obsequium Christi captivetur, ex scripturâ constat. Matth. XXVIII. 17. Marc. XVI. 11. 13. 14. Luc. *XXIV.* 11. 25. 41. Johann. *XX.* 25. 2. Act. *XVI.* 18. Act. XXVI. 24. 1. Corinth. XV. 12. 35. 36.

II. Vigiles qvi Sepulchrum Christi custodiverant, & corpus Christi ab Apostolis furtim surreptum, fermocinati sunt, præterqvam qvod pecunia corruptos fuisse, testetur Matth. cap. XXVIII. 11. seipsos mendacii funiculis irretiunt: *Dormivisse se*, fassi sunt, & tamen prodiderunt, se vidisse Furto ablatum Christi corpus: Unus ex illis si hoc vidit, cur alios non excitavit, ut Fures depellerentur? Unde etiam ista animositas trepidantibus & Consternatis Christi Discipulis, ut Christi corpus fuerint ausi subducere é sepulchro armatâ manu septo?

Qv. VII. *Annon Christi corpus surrexit, Lapide Sepulchri nondum Semoto, & januis clausis transiit ad Discipulos?*

THESES.

I. DUæ Historiæ ab Evangelistis & Apostolis consignatæ Theses affirmantes in se involvere nostri Theologi crediderunt: Prima extat Matth XXVIII. 2. seq. altera Johan. XX. 19. 26.

II. In PRIMA doceri, Christum jam resurrexisse corpore suo, anteqvam Angelus lapidem â Sepulchro removit, eliciunt ex his Evangelistæ verbis: ἀπεκύλισε τὸν λίθον ἀπὸ τῆς θύρας καὶ ἐκάθητο ἐπάνω αὐτῦ, qvæ verba testantur: Qvod ad lapidem duntaxat sepulchri, non v. ad ipsum sepulchrum se converterit Angelus & qvod lapidem devolverit, non ut Christus sepulchro egrederetur, sed ut lapidi insideret, & Christi Resurrectionem annunciaret.

III. Qvæ â Johanne conscripta Historia, Christum in medio Discipulorum stantem introducit, θύρων κεκλεισμένων: Qvicunqve autem in conclavi apparet præsens & nulla vel janua vel fenestra, nullaqve alia via aperitur, ille certam conclavis partem penetrasse intelligitur. Nulla vox nos cogit ire in sententiam illorum, qvi opinantur, mystico modo vel fenestras vel januas fuisse apertas. Vide *D. Gerhard. in Harmon. de Resurrect. cap. 1. & 8. Buscher. in Fasciculo. qvæst cap 6. q. 14. D. Gesner. in confes. de Pers. Christi p. 285. 294. Mentz. in Anti Martin. pag. 528. Forst. Dec. 4. de Symb. Apost. probl. 5. Meisn. in Considerat. Theol. Phot. cap. 5. p. 877. Luth. tom. 3. Ihen. fol. 394.*

ANTITHESES.

I. *Calviniani* non concedunt, Christi glorioſum corpus vel per Lapidem sepulchralem vel per januas clausas transisse: *Falsum est*, scribit Ursinus in Comp. Doctr. Christ. pag. 605. *qvod transierit Christus per januas clausas, cum ei cedere potuerint.* Plures Authores recenset *Masson. parte 3. Anatom. Univ. cap. 6. p. 109. 110.* qvorum mentem ita declarat p. 125. Ein anders ist wann die Thüren sich durch Christi Macht aufthun / und also weichen und den HErrn mit seinem wahren Leib hindurch lassen. Ein anders ist / wann Hoe sagt: Das Christus mit seinen Leibe durch die zugebliebene Thüre wie ein Geist fähret. Prius *Massonius* approbat, posterius damnat.

II. *Smaltz. disp. 2. cont. Frantz. pag. 94.* ita scribit: *Potuit tunc cum*

cum clausa essent Januæ Christus intrare, vel aliqvo aperiente, vel portâ seipsam aperiente, qvod Petro etiam Apostolo Domini accidisse legimus Act. XII, 10. Consentit *Socin. in lib. qvod Evangelici Socin. se adjungere debeant pag. 68.*

HYPOTHESES.

I. Non præcisè urgemus, qvod Christi Corpus vel ipsum Lapidem Sepulchro advolutum vel fores clausas penetrârit, modo concedatur, Christi Corpus è sepulchro exisse non aperto Sepulchro, & in Cænaculum intrâsse, non reclusis vel remotis foribus. Sive per ipsam Petram, in qva fuit Sepulchrum egressus sit, sive per tectum vel parietes Cænaculum intrârit, penetratio Corporum glorioso Corpori conveniens erit concedenda.

II. Cedere potuisse & Lapidem & Januam Corpori Christi, non negamus, Evangelistæ autem non referunt, qvod cesserint, sed lapide revoluto Angelus offertur, qvi non convertit se ad Sepulchrum, ac si ex eo Christus tunc sit egressus, sed ad Lapidem, ceu Sepulchri operculum, cui insidet, ut apertum sit Sepulchrum. Sic nullibi legitur, qvod Janua Christo cesserit, seu Christus in medio stans θύρων κεκλεισμένων introducitur.

III. Qvæ ex physicis afferuntur argumenta, laborant qvatuor terminis, cum qvæstio sit de corpore resuscitato â mortuis & glorificato, cujus affectiones Physica ex suis principiis investigare non potest.

IV. Subitanea præsentia Christi discipulorum terror & opinio de Spiritu, non admittunt sententiam illorum, qvi Christum per fenestras patentes ostia aperta vel aliam viam corpori mere physico usitatam, ingressum esse, credunt.

Qv. VIII. *Annon post resurrectionem corpus Christi mansit verum corpus qvod etiam mortale & corruptibile?*

THESES

I. REsurrectionem Domini non Humanitatis substantiam abstulisse credere nos jubet 1. ipse Christus *Luc. 24. v. 39.* qvi suum corpus ejusqve veritatem Spiritui opponit. 2. Veritas Resurrectionis supra evicta, qvæ præsupponit veritatem corporis. Spiritus enim ut non cadit, ita nec resurgit. 3. Veritas ascensionis

in

in cœlum, qvæ suo loco evincetur. 4. Reditus ad extremum judicium, qvi futurus in corpore transfixo *Zachar.* 12. v. 10. *Johann.* 19, v. 37. *Apocal.* 1. v. 7. in humana natura, qva Filius Hominis *Matth.* 24. v. 30. &c. & visibilis *Luc.* 21. v. 27. Unde describitur, ut ἐπιφάνεια 2. *Thessal.* 2, v. 8. 1 *Timoth.* 6. v. 14. 2 *Timoth.* 4. v. 1. ἀποκάλυψις 1. *Corinth.* 1. v. 7. 2 *Thes.* 1. v. 7. 1 *Pet.* 1. v. 7, 13. φανέρωσις *Coloss.* 3. v. 4. 1. *Pet.* 5. v. 4. 1. *Johann.* 2. v. 28.

II. Post Resurrectionem Christi carnem ejus passibilem, infirmam & mortalem remansisse credere vetat Apostolus Paulus 1 *Cor.* 15, v. 48, 49, 50. & *Philipp.* 3. v. 21. ubi docet 1. conformitatem corporis Christi resuscitati & nostrorum corporum ad vitam resuscitandorum. 2. glorificata piorum corpora, qvæ gerent Christi imaginem, post resurrectionem non fore ἐν ἀτιμίᾳ sed δόξῃ; non ἐν ἀσθενείᾳ sed δύνάμει, non corpora ψυχικὰ, sed πνευματικά. 1 Cor. 15. v. 43. 3. Christum esse post resurrectionem hominem ἐπουράνιον, non Χοϊκόν, qvemadmodum etiam nos aliqvando futuri sumus ἐπουράνιοι: Qvalia ergo erunt nostra corpora in resurrectione ad vitam, tale fuit corpus Christi resuscitatum. At nostra corpora erunt glorificata & σύνταξιν ἀνωχειρίας exempta. E.

III. Immunitas à morte Christo resuscitato assignatur *Rom.* 6. v. 9, 10. 2 *Tim.* 1. v. 10. *Hebr.* 2. v. 14. Hæc dicta non solum ipsum moriendi *actum*; sed etiam *inclinationem* ad mortem Christo resuscitato denegant, cum immunitas ab omni peccato, tam *inhæsivo* qvam *imputato*, & *destructio mortis* omnem causam mortis tollat, ut mortalis dici non possit, qvi semel peccato mortuus, nunqvam moritur, ob mortem in victoria absorptam.

IV. Agilitatem sæpius dicti corporis, Lucas *cap.* 24. v. 31. indicat, cum inqvit, ἄφαντος ἐγένετο. Accedunt variæ Christi apparitiones, qvibus modo circa sepulchrum modo in via ad Emaus ducente, modo Hierosolymis modo aliis atqve aliis in locis subito adfuit. Verba Lucæ non possunt accipi de repentino discessu, qvia inseqvuti haud dubie fuissent duo Discipuli discedentem, neqve probari potest de repente discedentibus in scripturis dici, qvod fiant ἄφαντοι vel inconspicui. Confer *D. Mentzer. in Anti-Martin. p.* 533. *D. Meisn.*

in

in Consid. Theol. Photin. p. 867. *D. Gerhard. in Disp. de glorios. Christi Resurr. §.* 40. *seqq, Stegmann in Photinianis. disp.* 26. *pag.* 194.

ANTITHESES.

I. Photiniani negant, ex sacris literis probari posse corpus Christi statim post resurrectionem fuisse glorificatum, cum demum gloriam & immortalitatem sit adeptum qvando in cælum ascendit. *Osiorod. in Instit. cap.* 41. *Smaltz. in Exam.* 157. *error. errore* 31. *Socin d. l. §.* 67.

II. Indirecte Ἀντίδοσιν tuentur Calviniani, qvi satis exiliter de corpore Christi glorificato philosophantur, uti ostendit *D. Gerh. d. l. §.* 48.

HYPOTHESES.

I. Τὸ *Manducare* & *bibere* est affectio corporis animalis & non glorificati, qvatenus hic actus 1. continuatur 2. tendit ad nutritionem corporis. 3. egestatem corporis supplet; His enim modis omni corpori ψυχικῷ competit manducatio & bibitio: Christus autem post resurrectionem manducavit & bibit, 1. *aliqvando absqve continuatione* 2. *ad demonstrandam Resurrectionis veritatem*, non autem *conservandam sanitatem* 3. ex οἰκονομίᾳ, qvia *voluit*, non ἕξεως, qvia *eguit*.

II. Sicut *supernaturaliter* comedit, ita *supernaturaliter* qvæ comederat, digessit: manducavit enim non *necessitate*, sed *libera voluntate* aliter autem absorbet terra aqvam, aliter Sol. Hic *potestate*, illa *necessitate*, qvia arida est, uti scribit *Beda comm. in Luc.* 24.

III. Vulnerum Christi vestigia non tollunt corporis gloriam sed illorum multiplex est usus, etiam in statu gloriæ, uti tradidit D. Gerhard. in Harmon. de Resurrect. cap. 9. Nec cicatrices & vulnerum vestigia similiter deforme reddunt corpus *Spirituale*, ut *animal*, cum tanta sit Spiritualis corporis claritas, ut cicatrices non, nisi qvando volunt glorificati, appareant:

IV. Etsi corpus Christi ante resurrectionem fuit ψυχικὸν post resurrectionem πνευματικὸν, non tamen alia corporis fuit natura ante resurrectionem, atqve est hodie, cum qvalitatum & statuum diversitas non statim diversam evincat naturam.

IV. Christum â primo resurrectionis momento fuisse in statu

gloriæ, ipse met fatetur *Luc.* 24. *v.* 26. *cap.* 22. *v.* 16. Quamvis ergo per extraordinariam Dei Dispensationem sub hoc cælo interdum apparuit Christus; tamen non ita degit sub hoc cælo post resurrectionem, ut cæteri mortales. Hinc dicebat ad Discipulos *Luc.* 24. *v.* 44. cum *eram vobiscum* sc. pro *modo terrena conversationis.*

VI. Aliud est, *transire ad Patrem in cælestem & invisibilem conditionem*, aliud, *ascendere in cælum. Ascensio* non est facta absqve loci mutatione, deqve terra in sedem beatarum animarum profectione. *Transitus* autem ad Patrem non admittit localem motum, cum Pater sit in Filio, & Filius in Patre, uti erudite monet doctissimus *Gesnerus in Confes. de Pers. Christi pag.* 297.

VII. Qvoad gradus gloriam Christi esse auctam cum ascendit ad cælum, non imus inficias, plane autem non fuisse ejus Corpus glorificatum, anteqvam ascendit in cælum, negamus.

Qv. IX. *Annon Christus vere & ὄντως adscendit in cælum?*

THESES.

I. CHristus θεάνθρωπος secundum humanam naturam ascendit in cælum 1. per *veram localem μετάβασιν* 2. *visibiliter*, 3. *visibilem & localem suam præsentiam Creaturis terrenis subtrahendo* 4. *Conversationem terrenam plenarie & universaliter finiendo.* 5. de *hostibus devictis triumphando*, & 6. *Solenni & cælesti pompa cælum beatorum occupando.*

II. Circumstantiæ in historia de Ascensione Christi occurrentes, ut Locus qvi mons oliveti *Zach.* 14. *v.* 4. *Luc.* 24. *v.* 50. *Actor.* 1. *v.* 12. tempus, qvod dies 40. post Christi resurrectionem *Actor.* 1. *v.* 3. persona ascendens, qvæ Christus resuscitatus *Marc.* 16. *v.* 19. *Luc.* 24. *v.* 51. *Actor.* 1. *v.* 9. modus paulo post explicandus, & testes, qvi sunt homines & Angeli *Actor.* 1. *v.* 10. 11. veritatem hujus ascensionis confirmant.

III. Phrases μετάβασιν localem designantes, sunt; ascendere in altum *Ps.* 68. *v.* 19. *Ephes.* 4. *v.* 8. ἔξοδος *Luc.* 9. *v.* 31. ἀνελήφθη. *Marc.* 16. *v.* 19. διέστη ἀπ' αὐτῶν καὶ ἀνεφέρετο *Luc.* 24. *v.* 51. ἐπήρθη, καὶ νεφέλη ὑπέλαβεν αὐτὸν *Actor.* 1. *v.* 9. ἀναληφθεὶς, πορευόμενος *Actor.* 1. *v.* 11. πορευθεὶς εἰς οὐρανόν 1. *Pet.* 3. *v.* 21.

Hæ

Hæ phrases luculenter testantur, Christum ascendisse in cælum, non *evanescendo* vel *disparitione*, sed *locum*, quo steterat in monte, *deserendo*, altiora Aeris loca successive *occupando*, ad ipsam Nubem *pertingendo*, & localiter â Discipulis *discedendo*.

IV. *Visibiliter* Christum ascendisse in cælum, discimus ex verbis 1. Angelorum, qvi ita loqvuntur, οὗτος ὁ τρόπον ἐθεάσασθε αὐτὸν πορευόμενον εἰς τὸν οὐρανὸν *Actor.* 1. *v.* 11. 2. ipsius Christi, qvi inqvit *Johann.* 6. *v.* 62. ἐὰν οὖν θεωρῆτε τὸν υἱὸν τ῀ ἀνθρώπ῀ ἀναβαίνοντα & 3. Lucæ, qvi affirmat, Christum esse sublatum βλεπόντων αὐτῶν & ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν ὡς ἀτενίζοντες ἦσαν εἰς τὸν οὐρανὸν, πορευομένου αὐτου *Actor.* 1. *v.* 9. & 10. Adde phrases primo & tertio membro appositas, qvæ probant, Christum esse remotum â Discipulorum visu, contactu & colloqvio.

V. *Visibilem præsentiam Christi per ascensionem esse subtractam Discipulis*, liqvet ex *apparitionum termino*, qvi fuit *ascensio*, teste Luca *Act* 1. *v.* 3. Nam ante ascensionem, licet non semper aliqvando tamen cum Discipulis Christus resuscitatus conversabatur: Post ascensionem autem militat illud Pauli εἰ δὲ ἐγνώκαμεν κατὰ σάρκα Χριστὸν, ἀλλὰ νῦν οὐκ ἔτι γινώσκομεν 2. *Cor.* 5. *v.* 16. Confer *Colos.* 3. *v.* 1. *Heb.* 8. *v.* 4.

VI. *Triumphantem* fuisse Christi Ascensionem revelatur verbis Apostoli *Coloss.* 2. *v.* 15. & Davidis *Ps.* 68. *v.* 18, 19. *Ps.* 47. *v.* 6, 7. Confer *Ephes.* 4. *v.* 8, 9.

VII. *Solennis ingressus Christi in sedem beatorum*, notificatur verbis Apostolorum & Evangelistarum, qvibus docent Christum assumptum εἰς τὸν οὐρανὸν *Marc.* 16. *v.* 1. *Luc.* 24. *v.* 51. *Actor.* 1. *v.* 11. ἐν δόξῃ 1 *Timoth.* 3. *v.* 16. Cum his si conferas verba Salvatoris *Luc.* 24. *v.* 26. facile intelligis, Christum post resurrectionem statim in cælestem statum & gloriam perveniisse, solenniter autem assumptum esse in domicilium beatorum, qvando ascendit in cælum: unde ingressus in gloriam *Resurgenti*, assumptio autem in gloriam *ascendenti* juxta Scripturæ ductum convenit. Vide *D. Gerhard. in Harmon. de Resurrect. cap.* 13. *Schilter. in Anal. Symb. Apostol.* §. 118. *Tom.* 1, *Giess. disp.* 4. *th.* 6. *seqq.*

ANTITHESES.

I. Veteres Hæretici, ut *Appellitæ* finxerunt, aſcenſionem Chriſti eſſe diſſolutionem corporis in 4. Elementa.

II. Manichæi Seleuciani &c. qvi fabulati ſunt; Chriſti corpus in aſcenſione Syderibus eſſe affixum.

III. Jeſuitæ & Calviniſtæ per inſignem calumniam nobis obji-ciunt, qvod nullam aliam doceamus Chriſti aſcenſionem in cælum, niſi eam, qvæ eſt nuda diſparitio & evaneſcentia, qvam calumniam præ aliis evomit virulento animo *Greg. de Valent. tom.* 4. *diſp.* 2. *q.* 6 *punct.* 1.

HYPOTHESES.

I. Veteres Hæretici, cum nihil probent nullum faceſſunt no bis negotium.

II. Calvinianis & Jeſuvvitis immota hæc obvertatur Hypotheſis. Nunqvam poteſt probari, illam humanam naturam in aſcendendo duntaxat evaneſcere, qvæ ſecundum *veritatem naturæ* localiter de loco in locum aſcendit, abiit, diſceſſit, & nihilominus *illocaliter* ſua ſubſtantia præſens in terris manſit ſecundum *communicatam majeſtatem* divinæ Naturæ.

Qv. X. *Num cælum illud, in qvod Chriſtus adſcendit fuit locus qvidam phyſicus ſupra omnes orbes cæli creatos?*

THESES.

I. Cælum, in qvod Chriſtus adſcendit, nec notat cælum *æthereum* nec *aereum*, nec ullum alium *locum phyſicum* i. proprie dictum; ſed cæleſte illud habitaculum, qvo Deus electis Angelis & beatis hominibus ſuam majeſtatem ac gloriam clariſſime & ſvaviſſime cognoſcendam percipiendamqve exhibet.

II. Non notari in articulo de Aſcenſione Chriſti, per cœlum, *æthereum* vel *aereum regionem*, illa Scripturæ dicta evincunt, qvibus legitur, qvod Chriſtus aſcenderit ſuprâ omnes cælos *Epheſ.* 4, *v.* 10. penetraverit cælos *Hebr.* 4. *v.* 14. & excelſior ſit factus cælis *Hebr.* 7. *v* 26. Aſpectabiles itaqve & creati cæli Chriſtum non detinuerunt.

III. Non notari *locum phyſicum & proprie dictum*, qvi ſit externum aliqvod ambiens, continens corpus Chriſti, uti locus continet lo-

ca-

catum, eluceſcit 1. ex collatione verborum Chriſti *Johann.* 3. *v.* 13. & *Johann.* 6. *v.* 62. qvæ continent hunc Syllogiſmum: *In qvodcunqve cælum Chriſtus adſcendit, in illo fuit ſecundum divinitatem ab æterno.* Atqve *in tali cælo creato, qvale eſt locus phyſicus proprie dictus non fuit Chriſtus ab æterno.* E. *in tale cælum qvale eſt locus phyſicus proprie dictus, Chriſtus non adſcendit.*

IV. *Majorem* non negabit, qvi verbis Chriſti credere maluerit, qvam α'θεολόγως aſſerere: λόγον ante incarnationem in alio cælo fuiſſe atqve in eo, in qvo fuit ab æterno. *Minorem* qvi inficiatus fuerit, tenetur monſtrare loca phyſica & creata ante creationem.

V. 2. ex verbis Chriſti, qvibus prædixit, ſe velle ire ad Patrem *Joban.* 14. *v.* 28. *cap.* 16. *v.* 5. 6, 16, 28. *cap.* 17, *v.* 11. *cap.* 20. *v.* 17. Ex his ita inferimus: *Chriſtus aſcendit in illud cælum, qvo exivit, & qvo fuit Pater cum Spiritu S. qvem miſit, poſtqvam abiit ad Patrem.* Atqvi ê *loco phyſico proprie dicto non exivit vel miſſus eſt Chriſtus nec in loco prædicto eſt Pater cum Spiritu S.* E.

VI. 3. Ex deſcriptione cæli, in qvo eſt *Deus Pater*: In hoc cælo dicitur Deus ſedere, h. e. regnare ſuper omnia, uti explicatur *Pſ.* 89. *v.* 15. *Pſ.* 93, 1. 2. 97. *v.* 2. *Pſ.* 103. *v.* 19. &c. Dicitur de Deo, qvod de cælo proſpiciat, *Deut.* 26. *v.* 15. *Pſ.* 14. *v.* 2. *Pſ.* 102. *v.* 20. *Eſa* 63. *v.* 15. de cælo deſcendat *Geneſ.* 18. *v.* 20. *Exod.* 19 *v.* 11. *Mich.* 1 *v.* 3. Deum autem ſedere in loco proprie dicto, de illoqve proſpicere & deſcendere, inauditum eſt in Eccleſiâ Orthodoxâ, ut mirari merito qvis poſſit, qvi D. *Pelargus in diſp. de Aſc. Chriſti* §. 134. aſſerere auſus ſit; cælum, cum de *Deo* agitur, *localiter accipi.*

VII. 4. ex *conditione Angelorum, Animarum & corporum glorificatorum*, qvæ locum proprie dictum non admittit, cum nullum corpus ambiens poſſit oſtendi, qvod Angelos Animas & corpora glorificata ambiat: Internam finitatem harum ſubſtantiarum & πῆ definitivum qvi locum vocat proprie dictum & phyſicum, κατα χρήσει nimium ê deditus.

VIII. 5. Ex *Naturâ cæli*, qvod vocatur *cælum beatorum*: Hanc & qvoad *qualitatem* non eſſe perfecte notam, nec phyſicam qvandam locationem admittere, controverſia de Vita æterna edocebit. Videatur *Brent. tom.* 8. *Op. pag.* 878. *ſeqq.* 1030. *ſeqq. D. Hutter. in L. Theol.*

pag. 192. *D. Meisn. part.* 1. *Philoſoph. ſobr. ſect.* 3. *cap.* 4. *q.* 4 *& part.* 2. der *Calvin. Prob pag.* 641. *tom.* 1. *Gieſs. diſp.* 4. *th.* 32. *tom.* 7. *diſp.* 23. *th.* 45.

IX. Aſcendiſſe denique Chriſtum in cæleſte illud ϖῦ, quo Deus cum Electis Angelis & beatis Animabus æterna fruitur gloria, ipſe affirmat. Johan. XII. 26. c. IV. 2. cap. XVII. 24. Repetit Paulus Philip. I. 23. 1 Theſſal. IV. 17. 1 Timoth. II. 12. Hebr. IX 24. c. VI. 19. Vide *tom.* 1. *Diſp. Gieſſ.* 4. *& tom.* 2. *diſp. Witteb.* 1.

ANTITHESES.

I. Pontificios affirmare Corpus Chriſti, quod manſit circumſcriptum viſibile, palpabile, ac item Angelos & Animas beatorum Hominum reverâ in cælis Corporeis â Deo creatis exiſtere, teſtatur *Buſæus in Apol. Cont. Gerlach. Err.* 38. *p.* 237.

II. Scholaſticorum Speculationes de Cælo Empyræo ex Bernhardino, Roſeto & aliis erutas vide *tom.* 8. *Brent. p.* 890. *& p.* 1031.

III. *Bulling.* in *Dictum* Joh. 14. 2. commentans, affirmat, Chriſtum aſcendiſſe in cælum, quod ſit certis locis, ſpatiis intervallis, manſionibus & habitaculis diſtinctum, in quo localiter ambulet, ſtet, ſedeat & jaceat ſuo Corpore.

IV. Bullingeri Sententiam defendit *Maſſon. tom.* 2. *Anat. Univerſ. cap.* 28. *p.* 1406. & ſuorum Complicum Doctrinam ad certa revocat capita, quibus aſſeritur, cælum, in quod Chriſtus aſcendit, eſſe *ſubtile Corpus, peculiarem Locum Supra nos, ſupra reliquos cælos*, p. 1391. *ſeqq. item p.* 1408. Conſentit *Beza Vol.* 1. *Th. pag.* 592. *ſeqq. p.* 601. *ſeqq. Danæus p.* 1523. *p.* 1570. *Martyr in Dial. de Corp. Chr. p.* 74. 77. *Polan. l.* 6. *Syntagm. c.* 25. *Grotius in Def. Orth. Conf. p.* 134. *& p.* 140. *Pelarg. in Diſp. de Aſc. Chr. in cæl. th.* 22 *ſeqq.*

HYPOTHESES.

I. Chriſtum aſcendiſſe in cælum ubiqvitiſticum, qvo Diaboli & Angeli ſimul converſantur, noſtræ non docent Eccleſiæ, qvæ ϖῦ beatorum & damnatorum juxta ſcripturam diſtinguunt. Vide *Brent. tom.* 8. *op. p.* 1047.

II. Cum Calviniani affirment, Chriſtum aſcendiſſe in locum proprie dictum & tale cælum, qvod ſupra ultimam mundi ſphæram collocatum, qvo ſedeat, ſtet, ambulet, tenentur affirmationis ſolida proferre argumenta, qvæ ſedulo depoſcenda, cum plerumqve noſtram potius theſin allatrent, anteqvam illam evincant,

III.

III. *Johann.14.v.2.* talis intelligitur locus, qvalis est *domus Patris cælestis*, qvi non habitat in terrenis locis & habitationibus: Uti ergo cibus & potus *Luc.22.v.30.* Paradisus *Luc. 23. v.43.2 Cor.12.v.4.* οἰκία ἀχειροποίητος *1 Corinth.5.v 1,2.* tabernaculum, qvod Deus fixit *Hebr.8.v.2.* civitas magna *Hebr.11.v.10, 14, 16.* & similia non terrena notant, sed ἐπουράνια, Apostolo interprete *Ephes.2. v 6.* ita etiam late cælum vocatur locus, non *physicus*; sed *hyperphysicus*; non *terrenus*; sed *cælestis*; cujus situs, qvidditas & qvalitas in scripturis non est revelata.

IV. Dicta qvæ affirmant, Christum *penetrasse cælos*, *ascendisse in altum*, *esse sursum* &c. non solide probant, cælum illud esse suprâ omnes cælos firmamenti, in qvod Christus ascendit, qvia 1. hisce phrasibus non semper Superior situatio, sed frequentissime sublimis majestas & divina celsitudo intelligitur ut *Job.11.v.8. cap.22.v.12.* 2. non statim est regio suprema super omnes creatos cælos sita, qvod est superius. 3. etiam Elias ascendit in cælum beatorum, de qvo tamen dici neqvit, qvod ascenderit suprâ omnes cælos, & ipsis cælis sit factus excelsior.

V. *Actor.3.v 21.* vox δέξασθαι est medium, non passivum, nec passivam significationem admittunt dicta *Ephes.1,21. Hebr.7.v.26. 1 Corinth.15.v.25. 1 Pet.3.v 22.* Habitationis ministerium, qvod Polanus hic qværit eoqve Christum capi, dicitat, non invenit locum in cælo, qvo Christus habitat, cum nullius habitationis ministerio in eodem indigeat. Insuper verbum δέχεσθαι nullibi notat *localem receptionem*; sed potius oblatum recipere & possidendum acceptare *Matth.* 10, 14. 40. 41. C. *XI.* 14. *c. XVIII.* 5. *Marc. VI.* 11. &c. Confer *Calov. in Append. Doct. de Syncret. in L. de Pers. Christi pag.* 98.

VI. Ascensionem localem semper reqvirere locum proprie dictum, Pelargus sine ratione asserit: Non enim semper est necesse, ut *terminus ad quem* æqvè sit locus proprie dictus, atqve *terminus à quo*; cum corpora glorificata ita non moveantur de loco in locum, ut corpora ψυχικα.

VII. Concordes possemus esse cum recentioribus Calvinianis in hâc συζητήσει, si illi 1. crassiores Bullingeri & Petri Martyris opiniones Publice & syncere rejicerent. 2. temere *situm quidditatem & qualitatem* istius cæli, in qvod Christus adscendit, non definirent

rent suamqve sententiam ceu fidei articulum nobis non obtruderent. 3. locum vel ὡς beatorum hyperphysicum agnoscerent, non solum ratione *status*, qvi est in illo loco, sed etiam ratione *Situationis* & *locationis*. 4. præsentiam carnis Christi in cælo, præsentiæ in Ecclesiâ militante, & in cæna Domini non opponerent.

VIII. Nullo scripturæ textu doceri potest: Ideo ascendisse Christum in cælum, ut omnem substantialem præsentiam suæ humanitatis Ecclesiæ militanti subtraheret. Fines ascensionis in scriptura designati sunt 1. *sessio ad dextram Dei Marc.* 16. *v.* 19. *Ephes.* 1. *v.* 21. 2. Impletio omnium *Ephes.* 4. *v.* 11. 3. distinctio Sacerdotii â Sacerdotio Levitico *Hebr.* 7. *v* 26. *cap.* 8. *v.* 4. 4. intercessio pro nobis *Hebr.* 9. *v.* 24. *Rom.* 8. *v.* 34. 5. confirmatio nostræ fidei, qva credimus, nobis cælum esse apertum, ut simus ibi, ubi est caput nostrum *Johann.* 14. *v.* 3. *cap.* 20. *v.* 17. 6. Spiritus S. missio *Joh.* 14. 16. *cap.* 15, 7. *Ps.* 68, 19. *Eph.* 4, 11. 7. carnalium cogitationum de suo regno depressio, & 8. Spiritualium cogitationum excitatio *Colos.* 3, 1, 2. Hi fines uti *localem* & *visibilem* Christi hominis præsentiam in terris non tolerant; ita *invisibilem* & *illocalem* præsentiam maximâ ex parte evincunt.

IX. Ratio ex scripturis desumpta hujus connexionis: *Quod â Christo ê terra in cælum est sublatum, illud plane nullo modo ne quidem illocaliter mansit præsens in terrâ*, nulla affertur ab Adversariis. Ratio humana qvod seducat, qvando opponit ea, qvæ Scriptura simul affirmat, freqventer fuit inculcatum.

Qv. XI. *Annon dextra Dei, ad qvam Christus evectus, notat majestatem & gloriam Dei infinitam?*

THESES.

I. PEr Dextram Dei, ad qvam Christus consedit, intelligi vel membrum Corporeum vel certum aliqvem locum, analogia Fidei non admittit, qvomodo Scriptura eam declaret, inqviremus.

II. Vocatur hæc dextra Dextra virtutis Dei *Luc.* 22. *v.* 69. *Matth.* 26. *v.* 64. dextra majestatis *Hebr.* 1. *v.* 3, dextra throni majestatis in cælis. *Hebr.* 8. *v.* 1. In Deo autem non nisi infinita virtus ac majestas.

III. Porro Dextra Dei describitur ut thronus gloriæ *Matth.* 19. *v.*

19. v. 28. thronus, qvi est â seculo in seculum *Hebr.* 1. v. 8. thronus Patris *Apocal.* 3. v. 21. gloria, qvæ erat, priusqvam mundus esset *Johan.* 17. v. 5. thronus æternus. 2 *Sam.* 7, 16.

IV. Effecta ab hac dextra producta, sunt omnium creatio *Esa* 48. v. 13. omnium mutatio *Ps.* 77. v. 11. miraculorum multitudo *Exod.* 15, 6. missio Spiritus S. *Actor.* 2. v. 33. distributio donorum cælestium *Ephes.* 4. v. 8 Salvatio *Ps.* 20, 7. *Ps.* 60, 7. *Ps.* 98, *Ps.* 138, 7. &c. qvæ omnia â finita virtute effici neqveunt.

V. Dextræ hujus Omnipræsentiam profitetur David *Ps.* 139, 9. & Paulus *Eph.* 1. v. 23. *cap.* 4. v. 10. & *Esa. c.* 48, 13

VI. Imperium hujus dextræ, æternum & universale *Dan.* 7. v. 14, 15. supra omnes creaturas *Ps.* 110. v. 2. 1 *Cor.* 15. v. 27. super omnem principatum & omne qvod nominari potest in hoc & futuro seculo *Ephes.* 1. v. 21. super Angelos potestates & virtutes. 1 *Pet.* 3. v. 22. Confer *Schrod. in chron. Reg. part.* 2. & *in Sceptr. Reg. pag.* 202. *Hutt. in L. C. p.* 195. *D. Feurborn. in σκιαγρ. p.* 16. *tom.* 1. *Giess. disp.* 4. *th.* 71. *seqq. Luth. tom.* 3. *Ihen. germ. fol.* 390. *seqq.*

ANTITHESIS

Ex ἀντιθέσει in seq. qvæstione promanat, cum Calviviniani & Jesuwitæ sessionem ad dextram *Dei* de finito regimine accipientes consequenter coguntur concedere, illam Dextram Dei, ad qvam Christus evectus, finitam notare majestatem.

HYPOTHESES.

I. Nos non negamus Dextram *Dei*, ad qvam Christus consedit, *esse in cælo*, uti legitur *Hebr.* 8 v. 1. *Colos.* 3. v. 1. &c. Hoc autem cælum esse certum ac *proprie dictum locum*, & *tantum* in cælo esse Dei dextram, probari non potest.

II. Vox *inde* in Symbolo Apostolico non respicit Dei *dextram*, qvasi ex *hâc* ceu certo loco Christus sit venturus, sed *cælum*, ê qvo ad judicium redibit, teste scripturâ *Actor.* 1. v. 12. *Philip.* 3. v. 20. 1 *Thessal.* 4. v. 16.

III. Differre Dei dextram & sessionem ad Dei dextram, ut majestatem, & majestatis plenariam Χρῆσιν, jam jam dabimus manifestum.

IV. Dextra *Patris*, *Filii* & Spiritus *S.* est una majestas, qvatenus *absolute* consideratur: Illa autem dextra, ad qvam Christus consedit, vocatur *Dextra Patris*, qvia Christus secundum divinam naturam est

Dextra Patris genita, adeoqve Dei Dextra hic relate accipitur, & sicuti non Patris sed Filii natura est in carnata, ita Caro Christi ad dextram est exaltata, qvæ est dextra Patris genita, non gignens vel procedens.

Qv. XII. *An non sessio ad dextram Dei notat plenariam & universalem* Χρῆσιν *divinæ infinitæ & æternæ majestatis?*

THESES.

I. B. Lutherus *tom.* 3. *Ien. in Explicat. super* Ps. 110. his respondet verbis: *Credendum est ac confitendum, Christum hominem sedere ad dextram Dei & habere potestatem super Angelos, nec esse in cælo vel terra quicquam, quod non sit infra ipsum.*

II. *Eadem est doctrina* nostratium Theologorum qvando asserunt, Christum hominem ita sedere ad dextram Dei, ut plenarie & universaliter exerat divinam æternamqve majestatem in regno 1. potentiæ 2. gratiæ & 3. gloriæ. Vide *Brent. tom.* 8. *Op. pag.* 1701. *D. Hunn. de Pers. Chr. tom.* 1. *Op. col.* 436. *seqq. Chemnit. l. de D. Nat. c.* 24. *Marbach.* von der Majest. *Chr. cap.* 24. *Schrod. in Thr. & Scept. Reg. Hutt. in L. th. p.* 195. &c.

III. Advertemus Testimonia S. Scripturæ, qvomodo tradant Sessionem ad Dextram Dei esse, plenariam majestatis divinæ Χρῆσιν.

IV. Qvædam dicta scripturæ, *regnum* cum *sede* & τὸ *regnare* cum *sessione* Christi ita copulant, ut *sessio* per *regimen* haud obscure explicetur. Confer Ps. 110. v 1. 2. 1 *Corinth.* 15. v. 24. *Luc.* 1. v. 32, 33. Tale autem regimen, qvale hic describitur, absqve plenaria Χρῆσει divinæ majestatis administrari neqvit.

V. Thronus qvo Christus sedere dicitur, non terrenus est, sed cælestis, qvia cælum suscepit *Actor.* 3. v. 21. nec semper sedet, sed etiam stat *Actor.* 7. v. 55. sedes ejus manet in seculum seculi Ps. 45. v. 7. *Hebr.* 1. v. 8. *cap.* 10. v. 12. est thronus Dei *Hebr.* 12. v. 2. *Apoc.* 7. v. 17. sedes majestatis Dei *Matth.* 19. v. 28. *Hebr.* 1. v. 3, 4. & thronus Patris *Apocal.* 3, 21. Cum his conferantur dicta, qvibus divina sessio, ut *regia sessio* depingitur 1 *Reg.* 22, 19. Ps. 47. v. 9. &c. *Quicunque ergo sedet divino modo in sede & throno di-*

divino, is regnat divino modo per plenariam Χρῆσιν *divinæ majestatis At de Christo verum prius. E. & posterius.*

VI. Christus sedens ad dextram Dei insignitur in hac sessione Dominus & Christus *Actor.* 2. v. 36. princeps & salvator *Actor.* 5. v. 30, 31. Princeps Regum *Apocal.* 1. v. 5. Rex Regum *Apoc.* 19. v. 16. Dominus mortuorum & viventium *Rom.* 14. v. 9. Qvi tituli Χρῆσιν majestatis divinæ solide evincunt, qvando Exaltato Christo tribuuntur.

VII. Corona, qvæ Christo imposita, qvando ad dextram Dei fuit evectus, vocatur Corona David *Ezech.* 21. v. 27. gloria & honor *Hebr.* 2. v. 7. Corona aurea *Apocal* 14. v. 14. Imo πολλὰ διαδήματα ipsi vendicantur *Apocal.* 19. v. 12. Coronæ autem signa sunt majestatem regiam usurpantis.

VIII. Διδικῶς *Regnum potentiæ* S. Scriptura sedenti Christo ad dextram Patris assignat, cum sedentem introducit, ut 1. Dominum totius universi *Ps.* 2. v. 8. *Ps.* 8. v. 7, 8, 9. 1 *Cor.* 15. v. 27. *Eph.* 1, 21. *Hebr.* 2, v. 8. 2. Dominum omnium hominum *Ps.* 72. v. 8, 9, 10. *Dan.* 7. v. 13, 14. *Rom.* 14. v. 9, 10. *Philipp.* 2. v. 10, 11. 3. Dominum super omnes principatus *Ephes.* 1. v. 21. *Colos.* 2. v. 10. 1 *Pet* 3. v. 22. 4. Dominum super omnes inimicos *Ps.* 2. v. 8, 9. *Apocal.* 19. v. 14, 15. *Ps.* 45. v. 5, 6. *Ps.* 72. v. 9. *Ps.* 110. v. 3, 4. *seqq. Actor.* 2. v. 32, 33. 1 *Corinth.* 15, 26. *Hebr.* 1, 2, 3. *cap.* 10. v. 12. 13.

IX. *Regnum gratiæ*, sedenti Christo ad Dei dextram scriptura vendicat, qvando docet 1. de gentibus ad Christum conversis *Ps.* 22. v. 28. *Ps.* 72. v. 11. *Esa* 60. v. 4. *Luc.* 24. v. 47. *Actor.* 5. v. 31. *cap.* 17. v. 30. *Eph.* 1, 22, 23. 2. de donis Spiritus S. ab exaltato Christo missis *Actor.* 2. v. 33. *Ephes.* 4. v. 8. 3. de missione ministrorum verbi *Ephes.* 4. v. 11. 4. de miraculorum productione *Marc.* 16. v. 19, 20. 5. de cohabitatione ap. fideles *Matth.* 28. v. *ult.* 6. de capite Ecclesiæ *Ephes.* 1, 22. *cap.* 5. v. 23. 7. de defensione Ecclesiæ *Ps.* 45. v. 5. *Ps.* 72. v. 4. 8. de cultu fidei 1 *Pet.* 2. v. 6. Baptismi *Rom.* 6. v. 3, 4. Sacrificii *Ps.* 110. v. 3. adorationis *Ps.* 45. v 12. *Dan.* 7. v. 13. 14. *Rom.* 14. v. 10. 11. *Philip.* 2. v. 10.

X. *Regnum gloriæ*, sedenti Christo ad dextram Dei adjudicatur â scriptura tradente 1. Christum sedere ad dextram Dei ἐν ἐπουρανίοις *Ephes.* 2. v. 6. & in cælis *Colos.* 3. v. 1. *Hebr.* 8, 1. 2. 1 *Pet.* 3. 22. 2. Christum occupasse regnum æternum 2 *Sam.* 7. v. 13, 14. *Dan.* 7, 14. *Luc.* 2, 33. 3. Christum sentire delectationes in dextrâ Dei *Ps.* 16. v. 11. *Act.* 2. v. 28.

4. Christum gloriam suam manifestare beatis *Johann.* 17. *v.* 24. 5. Christum esse administratorem veri tabernaculi *Hebr.* 8. *v.* 2. ita, ut regat & pascat Electos in throno Dei *Apocal.* 7. *v.* 16, 17. 6. Christum exaltatum esse supra omne nomen in futuro seculo *Ephes.* 1. *v.* 20. unde etiam genua cælestium ipsi flectantur *Philip.* 2. *v.* 10. 7. Christum in dextra virtutis sedentem qvosdam in regnum gloriæ, qvosdam in ignem æternum ablegaturum. *Matth.* 25. *v.* 34, 41.

ANTITHESES.

I. Calviniani, vel certum cæli locum per dextram Dei intelligunt, uti *Bullinger in Comment. super cap.* 11. 1 *Ep. ad Corinth.* vel sessionem Christi ad dextram Patris accipiunt, de dominio super omnes creaturas & ipsos Angelos, sed *finito*, qvod non â divina increata majestate, sed authoritate qvadam, qva Christus Patri inferior, promanat. uti Grundfest. *pag.* 40. *Zanch. lib.* 2. *de Incarnat. Keckerm. l.* 3. *syst. Theol. cap.* 5. *Antithron. contra Schrod. cap.* 7. *Polan. lib.* 6. *Syntag. cap.* 26.

II. *Masson. part.* 3 *Anatom. Univ. cap.* 1. & 2. postqvam ferventi Spiritu negavit, suos Asseclas docuisse, Dextram Dei esse certum locum, concedit *pag* 10. Dextram Dei respectu Creaturarum, h. e. Humanitatis Christi, Angelorum & beatarum Animarum notare cælestem locum & Sedem beatorum. De Sessione Christi ad Dextram Patris hæc laudat Enunciata Gvaltheri. 1. Der Ort da Christus zur Rechten GOttes nach seiner Menschlichen Natur/ sitzet/ ist der Himmel 2. Das Sitzen zur Rechten GOttes als status gloriosus ist vom Himmel selbst unterscheiden. 3. Das Sitzen zur Rechten GOttes ist Christi höchster und herrlichster Zustand und begreifft zweyerley in sich (1) Die höchste Ehre (2) Die vollkommene Verwaltung des Reichs Christi.

III. Jesuwitæ, per sessionem hanc intelligunt divinam majestatem divinæ Naturæ in Christo, & summam beatitudinem humanitatis, sed creatam & finitam, uti *Greg. de Val. tom.* 4. *disp.* 2. *q* 6. *p.* 2. *Busæ. adv. Gerlach pag.* 246.

IV. Photiniani locum qvendam honorarium dextra Dei notari, blaterant, uti *Enjed. in expl. Loc. V. ac N. T.* Vide *Smaltz. adverſ. Smiglec. cap.* 15. *pag.* 142.

HYPOTHESES.

I. Qvid sit sessio Christi ad dextram Patris, disci neqvit ex moribus

moribus aulicis, qvibus receptum est, ut superior & dignior dextram cingat latus alterius: Christus autem sedens ad dextram Patris, Patre suo non est factus dignior & sublimior, uti Paulus docet. 1 *Cor.* 15. *v.* 27. Alia ergo est sessio *Politica & localis*, de qvâ 2 *Reg.* 2. *v.* 19. alia *mystica & illocalis*, cujus definitio ex solis scripturis Sacris est addiscenda.

II. Nos qvidem conregnabimus cum Christo 2 *Tim.* 2. *v.* 11. sed κατὰ τι, non simpliciter: qvia 1. nos per Christum Reges facti *Apocal.* 1. *v.* 6. *cap.* 5. *v* 10. 2. nos semper erimus *membra*, Christus *v. caput*: Conregnabimus ergo in regno gloriæ majestate *finita*, non *infinita & increata*, qvæ Christo manet propria.

III. Sessio ad dextram Dei notat dominationem divinam non *absolute*, sed *relate* & determinate, qvatenus dominatio divina est per *generationem æternam & donationem temporalem* Christo data: Uti ergo non seqvitur; *Natura divina gignens & procedens non est incarnata* E. *Natura Filii Incarnata est realiter diversa â Natura Patris & Spiritus S.* ita non licet ita inferre: *dominatio divina Patris & Spiritus S. non intelligitur per sessionem ad dextram Dei*; cum Pater & Spiritus S. non sedeant ad dextram Dei. E. *ea dominatio, quæ per hanc sessionem intelligitur est realiter diversa â dominatione Patris & Spiritus* S. Prætereа Sessio ad dextram Dei, notat usurpationem dominii divini, sed in *natura assumpta & Carne*, adeoqve dominium *Dei Incarnati* non confundendum cum dominio *Dei* ἀσάρκου.

IV. Licet Christus ante incarnationem divinum exercuit regimen, non tamen ante incarnationem sedit ad dextram Dei: qvia sessio hæc 1. non ἀσάρκῳ, sed ἐνσάρκῳ Filio Dei tribuitur, 2. non notat simpliciter dominium, sed insimul ejus *dominii temporalem donationem.*

V. Si qvis dubitare velit, num Patris & Filii sedentis ad dextram Patris, sit eadem & æqvalis majestas, expendat 1. Dicta in thesibus collecta, qvibus qvod potestas & gloria inferior, atqve est Patris potestas intelligatur, nunqvam evincetur. 2. operationes, qvas Christus sedens ad dextram Dei exercet, qvæ & Patri & Spiritui S. tribuuntur: Confer 1 *Cor.* 15. *v.* 25. cum *Ps.* 110. *v.* 1. *Marc.* 16. *v.* 20. cum *Joban.* 14, 10, 11. 1 *Cor.* 12. *v.* 9, 10. *Actor.* 2. *v.* 33. cum *Joh.* 14, 16, *&c.* Adjunge *Schrod. in scept. Reg. pag.* 214. 215.

VI. Qvicunqve æqvali majestate cum Patre regnat in *natura divina*, est Patri ὁμοούσιος. Christus autem sedens ad dextram Dei æqvali majestate cum Patre regnat, sed in *natura humana*. Et *ex gratia Exaltationis*, uti Apostolus docet *Philip.* 2. *v.* 9. E. 4. termini sunt in Syllogismo Calvinistico.

VII. Sessio ad dextram *Dei* ita describitur, ut non solum notet, majestatem vere divinam carni esse unitam; sed etiam ostendit majestatis divinæ in carne plenariam χρῆσιν.

VIII. Ad locum *Apocal.* 3. *v.* 21. nota 1. Scripturam nullibi thronum Sanctorum ita describere, uti describit thronum Christi qvo sedet ad dextram Dei; Diversitatem ergo aliqvam hic agnoscere oportet 2. Christum ipsum distinguere *thronum Sanctorum à throno suo*, cum suum thronum vocat Patris thronum & *Matth.* 19. *v.* 28. *Luc.* 22. *v.* 28. *seqq.* sedem suæ majestatis non fore simpliciter eam, qvâ sedebunt Sancti, ad oculum monstrat. 3. Uti gloria Christi *finita* & *infinita*, ita & thronus alius *hujus*, alius *illius gloriæ*. *Finitam* gloriam qvando cum Electis qvoad rem, servato tamen graduum discrimine, habet communem *Rom.* 8. *v.* 17. *Philip.* 3. *v.* 21. hujus etiam gloriæ thronum eisdem denegare non possumus: Patet hoc discrimen ex distinctione *throni Patris* & *throni Sanctorum*: *Ille* æternus; *Hi* dicuntur positi *Dan.* 7. *v.* 9. & parati *Matth.* 25. *v.* 34. *Ille* unicus; *hi* sunt plures *Matth.* 19. *v.* 28. *Apocal.* 4. *v.* 4. In *illius* medio & agnus occisus *Apocal.* 5. *v.* 6. *Hi* v. sunt ante thronum Agni & Dei *Apocal.* 5. *v.* 8. *cap.* 7. 16. *Ille* dicitur Dei & agni thronus *Apoc.* 3. 21. *cap.* 22. *v.* 1. *Hi* throno, qvo Deus sedet, non inseruntur, ita, ut appareat; Dei, & sanctorum non esse unum thronum.

IX. Potestatem Mediatoris esse divinæ potestati *proximam*, *subordinatam* & Patris potestate *inferiorem*, dici facile potest, probari autem nunqvam.

X. Deus est caput Christi 1 *Corinth.* 11. *v.* 3. superior Christo 1 *Cor.* 15. *v.* 28. major Christo *Joh.* 14. *v.* 29. secundum humanitatem Christi in e consideratam & exinanitam non secundum majestatem & gloriam, huic humanitati in tempore datam.

XI. Tradet Christus regnum Patri 1 *Cor.* 15. 24. non per abdicationem divinæ majestatis; sed per mutationem Ecclesiastici regiminis, qvod non erit amplius militantium, sed triumphantium, ut explicatur ab ipso Apostolo inferius *v.* 27. & *Apocalyps.* 7. *v.* 17.

XII.

XII. Exaltatio Christi ad dextram Patris est qvidem opus totius SS. Trinitatis, cum Patri tribuatur *Ps.* 110. 1, 2. & Filio 1 *Cor.* 15. *v.* 25. Confer & *Eph.* 1. *v.* 22. & *Philip* 3. *v.* 21. Patri autem hæc exaltatio uti etiam resuscitatio â mortuis freqventer tribuitur 1. ut danti per æternam generationem, majestatem, ad qvam Caro Christi fuit evecta 2. mittenti Christum 3. ut illi, cui, Filius passione & morte Exaltationem antegressa obedivit *Phil.* 2. *v.* 8. *Heb.* 10. *v.* 7.

Qv. XIII. *Num Exaltatio Christi ad dextram Dei recte definitur per manifestationem gloriæ & majestatis divinæ cujus plenaria* χρῆσις *in Exinanitione occultata fuit?*

THESES

I. QVamvis in Exaltatione Christi ad dextram Dei gloria divina sit manifestata; tamen neqve per gloriæ hujus, neqve per ejusdem occultæ χρήσεως patefactionem dicta exaltatio sufficienter definiri potest.

II. Nullibi legitur, qvod sessio Christi ad dextram Dei sit nuda & sola φανερώσεως s. manifestatio. Describitur autem exaltatio Christi ad dextram Patris ceu donatio *Philip.* 2. *v.* 9. *Ps.* 2. *v.* 7, 8, 9. *Dan.* 7. *v.* 14. *Hebr.* 1. *v.* 3, 4. ceu subjectio, qvâ Christo alia sunt subjecta *Ps.* 8. *v.* 7. 1 *Cor.* 15, 27. *Ephes.* 1. *v.* 22. *Hebr.* 2. *v.* 8. ita, ut sit factus Christus Dominus *Actor.* 2. *v.* 36. His qvi in simplicitate Christiana adhæret, non potest non credere, Exaltationem sæpius dictam esse *Traditionem & donationem*, qvâ Christus accepit, qvod ante non obtinuit: Tale autem non est *divinæ Naturæ gloriæ*, qvam semper habuit, nec *majestas carni communicata*, cujus κτῆσις ante hanc exaltationem adfuit. Et cum aliud intelligi in citatis dictis neqveat, intelligenda *universalis, incessans & plenaria* χρῆσις *majestatis divinæ carni communicatæ*, qvæ in Exinanitione fuit retracta.

III. Tempus Manifestationis, Exaltationi in sacris literis postponitur: Prius enim Christus dicitur exaltatus ad dextram Dei, postdemum per effusionem Spiritus S. ejus gloria manifestata, ut visa & audita *Act.* 2. *v.* 33. nec non cognoscenda â tota domo Israel. *v.* 36. Hæc facta est uno actu *Phil.* 2, 9. *Eph.* 1. *v.* 20. *illa* fit multis *Heb.* 10. *v.* 12. manifestata enim Christi gloria Incarnatione 1 *Tim.* 3, 16. miraculis

raculis *Joh.* 2. v. 11. Evangelio *Coloss.* 4. v. 4. glorificatione in monte 2 *Pet.* 1, 17. Resurrectione *Rom.* 1. v. 4. &c. *Hæc* facta in die adscensionis: *Illa* decem diebus post in festo Pentecostes. *Hæc* facta ap. Patrem in cælis *Johann.* 17. v. 5. *Illa* apud homines in terris v. 4, 6. *Hæc* concernit Christi βελτίωσιν *Hebr.* 1. v. 5. *Illa* nostram οἰκοδομὴν *Actor.* 7 v. 56. *Hæc* est opus Dei consummatum: *Illa* nondum est consummata & perfecta *Hebr* 1. v. 8. *Rom.* 14. it. 1 *Corinth.* 13. v. 13. *Actor.* 5. v. 55, 57, 59.

IV. βελτιώσεα, qvæ Christo in Exaltatione contigit, saturata est ipsius Anima *Esa* 53. v. 11. glorificatus Christus *Johan.* 17. v. 4 melior factus *Heb.* 1. v. 4. coronatus *Ps.* 8. v. 7. locupletatus *Apoc.* 5. v. 12. Sola autem manifestatio hæc omnia adferre non potest. Confer *D. Schrod. in Thron. Reg. part.* 3. *cap.* 13. & *in Scept. Reg. lib.* 2. *cap.* 11. *D. Feurborn. in* ἐνιαγραφὴ *dissertat.* 9. *tom.* 7. *Disp. Giess.* 24. *th.* 97.

ANTITHESES.

I. Divinam Naturam Christi eatenus esse exaltatam, qvatenus majestas ejus manifestata est, postqvam sub misera & infirma carne delituit, qvidam ex Calvinianis non dubitant asserere, ut *Polan. l.* 6. *Syntagm. cap.* 16. *Antithronus Dn. Sebrodero oppositus cap.* 13.

II. *D. Thummius in* τὰ ἀντιπαπιστικὰ *theor.* 2. *pag.* 251. concedit, illius Majestatis divinæ, qvæ *reflexe* ad *intra* in Carne Christi exinanitâ fuit retracta, plenariam Χρῆσιν in Exaltatione esse datam: Qvatenus autem Majestas divina consideratur ad *extra* in officio Regio, qvod concernit omnes Creaturas, hujus Χρῆσιν in statu Exinanitionis non retractam; sed Occultatam fuisse sub formâ servili, adeoqvè manifestatam formæ servilis depositione, asserit. Secundum hanc doctrinam Majestati divinæ Carni Christi communicatæ Χρῆσις *occulta* in officio Regio & in respectu ad alias Creaturas spectat ad statum exinanitionis, *manifesta* a. & formæ servilis velamine liberata ad statum Exaltationis.

HYPOTHESES.

I. Divinam Christi Naturam proprie non esse exaltatam eâ Exaltatione, de qva est disputatio, qvæst. succedentis elucidabit Ventilatio.

II. Qvæ nostra sententia de occulta Χρῆσει, qvâ majestas divina

in

in officio Regio & operibus Redemptionem nostram non impedientibus, plene est usurpata, professi sumus *cap. 3. hujus Controv. q. 3.* ubi insimul Hypotheses partis adversæ sub incudem S. Scripturæ revocavimus.

Qv. XIV. *Estne Christus exaltatus ad Dextram Patris secundum utramqve Naturam?*

THESES.

I. SEcundum *Humanitatem* Christum ut exinanitum, ita & exaltatum, nostri Confessi sunt Theologi: Deitatem autem nec *Exinanitam* nec exaltatam, docuerunt, unde etiam in specie de Sessione ad *Dextram* Patris affirmarunt, illam attribui Christo non secundum *Deitatem* sed *secundum Humanitatem. Luth. in Postil. Eccl. par. 1. super Evang. de Nativ. Chr. pag. 83. 86. Brent. tom. 8. Op. pag. 1068. D. Hunn. tom. 1. Op. col. 197. D. Mentz. in Anti-Sad. pag. 449. Schroder. in Thron. Reg. parte 4. cap. 3. & 5, in Scept. Reg. lib. 2. cap. 6. 7. seqq.*

II. Discipulos hos Experimur genuinos *Christi. Prophetarum & Apostolorum.* Christus diserte docet ad Dei Dextram se sedere ut Filium Hominis Matth. XXVI. 64. Marc. XIV. 62. Luc. XXII. 69.

III. *Prophetæ* erudiunt nos de Sedente ad Dextram Patris, qvi *Semen Davidis, Filius Davidis* 2 Sam VII. 13. 14. Act. 2. 32. *Homo paulo minus ab Angelis minoratus* Ps. VIII. 7. 8. Hebr. 2. 5. 6. & qvi *post resurrectionem exaltatus* Ps. CX. Act. III. 34.

IV. Apostoli concionantur de Principe & Salvatore *exaltato DEi Dextrâ* Actor. V. 29. 30. de *resuscitato â mortuis*, qvi ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ. Ephes. I. 20. de *exaltato, qui obediens fuit usque ad mortem Crucis* Philipp. II. 8. 9. de *Sedente* ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου τοῦ Θεοῦ postqvam ὑπέμεινε σταυρὸν αἰσχύνης καταφρονήσας Hebr. XII. 2. de *existente* ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ, postqvam *profectus in cælum* 1 Pet. III. 22.

V. Exaltatio improprie dicta & officii Traditio cur in his dictis admitti neqveat, docuimus suprâ q. I.

ANTITHESES.

I. Qvidam ex Calvinianis docent; Christum secundum utramqve Naturam sedere ad Dextram Dei: *Secundum* divinam qvidem, qvatenus pari majestate cum *Patre* regnat; Secundum humanam

autem, qvatenus excellentissimâ fruitur beatitudine, omnibus Creaturis finita potestate dominatur & manifeste suo officio perfungitur. Sadeel de Ver. Hum. Nat. p. 203. Martin. in Defens. Sadeel. pag. 153. Antithron. cap. 10. pag. 118.

II. Polanus l. 6. Syntagm. cap. 26. hanc profitetur sententiam: Sessio Christi ad Dextram Patris est totius Personæ secundum utramqve Naturam; Secundum divinam qvidem non καθ' ἑαυτὴν & in se consideratam, sed κατ' Οἰκονομίαν consideratam, nam ut descendens de Cælo se exinanire dignatus est, Servi forma assumpta; ita post ascensionem in cælum exaltatus est ad Regnum illud Mediatorium & Oeconomicum, qvod nomine Patris, qvi Caput ejus est, exercet: Secundum Humanam Naturam v. etiam secundum se consideratam Honorem istum ac potestatem accepit. Consentit Grundfest pag. 39. Crocius in Defens. Orth. Confess. pag. 145. &c.

III. Busæus in Apologet. cont. Gerlach. cap. 10. pag. 252. scribit: Totam Scholam Catholico Romanam hactenus docuisse: Humanitatem Christi non ratione sui, sed ratione Personæ suæ parem & æqvalem divinitati Honorem impertiri. Hanc doctrinam paulo post ita explicat: Ego dico, Christum hominem vere sedere ad Dextram Patris, & gloria æqvalem esse Patri ac Spiritui S. qvi tamen ut Homo nec sedet ad Dextram Patris nec ut homo æqvalis est Patri & Spiritui S. Sedet enim ad Dextram Patris ratione Personæ divinæ.

HYPOTHESES.

I. Qvemadmodum *Dextra Dei* nullibi in sacris literis notat Finitam & creatam potestatem, ita ex sacris literis nunqvam evincent Adversarii, Sedere ad Dextram Dei, qvi finita & creata potestate dominatur. Confer theses in q. 12. & 13.

II. Nullum Dictum Scripturæ docet, Christum ideo sedisse ad Dextram Dei, ut secundum divinam Naturam sit Mediator & Patris Vicarius in officio Oeconomico: Imo repugnat hoc eloqvium Scripturæ dictis, qvæ Christum *Deum* Patri, tradunt, ὁμοούσιον & æqvalem, ut nemo secundum Deitatem Christum possit vocare Patris Vicarium, nisi qvis ad Socinianorum castra velit transfugere.

III. Ex

III. Exaltatio illa, qva de hoc loco sermo est, Formam Servi & Exinanitionem tollit : Exaltatio autem κατ' οἰκονομίαν, qva Christus exaltatur ad Officium Mediatorium & Oeconomicum non tollit Exinanitionem illam cui â Calvinianis & cumprimis Polano opponitur : Siqvidem Exinanitio κατ' οἰκονομίαν qvæ dicitur Humiliatio ἐνσαρκώσεως & opponitur Exaltationi κατ' οἰκονομίαν, manet in hunc usqve diem, qvamdiu Filius Dei manet incarnatus.

IV. Confundenda non sunt Christi officia, cum iis, qvæ ipsi tribuuntur propter Officia. Officia tribuuntur ei secundum utramqve Naturam, sed non omnia qvæ tribuuntur propter officium conveniunt ipsi secundum utramqve Naturam ; Sic propter officium suum Christus conceptus, natus, passus, mortuus, sepultus &c. non autem secundum utramqve naturam conceptus, natus &c. sed secundum Humanitatem : ita etiam propter officium consedit ad Dextram patris, sed non secundum utramqve Naturam.

V. Sessio ad *Dextram* Dei non æqvalem Essentiam cum Deo significat, sed gubernationem divinam ex gratiâ in tempore datam, ostendit, ob qvam Humanitas Christi non adæqvatur ejus Divinitati: Hæc enim ut ipsa *Dei* Dextra æqvali essentia & majestate semper regnavit cum Patre & Spiritu S. illa autem in tempore regnare cæpit, non æqvali Essentia, sed eadem majestate cum *Patre* & Filio, qvia in unitatem divinæ personæ assumpta & ad Dextram Patris evecta est.

VI. Pontificii Sessionem ad *Dextram Dei* concipiunt, ut Regimen simpliciter divinum, adeoqve illam de Christo prædicari, autumant, ut æternitas, Creatio, existentia ante mundum &c. Verum Conceptui papali non congruit Verbum â Spiritu S. revelatum, qvo Sessio ad Dextram Patris revelatur ut Regimen divinum ex gratiâ in Tempore post mortem & Resurrectionem Christo Homini donatum. Philipp. II. 8. 9. &c.

VII. Nugatur, non argumentatur, qvi ita infert : Si Christus Homo exaltatus supra omne Nomen, etiam supra Nomen ipsius *Dei* erit exaltatus. Nam Apostolus non loqvitur Indefinite de omni Nomine, sed de omni Nomine Creaturarum, qvæ in nomine Jesu possunt genua flectere. Tale nomen esse Jehovæ nomen non inficiamur, sed & hoc Nomen Christo *Homini* eatenus datum,

largimur, qvatenus ob Unionis gratiam & Communicationem realem Naturarum est Jehova secundum Humanam Naturam.

VIII. Angelis melior est humana Christi natura non actu *naturæ*, κατ' οὐσίαν, sed actu *Personæ*, propter concessam majestatem ac gloriam infinitam, & Sicuti oculus videns simul probat præsentiam Animæ in oculo, & ferrum ignitum præsentiam Ignis: Ita Caro Christi divina majestate fulgens in dextrâ *Dei*, probat divinæ naturæ præsentiam ap. *Carnem*. Cum æqve minus Caro ad dextram *Dei* potuisset evehi absqve sibi unita vera Deitate, atqve oculus sine anima videre & ferrum sine Igne ignitum esse potest. Idcirco sessio Christi ad dextram *Dei* Arrianis & Neo Photinianis rectissime objicitur.

IX. Non est absqve limitatione concedenda hæc propositio: *Secundum quam naturam Christus regnat, secundum eam sedet ad dextram Dei*: Ita ergo limitetur: secundum qvam naturam 1. *exinanitam* 2. *exaltatam* & 3. *ex gratiâ imperio donatam*, Christus regnat, secundum eam sedet ad dextram *Dei*: Non enim hæc sessio describitur, ut nuda dominatio, in sacris, sed ut dominatio Christi exinaniti, exaltati & gratiâ imperio donati *Ephes.* 1. v. 20. *Philip.* 2. v. 9. *Hebr.* 12. v. 2. *&c.* Jam si subsumas de utraqve Natura, falsam offendis assumptionem, cum secundum utramqve naturam Christus non sit *exinanitus*, *exaltatus* & ex *gratia imperio donatus*. Falsa itaqve hæc conclusio: *Christus secundum utramque naturam sedet ad dextram Dei.*

X. Qvamvis *officium Regium* Christo competat secundum utramqve. Etsi etiam *majestas*, qvâ utitur in hoc officio competat ei secundum utramqve naturam, tamen *principium hujus majestatis* non est idem in utraqve Natura: *Divinitas* enim *ex se* per *æternam generationem* obtinuit dictam majestatem: Humanitas ex *gratiâ* 1. *unionis*, qvoad κτῆσιν. 2. *Exaltationis ad dextram Dei*, qvoad plenariam & universalem Χρῆσιν. Cavendum igitur, ne *officium* & *majestas Christi* cum *exaltatione ad dextram Dei* confundatur: Siqvidem *hæc viam* modum & principium denotat, qvo divina majestas, qva Christus in officio utitur, ad humanitatem in plenariâ Χρῆσει pervenerit & Erronea hæc seqvela: *Secundum utramque naturam competit Christo officium regium ejusque majestas.* E. secundum utramqve naturam sedet ad dextram *Dei*. Aliud est *res*, aliud *modus*, qvo ista res acqviritur vel obtinetur,

XI.

XI. *Celebratio majestatis divinæ* plurimum differt ab eâ *Exaltatione*, de qva hic disceptatur. *Hæc* est Exaltatio ἐνεργεσίας; *illa* εὐλογίας: *Hæc* est beneficium Patris; *ista* officium hominis *Ps.* 99. *f.* 9. *Hæc* manifestationem antecedit; *illa* eandem sequitur *Rom.* 10. *v.* 14. *Hæc* ab Apostolo *Philip* 2. *v.* 9. *illa* ab eodem d. l. *v.* 11. proponitur. *Hæc* perficit exaltatum, non exaltantem, *illa* v. laudantem non laudatum, h. e. exaltantem non exaltatum.

XII. Sessio ad dextram Dei non potest dici Idioma *Dei*; qvia cum ipsa essentia divina non convertitur reciproce. Proprie loqvendo, *dextra Dei* est divinum ἰδίωμα: *sessio autem ad dextram divinum* ἐνέργημα, *collocatio s. exaltatio ad dextram* divinum Χάρισμα, qvod obtigit humanitati.

XIII. Sessio ad dextram *Dei* non est ἀποτέλεσμα, qvia non simpliciter notat *dominationem*, vel *regni administrationem*, sed insimul includit *collocationem* & *exaltationem* ad hanc dominationem: Uti ergo resuscitatio mortuorum est ἀποτέλεσμα, non autem Omnipotentia, â qvâ prodit hæc resuscitatio: ita dominatio; Regimen, gubernatio sunt ἀποτελέσματα, non autem *collocatio ad dextram Dei*, cujus beneficio humana natura ad hæc ἀποτελέσματα concurrit.

XIV. Multa Adversariorum argumenta laborant Ignoratione Elenchi, dum probant, Filium *Dei* sedere ad dextram Patris, qvod nemo negat: Multa autem tribuuntur Filio *Dei* incarnato, qvæ secundum divinam vel utramqve naturam ipsi non conveniunt.

XV. *Duplex sessio* ad dextram *Dei* est figmentum humanum: Nam 1. nun qvam demonstrabitur dominium in omnes creaturas, regimen Ecclesiæ, & aliud Christi officium, qvod sola finita virtute expediri potuit. Unum dominium universale supra omnes creaturas norunt sacræ literæ, qvod divinum: aliud qvod â potentia divinæ proxima fluat prorsus ignorant. 2. scriptura nullibi docet, duplicem esse Christi sessionem ad dextram Patris. 3. Non nisi una dextra Deo tribuitur, unde ergo duplex sessio. 4. Non duplex Christi Exinanitio, sed una. E. etiam una saltem erit exaltatio.

Qv. XV. *Num approbanda illorum phrasis, qvæ dicitur, Christum cæpisse sedere ad Dextram Dei â primo momento Unionis personalis?*

THESES.

CHristus *phrasi biblica* non cæpit sedere ad dextram Dei in V. T. ante Incarnationem, qvia 1. secundum humanitatem sedet ad dextram Dei, uti jam jam demonstravimus. 2. Prophetæ *V.* T. hanc sessionem ceu futuram prædixerunt 1 *Pet.*1.ᵛ.11. *Actor.*2. *v.* 30. 31. 3. Christus non *ante* sed *post* resurrectionem â mortuis cæpit sedere ad dextram Patris. *Psal.*8.v.6. *Psal.*110.*v.*1. *Esa.*11. *Act.*2.36. *Philip.*2.*v.*8. 9. *Hebr.*2.*v.*9. 1 *Pet.*1.*v.*1. *& c.*4. non *ante* sed *post* ascensionem in cælum cæpit sedere ad dextram Dei *Marc.*16. 19. 1. *Pet.*3.*v.*22. *Heb.*8.*v.*1.

II. Non statim sunt condemnandi, qvi *phrasi Ecclesiastica* dicunt; Christum incepisse sedere ad dextram Dei *vel* in V. T. uti *Patres* qvidam, *vel* in *Incarnatione*, uti *Brentius* & alii *Theologi Wyrtemb. vel* etiam continuo post resurrectionem, uti *Dn. D. Philip. Nicol. lib.*2. *de Omnipræs. cap.* 11. Sana enim harum phrasium potest dari explicatio, ita ut *ista* simpliciter de *divina gubernatione*; *illa* de divinæ Personæ & majestatis *communicatione*, *hæc* de *gloriæ occupatione* accipiatur.

VII. Qvodcunqve tempus sessioni ad dextram Dei constituatur, semper cogitetur: illam sessionem, qvam scriptura ὑπῳθῶς describit, submitti, *passioni morti, resuscitationi & ascensioni in cælum*: Hæc ergo distincta maneat ab illa sessione, qvæ aliis temporibus dicitur inchoata.

IV. Qvi Christum *â primo Unionis momento*, dicunt sedisse ad dextram *Dei*, qvatenus in humanitate divinam majestatem non solum possedit, sed etiam universaliter & plenarie, licet occulte in officio Regio usurparit, seqvelis potius qvam scripturæ dictis nituntur; qvibus assensum non denegabimus, si ex sacris literis nos convicerint: Christum in humanitate communicatam majestatem plenarie & universaliter â primo unionis puncto ita exerere voluisse, uti potuit.

ANTITHESIS.

Si qvis audeat asserere, Christum eo modo consedisse ad Dextram Patris, ut nullo modo sedere cæperit post mortem, resurrectionem & adscensionem in cælum, ille ob dogma ἀντίγραφον merito damnatur.

CON-

CONTROVERSIA III.
DE CHRISTI DISTINCTIS OFFICIIS.

GEntium Apostolus 1 *Timoth.* 1. v. 15. commendat λόγον πιστὸν καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιον, ὅτι Χριστὸς Ἰησοῦς ἦλθεν εἰς τὸν κόσμον ἁμαρτωλοὺς σῶσαι. Finem scilicet Incarnationis Filii Dei ceu officium Christi manifestati mentibus fidelium expendendum objicit, ne in Contemplatione Personæ istius, qvæ θεάνθρωπος est, subsistant, sed ad *scopum* & *finem* devota sedulitate sese convertant, qvem Deus mittens Filium suum in Carnem intendit. Uti autem tam Personæ qvam officii γνῶσις verbo divino commensurata, ad salutem æternam nos provehit, ita Sathanas variis hæreticis opinionibus, & Personam & Officium Salvatoris involvit, ut γνῶσιν τῆς πίστεως corrumperet. Proinde non minori studio Controversiæ de Christi officio, (qvod in eo est occupatum, juxtâ Apostolum, ut nos peccatores salvi fiamus) dignæ sunt, atqve illæ, qvæ suprâ de Naturis unitis & statibus assumptæ Carnis sunt ventilatæ atqve discussæ. Qvæ cum ita sint ordine nos monente, de hinc disqviremus I. *de Officiorum Christi numero & subjecto.* II. de *Officio Prophetico.* III. de *Christi Sacerdotio.* IV. de *Officio Christi Regio & Regno Spirituali atqve æterno.*

CAP. I.
DE OFFICIORUM CHRISTI NUMERO ET SUBJECTO.

GRegorius *de Valent. tom. 4. disp. 1. q. 12.* in rubrica, decem officia Christi ex scriptura fere colligi ac numerari posse, scriptum reliqvit. Verum longe plura posse numerari, si tot essent constituenda officia, qvot officii Nomina in scripturis leguntur, *D. Chemnitii* Catalogus, *parte 1. L. Theol. pag. 75.* edocet, qvo bene multa recensentur nomina & vocabula, qvibus officium incarnati λόγου describitur? Missam nos facimus Jesuvviticam distinctionem, qvæ vel κατ' ἐνόματα, vel κατὰ πράγματα Christi Officia dispescit. Si

κατ,

κατ' ὀνόματα ; imperfecta est distinctio, cum plura sint officii nomina, qvam decem. Si κατὰ πράγματα membra distinctionis coeunt, cum officia *Legislatoris*, *Doctoris* & *Prophetæ*, item officia Mediatoris, *Redemptoris* & *Medici*, nec non officia *Regis* & *Judicis*, (qvæ omnia Valentianus distinguit) in Christo realiter non differant, qvod ipse Valentianus diffiteri neqvit, cum scribit d. l. *Christum aliqua officia exercuisse operationibus non re sed ratione tantum diversis.* Nostris in Ecclesiis usitata est distinctio, qvâ *triplex* Christi *officium* exhibetur, *Propheticum*, *Sacerdotale* & *Regium*, cujus Distinctionis fundamenta sunt in Titulis, qvibus Christus *Propheta* Rex & sacerdos salutatur; His comprehendi omnes reliqvos titulos, qvibus Christi officium notatur, ex speciali cujuslibet officii Examine eluceſcet. Insuper Dicto Prophetico *Esa.* 33. *v.* 22. vox שׁפט *Sacerdotale* officium, cui judicium, erat commissum, in V. T. *Deuteron.* 17. *v.* 9. vox מחקק *Propheticum* vox מלך *Regium* designat; Sic Nomen משיח & Χριστὸς, tria præscripta officia nobis offert: Ungebantur enim in V. T. Prophetæ 1 *Reg.* 19. *v.* 16. Sacerdotes *Exod.* 29. *v.* 29. *Levit.* 4. *v.* 3. *cap.* 6. *v.* 13. & Reges 1. *Sam.* 10. *v.* 2. *cap.* 16. *v.* 13. *cap.* 24. *v.* 6. 2. *Sam.* 3. *v. ult.* 1. *Reg.* 19. *v.* 6. Qvot igitur officia generali Nomine officii exprimuntur, tot sunt recensenda. At tria officia generali nomine officii in Christo exprimuntur. E. ANTITHESIS Jesuitarum nullis suffulta est argumentis. Alii qvi vel duo Christi officia recensent, vel unum sc. Mediatoris, qvod in propheticum, Sacerdotale & Regium subdividunt, in reipsa â nobis non dissentiunt, qvantumvis in phrasibus & distributionis ordine varient: De numero ergo officiorum Christi nulla movetur amplius controversia, accedemus igitur ad ea qvæ liti subjecta.

Qv. I. *Annon Officia Christo tribuenda, secundum utramqve Naturam?*

THESES.

I. *Form. Concord. in Declarat. pag.* 773. emphaticam hanc edit confessionem: *Christus est noster Mediator, Redemptor, Rex, summus Pontifex, Caput Pastor &c. non secundum unam tantum naturam, sive divinam, sive humanam: sed secundum utramqve Naturam.*

II. Pro-

II. Propugnatur hæc *Doctrina à Lutheris in Cap 14. Joh. tom. 7. Ihen. germ. fol. 92. D. Hunn. tom 1. op. Col. 160. D. Hutt. Comm. in form. Concl. pag. 275. Gerh. tom. 1. de Pers. & Off. Christi §. 171. & in Exeg. L. IV. pag. 325.*

III. E Sacris literis eruitur præsens Dogma, si conjungantur ἀποτελέσματα, qvibus officia Christi describuntur in Bibliis. Hæc enim penitius introspecta humanitatis & divinitatis ἐνεργείας in sese copulatas ostendent.

IV. Ἀποτελέσματα describuntur in Christi officio *Propheticoꝛ* qvando asseritur, qvod unigenitus Dei Filius *in sinu Patris existens enarrare verit qvis sit Deus.* Johan. 1. v. 18. qvod *Christus testetur de iis, qvæ vidit & audivit.* Johan. 3. v. 32. qvod *docuerit* ὡς ἐξουσίαν ἔχων Matth. 7. v. 29. qvod ita *loqvutus sit, ut nunqvam loqvutus alius homo* Johann. 7. v. 46. qvod *habuerit verba vitæ æternæ* Johann. 6. v. 68. qvod *Deus ultimis hisce diebus per Filium hæredem universorum, per qvem & sæcula fecit, loqvutus sit nobis* Hebr. 1. v. 2.

V. In his omnibus deprehendes 1. ἀνθρώπινα, ut enarrationem, testimonium, doctrinam, verba, loqvelam 2. Θεῖκα ut sinum Patris videre, & audire cælestia oracula, ἐξουσίαν ἔχειν, Eloqventia sua excellere omnes homines, habere vitam æternam, & esse hæredem omnium; Hæc separatim sumpta non pertinent ad Christi officia cum & *illa* nudus homo, hæc nudus Deus expedire possit: Copulata autem constituunt ἀποτελέσματα superius annotata, qvæ aperte evincunt, Christum ut *Prophetam* agere secundum divinam & humanam Naturam.

VI. Ἀποτελέσματα *Sacerdotalia sunt: sanare livore* Esa 53. v. 9. *emittere sanguine vinctos* Zach. 9. v. 11. *dare animam redemptionem pro multis* Matth. 20. v. 28. *effundere sanguinem in remissionem peccatorum* Matth. 26. v. 28. *ponere animam pro ovibus* Johan. 10. 15. *sanguine redimere Ecclesiam* Actor. 20. v. 28. *esse propitiatorium in sanguine* Rom. 3. v. 25. *reconciliare homines Deo per mortem* Rom. 5. v. 10. Colos. 1. v. 22. *sanguine emundare à peccatis* 1. Johann. 1. v. 7. *proprio sanguine æternam invenire Redemptionem* Hebr. 9. v. 12. *emundare sanguine Conscientias ab operibus mortuis* v. 14.

VII. Hæc & similia iterum copulant ἐνεργήματα divina cum

humanis, & de Θεανθρώπῳ enunciant, qvæ nec secundum solam divinam, nec secundum solam humanam naturam Christo competere possunt.

VIII, Ἀποτελέσματα Regia prædicantur de Christo, cum affirmatur qvod *pedibus suis omnia habeat subjecta* Ps.8.v.7. qvod *fortium dividat spolia pro eo, qvia tradidit in mortem animam suam* Esa.53. v.15. qvod *sit Christus & Dominus factus* Actor.2.v.36. qvi *morte destruxit Diabolum* Hebr.2.v.14. & ex *gratia accepit nomen supra omne nomen* Phil.2.v.9. unde *collocatus ad Dei dextram super omnia* Ephes. 1.v.21. & *factus author salutis per passiones consummatus Hebr.* 2.v.10.

IX. Concurrunt in his phrasibus iterum divinæ & humanæ operationes, uti enim *Divinitas* potest omnibus dominari, fortium dividere spolia, esse Dominus, destruere Diabolum, habere nomen super omne nomen, &c. ita *humanitas* potest habere pedes, tradi in mortem, fieri in tempore Dominus, ex gratia accipere nomen super omne nomen &c. Proinde Regia ἀποτελέσματα non secundum solam humanitatem, sed etiam secundum Divinam Naturam Christo tribuenda.

X. Qvamvis Spiritus S. in describendis Christi officiis non hujusmodi semper proponat ἀποτελέσματα, qvibus ad oculum copulatio divinarum & humanarum ἐνεργειῶν ostendi potest: tamen ex collatione aliorum locorum dicta copulatio facile eruitur. E. g. *Genes.3.* de Semine mulieris prædicatur τὸ *conterere Caput serpentis*, qvod prædicatum immediate non designat humanam qvandam operationem; sed si conferas *Hebr.2.v.14.* & alia dicta parallela, facile apparet, semen mulieris, *passione & morte* contrivisse caput Diaboli: Item *Philip.3.* Apostolus de Christo affirmat, qvod *factus sit Patri obediens usque ad mortem crucis*, qvæ verba non detegunt divinam aliqvam operationem; sed si conferas dictum *Rom.5.v.19.* concursum divinæ Naturæ & operationis haud difficulter agnoscas.

XI. Jesuwitæ ad nostra argumenta reponunt frequenter distinctionem inter *Principium* qvo, & *subjectum quod*: Concedunt *Subjectum, quod* exeqvitur officia, esse Θεάνθρωπον, negant autem qvod â divina Naturâ promanent officia Christi ceu â *principio formali*: Verum ἀποτελέσματα â nobis adducta divinam & humanam operatio-

tionem involvunt, ubi autem sunt operationes diversæ, ibi etiam distincta operationum principia: Si de nudis proprietatibus hujus vel illius Naturæ, ut de passione, morte, æternitate &c. qvæstio esset valeret distinctio: Officii autem opera qvia utriusqve naturæ ἐνεργείας requirunt ad unam naturam *seu formale principium* reduci non possunt, sed secundum utramqve naturam â Christo exercentur.

XII. Humanam naturam posse producere, opera officii in Christo ideo, qvia unum suppositum cum λόγῳ recte qvidem dicitur, modo orthodoxus sit sensus, & concedatur Communicatio *realis Idiomatum* & ἐνεργείων, qvam dum negant Jesuitæ, meram unionem per παράστασιν defendunt, qvæ qvod efficiat, ut sola humanitas ea opera producat, qvæ ad officia Christi spectant, nunqvam demonstrabitur.

XIII. Christum *meritorie* secundum *solam* humanam Naturam dare Spiritum S. justitiam, &c. *Bellarminus* affirmat, sed nullo argumento probat.

ANTITHESES.

I. *Lombardus lib. 3. dist. 1. lit. G.* scribit: Christum dici *Mediatorem secundum humanitatem*, non *secundum divinitatem*, Consentiunt pleriqve Scholastici *Bonavent. lib. 3. dist. 19. art. 2. q. ult. Thomas part. 3. q. 26. art. 2. &c.*

II. Stancari hæc est thesis: *Excludo naturam divinam ab officio Sacerdotii & Mediationis Christi, sed non â persona ejus* Contra Tigur. lit. B. C. & in Apolog. cont. Osiandr.

III. Jesuvvitarum doctrinam ita explicat *Bellarm. lib. 5. de Christ. Mediat. cap. 1.* Est sententia communis Catholicorum, ipsum Mediatorem, sive ut Theologi loqvuntur, *principium qvod operabatur opera Mediatoris*, non fuisse Deum solum, vel hominem solum, sed utrumqve simul, hoc est, verbum incarnatum, sive Deum humanatum, *principium* tamen, *quo illa opera* â Mediatore fiebant, fuisse naturam humanam, non divinam. Conferatur *Buscus adv. Gerlach. pag. 173. seqq. Gregor. de Valent. tom. 4. disp. 1. q. 22. p. 3. Becan. part. 3. Theol. Schol. tr. 1. cap. 21. conclus. 2. & cap. 22. conclus. 2.*

IV. *Osiandrum* contendisse, Christum esse nostrum Mediatorem

rem secundum solam Divinam Naturam, testatur ejus opinio de formali causa justificationis, quæ suo loco examinanda.

HYPOTHESES.

I. Distinctionem ἐνεργημάτων, & ἀποτελεσμάτων non attendunt Adversarii, dum τὸ *orare, pati, obedire*, cum *satisfactione* confundunt: Quia v. illa humanæ Naturæ παθήματα & ἐνεργήματα sunt, inferunt, secundum solam humanam Naturam Christum esse Mediatorem, quia secundum solam humanam naturam, *passus, oravit, obedivit*: Verum ad *satisfactionem & officii* ἀποτελεσμα non sufficit *passio, oratio, obedientia*, sed requiritur, *passio pro totius mundi peccatis, oratio pro peccatoribus Deo reconciliandis, obedientia satisfaciens justitiæ divinæ*, quæ & similia ἀποτελέσμασι, secundum solam humanitatem Christo attribui nequeunt. Diligenter ergo distinguendo *opera Officii* à *Naturarum* ἐνεργειαις, multa Adversariorum argumenta confutantur.

II. Mediator est vel respectu unionis primævæ cum Deo, quâ homo usus est in statu integritatis, *vel* respectu unionis cum Deo restauratæ, quæ Mediatorem secundum utramque Naturam requirit.

III. A Mediatoribus in *foro soli* non licet argumentari ad unicum, singularem omni Rationi suis propriis principiis insistenti ignotum Mediatorem in *foro poli*. De *illo* ergo, non de *hoc* concedendæ hæ propositiones: *Nemo potest esse Mediator & pars læsa. Mediator debet distare ab utraque parte dissidente* &c.

IV. Dicto Apostolico 1. *Timoth.* 2. *v.* 5. vox *hominis* concretè accipitur absque restrictione ad solam humanitatem; Nihil ergo juvat Adversariorum thesin hoc dictum, quo docetur, quod secundum humanam naturam sit Christus Mediator, quod autem secundum hanc *solam* sit Mediator, Jesuvitica sagacitas nondum ex textu evicit. Si vox *hominis* urgeatur, conferatur dictum 2. *Corinth.* 5. *v.* 18. & urgeatur vox *Dei*, æque facile ex hac probabis, Christum secundum *solam divinitatem* esse Mediatorem: atque illi ex voce Hominis suam thesin evincent.

V. Non valent hæ Consequentiæ *Secundum quam Naturam Christus distinguitur à Deo, secundum illam tantum est Mediator. Quicquid Christo secundum divinam naturam tribuitur, illud omnibus Perso-*

Personis in Trinitate est tribuendum. Utraqve connexio adversatur sacris literis: *Illa* dictis in the adscriptis. *Hæc* illis scripturæ testimoniis, qvibus asseritur, divinam Naturam esse participem humanitatis ejusqve proprietatum, cum tamen nec Pater nec Spiritus S. sit incarnatus. Igitur in Theologia non tolerandæ hujusmodi consequentiæ, qvibus ratio humana cristas erigit & extollit sese adversus Spiritum S.

VI. Revocandi Adversarii ad scripturam, ê qva sola disci potest, qvomodo Christus sua officia expedivit. In *hac* autem altum est silentium de Mediatore distante à *Deo*, ut est homo, & distante ab hominibus, ut est justus homo. Mediatoris officia ita describuntur in sacris literis, ut denotentur non hominis justi duntaxat, sed θεάνθρωπα operationes, qvibus una Natura egit qvod suum est, cum communicatione alterius.

VIII. A Calumnia, qva nostræ doctrinæ Arrianismus objicitur, tamdiu erimus immunes, qvamdiu de nostra doctrina non probatur, qvod concedat. 1. Christum in *Divinitatis essentia* sacrificium obtulisse, &c. 2. *To sacrificare, interpellare, mori, dare semetipsum*, & similia tribuenda esse Christo secundum utramqve Naturam. Uti enim profitemur, Deum hæc & similia Carnis vel παθήματα vel ἐνεργήματα sibi appropriasse, ita *Sacrificium pro expiandis mundi peccatis, interpellationem pro nobis peccatoribus, mortem pro mundi vita, τὸ dare semetipsum pro nobis* &c. secundum utramqve Naturam Christo vendicamus. Vide *D. Schlusselb. lib 6. Catal. pag. 226. seqq.*

CAP. II.

DE OFFICIO CHRISTI PROPHETICO.

NOtabiles sunt tituli, qvibus Christus in officio Prophetico insignitur; Appellatur enim *Propheta, de qvo omnes alii Prophetæ sunt loqvuti* Deut. 18. v. 15. 18. Actor. 3. v. 22, 23, 24. *Propheta magnus* Luc. 7. v. 16. *Propheta potens in opere & sermone* Luc. 24. v. 19. *Præceptor gentium* Esa. 55. v. 4 *Legifer noster* Esa. 33. v. 22. *Angelus testamenti* Malach. 3. v. 1. *Pastor unus* Ezech. 34. v. 23. *Pastor bonus animam ponens pro ovibus* Johan.

han. 10. v. 11. *Pastor magnus Ovium eductus ex mortuis* Hebr. 13. v. 20. *Apostolus confessionis nostræ* Hebr. 3. v. 1. *Episcopus animarum* 1. Pet. 2. v. 25 *Archiepiscopus* 1. Pet. 5. v. 4. *fidus testis* Apocal. 1. v. 5. κατηχητὴς *Doctor unus* Matth 23 v. 10. *lux hominum & totius mundi* Johan. 8. v. 12. cap. 1. v. 4.

II. Hi tituli respiciunt Singulares actus, qvos ut Propheta Christus exeruit, 1. *patefaciendo Evangelii doctrinam*, qvam attulit ê sinu Patris *Johan. 1. v. 18.* in novissimis diebus *Hebr. 1. v. 1.* Evangelizando pacem post resurrectionem â mortuis *Eph. 2. v. 17.* annuncians omnia Johan. 4. v. 25. ut unctus â Spiritu S ad Evangelizandum Esa. 91. v. 1. 2. Luc. 3. v. 18. seqq. 2. *repurgando doctrinam Legis* Malach. 3. v. 3. Matth. 5. v 20. seqq. Matth. 15. v. 3. 3. *Instituendo ministerium N. T.* & *conservando illud per verbum & sacramenta* Matth. 28. v. 19. 20. Johan. 20. v. 22. Actor 10. v. 42. 2. Corinth. 5. v. 20. Ephes. 4. v. 11. 1. Corinth. 11. v. 23. 4. *præmunciando futura*, ut passionem Matth. 26. 19. Crucifixionem Johan. 3. 14. Ascensionem in cælum Johan. 6. v. 63. Spiritus S. missionem Johann. 7. v. 39. cap. 14. 16. Destructionem templi Hierosolymitani, Extremum judicium Matth. 24. & multa alia 5. illuminando corda hominum Luc. 24. 32. 45. Actor. 16. v. 14. 6. *agnoscendo cogitationes hominum* Matth. 9. v. 4. Luc 6. v. 8. &c. His omnibus authoritatem conciliat singularis investitura ad docendi munus, de qva Matth. 3. v. 17. cap. 17. v. 5. 2. Pet. 1. v. 17. 18.

III. Exeqvutus est Christus hoc officium I. *Immediatè ante incarnationem*, qvando Protoplastis in Paradiso & aliis Patribus ac Prophetis V. T. apparuit, revelando illis Evangelium, & *post incarnationem*, qvando perambulavit varia loca in Palæstina, prædicans Evangelium & edens miracula. 2. *Mediate* partim per *Prophetas V.* T. 1. Pet. 1. 19. partim per *Apostolos* 1. Corinth. 12. v. 28. partim adhuc hodie per *Ministerium Ecclesiasticum* Ephes. IV. 11.

IV. Hactenus exposita ab Adversariis, qvos nollem, non oppugnantur. Attingemus duntaxat ea, qvæ mentes distrahunt.

Qv. I. *Annon sano sensu Christus in officio Prophetico dici potest Legislator?*

THESES.

I. LEgislatoris vox diverso respectu Christo convenire potest 1. re-

respectu *primævæ originis*, qvam lex agnoscit, dum æqve â Filio atqve â Patre Lex data est, unde etiam Filius *Dominus legis* appellatur. Matth. 12. v. 8. 2. respectu *Fidei*, cujus legem ostendit Apostolus *Rom. 3. v. 27.* Est autem Christus *author & consummator nostræ fidei*, Hebr. 12. v. 2. 3. respectu *Sacramentorum* de qvibus præcepta dedit Salvator in N. T. qvando ea instituit 4. respectu *Evangelii promulgati*, qvod *lex Christi* vocatur 1. Corinth. 9. v. 21. 5. respectu totius *doctrinæ cælestis* partim *explicatæ* partim *repurgatæ ab erroribus* ἐπιδόξων, qvæ per mandata Christi intelligitur Matth. 28, 19. Joh. 14, 15. cap. 15, 10. 6. respectu *legis ad verum sensum revocatæ*. Et *hoc modo nova mandata* Christo tribuuntur Matth. 5. v. 20. seqq. Johann. 13. v. 34. 1. Corinth. 7. v. 10. 1. Johann. 2. v. 8.

II. His respectibus Christum posse dici Legislatorem, non inficiamur, qvod autem sit legislator, vel, qvia *solam Legem concionari debuit*, vel, qvia *nova præcepta legi morali adjecit, quæ in V. T. non fuerunt adjecta*, intrepide negamus.

III. Nova præcepta â Christo legi morali non fuisse adjecta in Controversia de Lege & Evang. explicabitur: Solam Legis Concionem Christo ut tribuamus vetant Vaticinia, qvibus Evangelica Concio Christo assignatur *Deut. 18. v. 15. 18. Esa 52. v. 7. Esa. 61. v. 2, 3. seqq. cap. 42. v. 2, 3. cap. 50. v. 4. Zachar. 9. v. 10.*

IV. Porro promulgationem doctrinæ â Christo afferendæ non ex monte *Sinai*, sed ex *Zion & Hierusalem* prodituram, prænunciarunt Prophetæ Esa. 2. v. 2. Mich. 4. v. 2. Hæc non possunt intelligi de Lege Moysis, qvippe qvæ in monte Sina data est, neqve omnibus gentibus solenniter promulgata.

V. Gratiosa vocatio gentium ad Ecclesiam passim â Prophetis prædicta est: Hanc autem non per doctrinam Legis, sed per doctrinam Evangelii maxima ex parte esse expediendam, phrases indicant, qvæ talem describunt vocationem, qvalis affert *benedictionem* Genes. 22. v. 8. cap. 49. v. 10. Ps. 72. v. 9. *conversionem* Ps. 22. v. 28. *abundantiam pacis* Ps. 72. v. 7. *misericordiam & Veritatem* Ps. 117. v. 2. *lucem gentium* Esa. 49. v. 6. c. 60. v. 3. *adoptionem in Dei Filios* Ose. 1 v. 10. *solatium desideratum*. Hagg. 2. v. 8. Hæc & similia per solam Legis concionem posse obtineri, nunqvam solidis argumentis stabilietur.

AN-

ANTITHESES

I. *Judæi* recentiores negant, Messiam qvicqvam aliud præter Legem Mosaicam promulgaturum. Helvic. *tom. 4 Disp. Gies. 6. thz.*

II. *Pelagiani* & *Petrus Abailardus* contenderunt, Christum non fuisse Redemptorem, sed tantum Legislatorem.

III. *Pontificii* Christum dicunt Legislatorem, qvia novis præceptis, & Consiliis legem moralem adauxit *Concil. Trident. sess. 6. can.* 21. *Becan. part* 3 *Theol. Schol tract* 1. *cap* 28.

IV. *Sociniani* asserunt Christum, ut Prophetam revelasse non solum additamenta Legis moralis, sed etiam plane singularia & nova præcepta. *Ostorod. in Instit. cap.* 22. *p.* 150. *Smaltz. de Divinit. Christi cap.* 5 *pag.* 17. HYPOTHESES Adversariorum repetendæ in Controv. de Lege & Evang. idcirco illis hic non immoramur.

Qv. II. *Fuitne Christus ante Initium ministerii sui secundum Humanam Naturam in cælo à Patre Cælesti edoctus?*

THESES.

I. CHristum secundum Deitatem suam in cælo fuisse, antequam natus homo in tempore, confirmant dicta S. Scripturæ de æterna ejus Persona, qvæ adscripta Supra *lib. praced.*

II. Christum Hominem antequam ministerium suum inchoavit, raptum fuisse in cælum, & divina immediata ex Institutione didicisse, qvæ enarravit, nullo verbo indicant Evangelistæ, cum referunt Exordium ministerii Christi: *Matthæus* scribit, qvod ex Deserto, qvo tentatus fuerat à Diabolo, venerit in Galilæam, & cæperit prædicare: *Matth. IV.* 12, 17. Repetit hæc *Marcus I.* 14. *Lucas* addit, qvod ex deserto venerit ἐν τῇ δυνάμει τοῦ πνεύματος & docuerit in Synagogis *Luc. IV.* 14. 15. *Johannes Baptista* testatur, qvod ille, qvi Dei patefecit salvificam Noticiam, sit in sinu Patris, ut Filius *Dei* unigenitus. *Joban. I.* 18 & ipse Christus existens in terris de se Filio Hominis affirmat, qvod fuerit in cælo *Jobann. I.* [illegible]. Qvi autem ut homo rapitur in cælum, antequam officio docendi in terris fungitur, non est adhuc in Cælo & sinu Patris, eo tempore, qvo in terris docet.

ANTITHESIS.

Qvod Christus Homo, antequam in terris Præconis munus adiit,

adiit, in cælo fuerit & â cælo descenderit, ut Voluntatem DEi nostra æterna salute patefaceret. *docem. Socinian.* *Osiorod. cap.* 16 *pag.* 74. *Catech. Racov. p.* 130. *Smalc. lib. de Div. Fil. cap.* 4.

HYPOTHESES.

I. Erronea opinio de *Persona* Christi, qvam mere humanam, & temporis Initio ortam *Sociniani* autumant, Errorem jam expressum peperit. Legunt enim in Historia Evangelica; *Christum descendisse de cælo*, Joh. III. 13, cap. VI. 38. *fuisse prius in cælo*. v. 62. *desursum & de cælo venisse*, Johann. VIII. 28. *Exiviſſe â Patre*. Johann. XIII. 1. cap. XVI. 28. Hæc & similia de Christo puro puto Homine intelligunt, cum æternam & divinam ejus Personam designent, uti suo loco patuit.

II. Qvo tempore, qvomodo & qvo Fine tam *Moyses* qvam *Paulus* in cælum raptus, abunde in sacris literis est enarratum: *De* Christo autem nullibi legitur in S. Scripturâ, qvo tempore ante inchoatum docendi ministerium, in cælum ascenderit, qvomodo & qvo Fine ascenderit, qvapropter de illo ut credamus, qvæ credimus de Moyse & Paulo, nulla authoritas nos inducit.

III. Si verba *Johann. III.* 13. maxime ita vertas: Niemand iſt gen Himmel geſtiegen / nur der vom Himmel geſtiegen iſt / des Menſchen Sohn. non tamen obtines, Christum *Hominem* ante Passionem & mortem ascendisse in cælum: Præterqvam enim, qvod nihil freqventius in Bibliis, qvam Enallage Temporis, qvâ præteritum ponitur pro futuro, de puro & mero *Homine* textus non potest intelligi, cum ille qvi *ascendit* & *descendit*, de se pronunciet, qvod *fit* in cælo: Qvi ergo descendit de cælo ut Filius *Hominis*, ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ, non descendit ut nudus *Homo*, qvi non est amplius in cælo, qvando de Cælo descendit.

IV. Non omnis, qvi mittitur â Deo, in cælis â Deo est institutus, anteqvam missus: Missus enim & Johannes Baptista â DEo. *Johann. I.* 6. missi Prophetæ & Apostoli *Luc. XI.* 29. qvos si omnes in cælum raptos & cælo informatos dixeris, in Scholis recte sentientium te explodent.

V. Qvomodo Pater docuerit Filium suum Christum *Johann. VIII.* 28. ipse Salvator indicat: Non enim duntaxat loqvitur de Doctrina sua, qvam audivit â Patre *v.* 26. sed etiam de operibus cum-

inqvit: οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ ποιῶ οὐδέν. ἀλλὰ καθὼς ἐδίδαξέ με ὁ πατὴρ μου, ταῦτα λαλῶ v. 28. Addit etiam hanc v. 29. καὶ ὁ πέμψας με μετ' ἐμοῦ ἐστιν, οὐκ ἀφῆκέ με μόνον ὁ πατὴρ. Hæc si perpendamus, apparet, Christum loqvi de *Sapientiâ & potentiâ divinâ* sibi co nmunicata per æternam generationem, qvia non de *Institutione docentis* verba possunt intelligi, cum Docens non operetur cum *Discente*, nec semper præsens est Docenti. Proinde Patrem qvando docentem & sibi semper præsentem Christus describit, essentiam Patris sibi ineffabili Generatione communicatam significat.

VI. Et secundum divinam & secundum Humanam Naturam Christus est missus in mundum: Qvando enim *Filius Dei* est incarnatus, descendit de cælo, & missus est in mundum. Humana natura per nativitatem suam missa est *Galat. IV.* 4. qvia ad peculiare munus suscipiendum venit in mundum.

VII. Fingitur, non probatur; *Christum tempore Jejunii quadragesimalis fuisse edoctum â Patre in cælis.* In Historia Evangelistarum altum de hac Institutione, qva Pater ut Præceptor erudit Filium, est silentium. In deserto Christum tentatum, & cum Feris conversatum, legimus, qvod in cælum raptus sit, ut informaretur, scriptum non offendimus.

VIII. Pia & sana est Sententia eorum, qvi statuunt; Christum tyrocinium officii sui Prophetici edidisse, qvando in 12. ætatis anno sedit in medio Doctorum, qvia non solum interrogavit, sed etiam respondit *Luc. II.* 47. unde etiam ad officium suum provocat *v.* 49.

CAP. III.

DE OFFICIO CHRISTI SACERDOTALI.

IVidenter docent sacræ literæ, Christum esse Sacerdotem ab illis, qvi in V. T. ex Tribu Levi fuerunt Sacerdotes, distinctum: Nam 1. titulis Christum insigniunt, qvibus â Sacerdotibus ex ordine Aaronis dignoscitur, ut *Sacerdos secundum Ordinem Melchisedech. Ps.* 110. v. 4. Hebr. V. 10. cap. XII. 23. 24. cap. X. 12. ut *Pontifex fidelis ad propitianda Delicta.*

Delicta. Hebr. II. 17. *Pontifex Magnus* cap. V. 10. *Pontifex Confessionis nostræ* cap. III. 1. *Pontifex futurorum bonorum* cap. IX. 11. *Administrator veri tabernaculi* cap. VIII. 2. *Pontifex sanctus, impollutus,* κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν Hebr. VII. 26. (2.) actus singulares Christo vendicant, qvos Sacerdotes V. T. non effecerunt: Testantur enim de Christo, qvod *obtulerit seipsum in ara Crucis* Esa. LIII. 12. Johann. XVII. 19. Roman. III. 26. Ephes. V. 2. Hebr. IX. 14. 28. c. X. 11. 12. qvod *fuerit Agnus Dei qvi immolatus, ut tolleret peccata mundi.* Johann. I. 29. 1. Cor. V. 7. 1. Pet. I. 19. Apocal. V. 9. qvod *intercedat sedens ad Dextram Patris,* Rom. VIII. 34. Hebr. V. 7. cap. VII. 25. cap. IX. 24. & *in sancta introeat per proprium sanguinem, æterna Redemptione inventa.* Hebr. IX. 12. 3. manifestam Differentiam inter *Sacerdotem Christum,* & *Sacerdotes Leviticos* ostendunt, qvam desumunt (1.) ab *ortu,* qvo *ille* ἀγενεαλόγητος, ut Deus & ex tribu Juda, ut Homo Hebr. VII. 3, 14. *Hi* ex Hominibus assumpti ex Tribu Levi Hebr. V. 1. cap. VII. 5. (2.) â *Duratione,* qvâ *ille* æternus, Hebr. VII. 23. 24. cap. X. 12. *Hi* morti obnoxii multos per successores Sacerdotium administrarunt secundum præceptum cujus facta ἀθέτησις. Hebr. VII. 18. 23. (3.) ab *oblationis Tempore,* qvo *ille* semel seipsum obtulit æterno cum effectu. Hebr. IX. 25. 26. cap. X. v. 11. 12. *Hi* sæpius coacti offerre sacrificium c. IX. 7. 25. cap. X. v. 11. (4.) â *Sanguine oblato,* qvem *ille* obtulit proprium. Hebr. IX. v. 12. 24. *Hi* obtulerunt Sanguinem Hircorum & Vitulorum v. 7. (5.) ab *Ornatu,* qvi in *illo* unctio præ Consortibus. Ps. XXV. 8. in *his* vestitus ex auro, gemmis, hyacintho & serico contextus. Exod. XXVIII. 4. seqq. (6.) ab *Effectu,* qvo *ille* emundat Conscientias ab operibus mortuis; Hebr. 9. 14. Hi v. Carnis immunditem duntaxat purgarunt. v. 13. & tollere peccata non voluerunt Hebr. X. 11. 4. De collatione Sacerdotii V. T. & N. T. videatur *Garcæus, D. Simon Pauli part. 3. Meth. 25. pag. 61. seqq. Gerhard. tom. 3. Loc. Theol. L. de Leg. Ceremonial. §. 9, 10.* Nos controversia qvæ sunt, attendemus.

QVI. *Annon Christus obtulit DEO Sacrificium expiatorium, qvo genus Humanum, Deo ad iram provocato per proprie dictam satisfactionem reconciliavit?*

THESES

I. A Conf. art. 3. de Christo confitetur qvod vere passus crucifixus, mortuus & sepultus, ut *reconciliaret nobis Patrem*, & *Hostia esset non tantum pro peccato Originali, sed etiam pro omnibus actualibus.*

II. *Hanc* Confessionem ut munirent nostri Theologi, evicerunt. 1. Deum ob peccatum toti *Humano* generi justitia sua sic exigente, fuisse indignatum 2. Christum justitiæ divinæ ita satisfecisse, ut Deus iratus fuerit reconciliatus Hominibus. *Vide D. Hutter. in L. Theol. pag. 405. seqq. D. Hunn. tom. 1. op. col. 562. Chemnit. part. 2. Loc. Theol. pag. 313. D. Frantz. disp. 5. contra Smaltz. th. 94. seqq. disp. 8. Schol. Sacrif. th. 104. disp. 12. th. 7. disp. 18. th. 29. Grawer. de novo ac horr. Errore p. 49. seqq. D. Meisn. Anthropol. S. Decade 3. disp. 5. q. 3. in Consid. Theol. Photin. pag. 821. seqq. Gerhard. tom. 3. L. de Justificat. §. 37. sq.* Stegmann. *de Photin. disp. 24. 25.* Consentit ex Pontificiis *Greg. de Valent. tom. 4. Disp. 1. q. 1. p. 5. q. 22.* & ex Calvinianis *Paræus Comm. in Ep. ad Rom. col. 520. & col. 752.*

III. Testimonia, qvæ ex Sacris literis proferuntur, Thesin probandam qvomodo in se contineant; explanabimus.

IV. DEus verbis apertis revelavit suam justitiam vindicatricem, qva lapso humano generi comminatur mortem *Genes. 2. v. 17. cap. 3. v. 19.* Confer *Rom. 5. v. 12. cap. 6. v. 23. Ezech. 18. v. 20.* visitationem iræ *Exod. 20. v. 5.* maledictionem *Deuteron. 27. v. ult. Galat. 3. v. 10.* & odium & inimiciti am *Ps. 5. v. 7. Ephes. 2. v. 3.*

V. Idem Deus patefecit suam voluntatem, qva expetit benedictionem gentium in semine benedicto qvod Christus *Genes. 22. v. 18. Actor. 3. v. 25. Galat. 3. v. 16.* liberationem victorum in sangvine Testamenti *Zachar. 9. v. 11.* reconciliationem omnium per sangvinem crucis *Colos. 1. v. 19, 20.* ἱλαστήριον Christum per fidem in Sangvine ejus *Rom. 3. v. 25.* Testatur igitur Deus 1. de sua indignatione adversus homines peccatores. 2. de sua reconciliatione facta per sangvinem Filii Christi.

VI. CHRISTUS de seipso affirmat, qvod exolverit, qvæ non rapuit *Ps. 69. v. 5.* servierit in nostris peccatis, laborarit in nostris Iniqvitatibus

tibus & deleverit iniqvitates noſtras propter ſe *Eſa.* 43. *v.* 24. 25. calcarit torcular vini furoris iræ Dei Omnipotentis *Eſa.* 63. *v.* 3. *ſeqq.* *Apocal.* 19. *v.* 13. 15. dederit animam ſuam λύτρον pro multis *Matth.* 20. *v.* 28. *Marc.* 10. *v.* 45. & effuderit ſangvinem in Remiſſionem peccatorum Matth. 26. v. 28. Teſtatur igitur Filius Dei, qvod 1. alienum debitum perſolverit h. e. ut explicatur, ob noſtra peccata ſervierit & laborarit. 2. Iram Dei ſenſerit. 3. Deum placaverit dando animam ſuam λύτρον & effundendo ſangvinem; ut remitterentur nobis peccata noſtra.

VII. Chriſti ſacrificium expiatorium adumbrarunt ſacrificia V. T. de qvibus tenendum, qvod 1. peccata expiarint *Levit.* 1. *v.* 4. 13. 15. 17. *cap* 17. *v.* 11. *cap.* 16. *v.* 21. *ſeqq.* Confer *D. Frantz. in Schol. Sacrif. diſp.* 15. 2. Deo non placuerint, propter ſolum externum opus *Pſ.* 50. *v.* 8. 9. *ſeqq.* *Eſa.* 1. *v.* 11. 15. 16. *cap.* 66. *v.* 3. *Oſeæ* 9. *v.* 4. *Amos* 5. *v.* 21. *Mich.* 6. *v.* 6. *ſeqq.* 3. non fuerint combuſta niſi Igne cælitus demiſſo, uti fuſe probavit *Dn. D. Frantz. in ſchola Sacrif. diſp.* 5. 4. Ignis comburens ſacrificia notarit Iram Dei, qvam Chriſtus in paſſione ſuſtinuit; uti legitur *Hebr.* 13. *v.* 11. 12. 5. non ſua virtute; ſed typice expiarint peccata *Hebr.* 7. *v.* 18. *cap.* 8. 1. *cap.* 9. *v.* 9. 13. *cap.* 10. 1. 4. 11. 6. in Chriſti paſſione & morte habuerint Antitypum: Siqvidem paſſio & mors Chriſti phraſibus â ſacrificiis deſumptis deſcribuntur *Eſa.* 53. *v.* 10. *Johann.* 1. *v.* 29. 1. *Corinth.* 5. *v.* 7. 1. *Pet.* 1. *v.* 19. *Epheſ.* 5. *v.* 2. *Hebr.* 10. *v.* 5. 6. 7. non debuerint durare niſi uſqve ad paſſionem Domini noſtri Jeſu Chriſti, uti ex Dan. 9. probat *D. Frantz. d. l. diſp.* 10. 8. non ſolum pro leviſſimis, ſed etiam enormibus & graviſſimis delictis, oblata ſint *Levit.* 4. *v.* 3. *cap.* 6. v. 2. *cap.* 16. *v.* 21. 30. 34. 9. conferenda ſint cum Sacrificio â Chriſto oblato, in *Re* h. e. *oblatione*, non *rei modo*; qvia ſacrificia V. T. non offerebantur pro omnibus peccatis, ut Chriſti Sacrificium, ſed pro ſingulis tantum, nec pro omnibus peccatis offerebantur, ſed pro uno vel altero, vel etiam certi populi peccatis, adeoqve hic eſt Similitudo in uno tertio, non in omnibus, 10. expiarint propter ſatisfactionem, qvam verba *Hebr.* Caphar & Chitte hic ſignificant, qvia ſunt oblata in odorem qvietis DEi *Lev.* 1. 4. 9. 13. 17. *c.* 11. 1. 2. *c.* V. 4. 13. *c.* VI. 1. 2. 3. data pro animabus Hominum *Levit.* XVII. 11. & placârunt Jehovam. 11. *Sam.* XXIII. 28 Chriſtum non demum in cælo Sacrificium obtuliſſe, ut dicitant Sociniani ſeq. Q.

Resolutio manifestabit. Vide de Sacrificiis V. T. *lib. 6. Controv. III. cap. 3. q. 1.*

XIII. Ex his ita licet inferre. *Quod Typis propter Antitypum fuit â Prophetis assignatum, illud Antitypo etiam assignandum. At vis satisfaciendi pro peccatoribus vis expiandi peccata & vis placandi Iram Dei Sacrificiis ceu Typis propter Christum passum & mortuum ceu Antitypum â Prophetis assignatur. E. vis satisfaciendi pro Peccatoribus &c. Christo passo & mortuo ceu Antitypo est assignanda.*

IX. Christi Satisfactionem, qva nostro loco justitiæ divinæ satisfecit, prædixerunt Prophetæ, cum testati sunt 1. Christum fuisse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech *Ps.* 110. *v.* 4. qvi de torrente in via bibit *v.* 7. hoc est, ut Epistola ad *Hebræos* explicat, *extra portam passus est, ut sanctificaret per suum Sangvinem populum Hebr.* 13. *v.* 12. 2. per Nomen Christi accipere remissionem peccatorum, qvi in eum credunt *Actor.* 10. *v.* 43. 3. Christum portasse nostros dolores *Esa.* 53. *v.* 7. uti (1.) onus grave, qvo se pressum sensit & (2.) pœnam peccatis debitam. *Hoc* enim vult emphasis verbi נשא de qvo consule loca *Exod.* 28. *v.* 43. 2. *Sam. XII.* 13. *Levit.* 5. *v.* 1. *Ezech.* 18. *v.* 19, 20. *Esa* 45. *v.* 20. *Esa* 52. *v.* 11. *Illud* indicat vox סבל de qva vide dicta *Genes.* 49 *v.* 15. 1. *Reg.* 5. *v.* 15. *Ps.* 81. *v.* 7. *Exod.* 1. *v.* 11. *c.* 2. *v.* 11. *&c.* 4. Christum esse vulneratum & attritum propter scelera & peccata nostra *Esa.* 53. *v.* 8, 11, 5. Christum esse castigatum, ut haberemus Pacem, & livore ejus nos sanari *v.* 8. 6. Deum in Christum posuisse nostra peccata, sicut in ovem, qvæ in V. T. ad occisionem ducebatur pro expiandis delictis, & sicut in Agnum mira patientia ornatum. 7. Christum fuisse innocentem & per se nulla pœna dignum *v.* 12. 8. Dominum voluisse Christum conterere, ut poneret pro peccato animam suam. *v.* 13. 9. Christum tulisse peccata hominum *v.* 14. 15. 10. â Christo exciso expiari peccata, & adduci sempiternam justitiam *Dan.* 9. *v.* 24, 26. 11. Tempore Christi sanciendum fœdus, qvo Deus propitiabitur Iniqvitati hominum, & peccati illorum non recordabitur *Jerem.* 31. *v.* 34. qvod impletum, qvando Christi facta est oblatio pro peccato *Hebr.* 10. *v.* 16, 17, 18.

X. Apostoli in N. T. hæc Prophetarum oracula in Jesu Nazaræno impleta esse, magno consensu tradunt; Nam describunt Jesum Na-

Nazarænum ut 1. Redimentem homines proprio sangvine â peccatis & peccati æternis pœnis *Rom.* 3. *v.* 24, 25. 1. *Corinth.* 1. *v.* 30. *Ephes.* 1. *v.* 8. *Coloss.* 1, 14. 1. *Tim.* 2. *v.* 6. *Hebr.* 9. *v.* 12, 15. *Galat.* 3. *v.* 13. *Tit.* 2. *v.* 14. 2. ementem & acqvirentem nos suo sangvine *Actor.* 20. *v.* 28. 1. *Corinth.* 6. *v.* 20. 1. *Pet.* 1. *v.* 18, 19. 2. *Pet.* 2. *v.* 1. *Apocal.* 5. *v.* 9. 3. Mediatorem, qvi morte & sangvine interveniente Deum & homines ceu partes dissidentes reconciliavit *Hebr.* 9. *v.* 15. *cap.* 12. *v.* 24. 1. *Tim.* 2. *v.* 5. *Rom.* 5. *v.* 10. 12. *Ephes.* 2. *v.* 16. *Coloss.* 1. *v.* 21, 22. 2. *Corinth.* 5. *v.* 19. 4. Mundantem nos â peccatis suo sangvine. 1. *Johann.* 1. *v.* 9. *Hebr.* 9. *v.* 22, 23. *Hebr.* 9. *v.* 14. *Apocal.* 1. *v.* 5. 5. suscipientem nostram pœnam *Galat.* 3. *v.* 13. 2. *Cor.* 5. *v.* 21. 6. delentem peccata suo sangvine *Coloss.* 2. *v.* 14. 7. Victimam & hostiam expiatoriam *Ephes.* 5. *v.* 2. *Hebr.* 7. *v.* 27. *cap.* 9. *v.* 25, 26, 27, 28. *cap.* 10. *v.* 11, 12, 14, 15. 1. *Pet.* 1. *v.* 24. 8. traditum, passum & mortuum pro Nobis & propter nostra peccata *Rom.* 4. *v. ult. cap.* 8. *v.* 32. 1 *Corinth.* 15. *v.* 3. 2. *Cor.* 5. *v.* 14, 15. *Galat.* 1. *v.* 4. *Tit.* 2. *v.* 14.

XI. Exceptionibus Adversariorum ut occurras, has Notas in conspectu habeas, necesse est. I. Redemptio suprâ Christo vendicata non confundenda 1. cum Redemptione simplici, qvæ fit absqve interveniente sangvine Redemptoris 2. cum Redemptione Moysi assignata, qva redempti sunt Israelitæ absqve sangvine â corporali pressura. 3. cum Redemptione in foro soli usitata, cui ut Redemptio Christi exacte conveniat, nulla scriptura cogit vel reqvirit. 4. cum Redemptione qvæ fit per privationem dominii, qvo utitur Dominus in redimendos. Christus enim redemit homines, non illos subtrahendo jurisdictioni divinæ, vel alienando â Deo, sed satisfaciendo pro pœnis, & reconciliando Dominum iratum, ut si qvis Imperatori subditum reconciliet, & pœnam promeritam per satisfactionem â subdito declinet. Confer *Flacium* in Clavi, voce Redimere.

XII. II. Oportet figuram minus habere, qvam veritatem, qvia alioqvin non fuisset figura futurorum, uti monet *Chrysost. homil.* 61. *in Genes.* Vehementer igitur errant qvi ab Antitypo Christo nullam

lam aliam redemptionem expectant, atque in Moyse & aliis Typis videre est, cum semper plura sint in Antitypo, qvam fuerunt in Typo.

XIII. III. Cum scriptura docet, nos esse redemptos ab Iniqvitatibus, vana conversatione &c. simul innuitur, nos esse redemptos à justitia Dei vindicatrice; Omnes enim pœnæ præsupponunt judicem, à qvo infliguntur, cui satisfactum esse, indicatur, qvando pœnæ avertuntur. *Hinc* ab ira Dei dicimur salvati *Rom.* 5. *v.* 9. 1. *Thessal.* 1. *v.* 18, 19.

XIV. IV. Non solum proprie dicimur redimi à *Persona nos captivante*, sed etiam à *Judice*, cui ad satisfaciendum sumus obstricti, & à *rebus nos affligentibus*, ut carcere, vinculis, lictore. Qvatenus igitur damnatio legis, vel sententiam Dei judicis damnantem, vel ipsam pœnam execrationis notet, proprie dicimur redempti: Sic etiam à Conversatione vanâ & ab iniqvitatibus, ut à vinculis nos constringentibus sumus redempti.

XV. V. Christum esse Mediatorem ratione *Prædicationis* qvâ *Voluntatem Dei* annunciavit, ipsimet fatemur, hanc solam autem in dictis suprà allatis intelligendam adeoqve negari, qvod sit Mediator ratione *satisfactionis*, probandum est ab Antagonistis.

XVI. VI. Dicta scripturæ, qvibus legitur, Christum nos reconciliasse, literaliter urgenda sunt, ut ria semper intelligantur. 1. *Personæ læsæ indignatio* 2. *per Mediatorem facta placatio* 3. *culpæ condonatio*. Probent igitur Adversarii ex textibus citatis Christum dici ἱλαστὴν & Reconciliatorem tantum ideo, qvia in se Deus nobis placatum ostendit.

XVII. VII. Triplex dissidium Christus nos Deo reconcilians, sustulit 1. dissidium inter homines & homines, gentes &c. & Judæos. *Ephes.* 2. *v.* 16. 2. dissidium inter homines & Angelos *Coloss.* 1. *v.* 20. 3. Dissidium inter homines & Deum *Rom.* 5. *v.* 11. *Illa* qvando ponuntur, *hoc* non excluditur, qvin potius *hoc* præsupponitur & includitur, qvoties de *illis* sermo est.

XVIII. VIII. Christum effudisse sanguinem eam duntaxat ob causam ut acqvireret fidem & fieret Dominus super omnia, qvi peccata remit-

mittere posset, scripturæ dicta non tradunt. Alium Finem his dictis addendum esse nemo negabit, qvi argumenta nostra in timore Domini considerabit.

XIX. IX. Textus *Hebr. 7. v. 27.* non tolerat hanc glossam: *Sicuti Pontifices V. T. pro suis & pro populi delictis obtulerunt, ita etiam Christus pro populi & suis delictis obtulit seipsum.* Particulam enim τᾶτο ad immediate præcedentem oblationem tantum esse referendam, patet ex *v. 26.* cui applaudit tota scriptura, qvæ Christum ἀναμάρτητον proclamat. Insupet Comparatio instituitur non qvoad *objectum* sacrificii, sed qvoad *adjunctum temporis*, qvatenus sacrificium oblatum in V. T. καθ' ἡμέραν; in N. T. ἅπαξ.

XX. X. Non occasionaliter sed certo Dei consilio, Christum passum esse & mortuum, ut nos redimeret, aperte docent hæc scripturæ oracula *Esa 53. v. 6. Rom. 8. v. 3. Actor. 2. v. 23. cap. 3. v. 18, 26. cap. 4. v. 28. Galat. 4. v. 4.*

XXI. XI. Qvi ex voce περιμέγω *Rom. 7. v. 14.* inferunt, Redemptionem esse *metaphoricam* qvæ facta absqve interveniente pretio, peccant ἐν ἐλέγχῳ comparatorum: Nondum enim est probatum, tali modo nos esse *redemptos à peccato*, qvali modo sumus *venditi sub peccato*, neqve semper talis est *redemptio*, qvalis *venditio*, si de tali venditione sermo est, qvâ qvis alicujus dominio ceu captivus subjicitur: Sic absqve pretio homo potest fieri Turcæ mancipium, qvi tamen absqve precio non redimitur. Distinguimus igitur inter *venditionem contractus*, & *dominatus*: *Illa* nunqvam fit absqve pretio, alias non esset venditio, sed donatio: *Hæc* fit per traditionem vel captivitatem, & habet oppositam talem redemptionem qvæ fit interveniente pretio: *Illa* affert obligationem civilem; *hæc* criminalem. Peccatum vocatur *Debitum* per Similitudinem, ut constat ex *Matth. 18, 24.* Ideo Satisfactio non civilem sed criminalem respicit obligationem. De hac autem loqvitur Apostolus; Est enim Spiritui S^o familiaris hæc phrasis, cum describit peccati dominium in homines, uti patet ex *1. Reg. 21, 20, 25. Esa. 50. v. 1.* Ipse & *Deus* ceu Judex vendere dicitur populum. *Deut. 32. v. 30. Judic. 3. v. 8. cap. 4. 1.* Et licet in renatis hoc dominium tollitur, non tamen plane sustollitur, qvando caro adhuc Spiritui reluctatur,

XXII. XII. Præpositiones ἀντι, ὑπὲρ licet in qvibusdam locis notent idem, qvod *commodi alicujus* gratia; tamen hæc significatio non est universalis. Interdum *pro aliqvo*, idem est in scripturis, ac si diceretur, *vice vel loco alicujus*, ut *Exod.* 7. v. 1. 2 *Sam. XVIII.* 33. *Proverb.* 11. v. 8. *Num.* 25. v. 13. Confer *v.* 11. *Philip.* 1. v. 29. Confer *Actor.* 9. v. 5. Notetur autem distinctio inter has Enunciationes. 1. *Christus passus est pro peccatis.* 2. *Christus passus est propeccatoribus.* In *illa* particula Pro, non notat vicem vel locum, sed causam passionis προκαταρκτικὴν: In *hac* notat vicem vel locum, & plerumqve legitur vox ἀντὶ, qvæ passim significat unum alterius locum supplevisse, ut *Luc.* 11. *v.* 11. *Joban.* 1. *v.* 16. *Rom.* 12. *v.* 17. 1. *Thessal.* 5 *v.* 15. 1. *Pet.* 3. *v.* 9.

XXIII. XIII. Qvod scriptura sæpius dicit, *nos esse reconciliatos Deo*, atqve dicit, *Deum esse reconciliatum nobis*, non ideo fit, ac si nos saltem Dei Inimici, non autem Deus noster inimicus; sed qvia 1. nos sumus pars *ladens*, 2. reconciliatione indigemus & 3. per reconciliationem aliqvid acqvisivimus, frequentius legitur in Sacris, nos esse reconciliatos Deo. Nec tamen desunt scripturæ textus, qvibus legitur *Deum* esse placatum hominibus, ut *Levit.* 1. *v.* 3. *cap.* 14. *v.* 29. *Exod.* 32. *v.* 14. 2. *Sam.* 24. *v.* 25. *Dan.* 9. *v.* 19. *Luc.* 18. *v.* 13.

XXIV. XIV. *Dicta* scripturæ non divellenda, sed conjungenda, ita ut in thesibus sunt conjuncta: Judæi non possunt rejicere dicta N. T. anteqvam aliam personam præter Jesum Nazarænum monstraverint, cui vaticinia de Messia in V. T. possint applicari, vide etiam veterum Hebræorum in expositione vaticiniorum nobis faventem sententiam *tom.* 4. *Disp. Giess. disp.* 7 *th.* 2. *seqq.*

XXV. XV. Si Christus non aliter *pro nobis passus*, atqve Paulus legitur *pro Ecclesia passus Coloss* 1. *v.* 24. 2. *Tim.* 2. *v.* 10. phrases in citatis dictis omnibus Apostolis & Martyribus poterunt applicari, qvod nulli scripturæ textui consonumest. Distinguendæ *passiones Christo propriæ*, de qvibus Theses nostræ, à *passionibus communitatis*, qvas sustinet Christus ceu caput Ecclesiæ in corpore suo mystico, de qvibus Paulus proxime allatis locis disserit.

XXVI. XVI. Petrus 1. *Epist. v.* 14. unicum passionis Christi finem recte

recitans non excludit alios ; Prophetam Esaiam cap. 53. de Jesu Nazaræno loqvi, testantur Scripturæ dicta *Joh.* 12 *v.* 38. *Actor.* 8. *v.* 32. 33. 1. *Pet.* 2 *v.* 24. Et licet *Matth.* 8. *v.* 17. qvædam Prophetæ verba de morbis corporalibus exponantur ; tamen non tollitur hâc expositione morborum spiritualium significatio, cum in cura Morborum Corporalium morborum spiritualium sanatio sit significata.

XXVII. *XVII.* Si Scripturæ textus conjungantur, facile apparebit, Christum non tantum abstulisse peccata, sed etiam expiando & satisfaciendo ea abstulisse: 1. *Pet.* 2. *v.* 24. vox ἀνήνεγκεν non solam peccati ablationem potest notare; periret enim vis in argumento Petri & nulla hæc est conseq. *Vos debetis sufferre injurias, qvia Christus abstulit peccata, licet ea non gestavit.*

XXVIII. XII. *X.* In dicto *Ephes.* 5. *v.* 2. non ipsum *Christum*, sed ejus *actionem* dici θυσίαν, dicitur qvidem, sed non probatur. Nos ita inferimus ; *Qvod Christus obtulit, illud dicitur* θυσία *&* προσφορά. At *Christus seipsum obtulit.* E. *ipse Christus dicitur* θυσία & προσφορά. Adde similes phrases ex V. T. qvibus semper & corpus oblatum & actio offerentis vocatur hostia *Levit.* 19. *v.* 13. *cap.* 4. *v.* 30, 31. *seqq.* In dictis Philip. 4. v. 18. & Hebr. 13. v. 10. non agitur de oblatione qvæ fit per mortem, idcirco ut in nostro loco eadem sit significatio phrasium, qvæ est in illis oblationis diversitas prohibet. Nec vox προσφορά in citatis Dictis jungitur cum voce θυσία.

ANTITHESES.

I. *Judæi* dum Mundanum expectant Messiam, vel omnem peccati expiationem tollunt, vel si qvam credunt, eam non Messiæ; sed vel suis operibus Legis, vel Gallo cuidam ridiculis gestibus occiso assignant. Vide *Buxtorff. in Synag. Judaica cap.* 20. & 21.

II. Qvidam ex *Scholasticis*, aperte sunt professi, passionem Christi prodesse tantum ad *Exemplum virtutum*, ut *Petrus Abelardus*, *Arnoldus de Brixia* &c. de qvibus *Cent.* 12. *Magd. cap.* 5. *pag.* 484. Alii ex Scholasticis disputarunt de Dei potentia, qvâ potuit remittere peccata absqve satisfactione, & de rigore Justitiæ divinæ,

cui per Christum non potuit satisfieri &c. Vide *Anthrop. D. Meisn. Dec. 3. disp. 5. q. 1.*

III. *Socinus part. 1. de Christo Servat. cap. 1.* suam Fidem his verbis proloqvitur: *Ego censeo & orthodoxam sententiam esse arbitror, Jesum Christum ideo Servatorem nostrum esse, qvia salutis æternæ vitam nobis annunciarit, confirmarit & in sua ipsius Persona tum vitæ Exemplo, tum ex mortuis resurgendo manifeste ostenderit. Divinæ autem justitiæ, per qvam peccatores damnari meremur pro peccatis nostris, neqve illum satisfeciisse neqve ut satisfieret opus fuisse.* Adde *Osterod. in Instit. Germ. cap. 36. & parte 3. Disput. Tradelio oppositæ, Smaltz. cont. Frantz. p. 99. 114. & 346. in Refutat. libri de Satisf. cont. Smiglec. & in Resp. ad part. 4. lib. demonstr. cont. Smiglec. cap. 27 seqq. Crell. de Uno Deo Pat. pag. 631. seqq. & in Resp. ad lib. Joh. Grotii de Satisf. Christi, & tractatu de Causis mortis Christi &c. Catech. Racov. cap. 8.*

HYPOTHESES.

I. Uti divinæ Naturæ simplicitas reqvirit, Misericordiæ & Justitiæ ταυτότητα in essentia divina; ita diversissimi Misericordiæ & justitiæ *actus* hæc attributa καθ' ἐξω distinguunt. In hac nostra controversia non qværitur de Misericordia & Justitiâ, qvatenus in intima & nobis ferme ignota essentia divina attenduntur, sed qvatenus ad extra progrediuntur, & diversimode apud homines operantur: Idcirco ταυτότητας Justitiæ & misericordiæ divinæ Sociniani objicere neqveunt.

II. Satisfactionem & Christi meritum, qvando Photiniani opponunt divinæ Misericordiæ, ludunt fallacia oppositorum, qvia Scriptura hæc conjungit, cui non sunt præferendæ tales ἀνυποστάτους qvas Ratio humana in divinis mysteriis cæcutiens efformat. Elucet etiam in Christi satisfactione Dei misericordia satis manifeste, qvatenus 1. Dei Filius est, qvi satisfacit, & 2. Deus annuit, ut propter Filii satisfactionem absolvantur rei homines Dei inimici, uti Johannes contestatur 1. Johann. 4. v. 9, 10.

III. Deus qvidem miseretur cui vult *Exod. 33. v. 20.* & indurat qvem vult *Rom. 9. v. 18.* verum libera Dei voluntas ita est revelata, qvod

qvod in salvandis hominibus velit misereri credentium in Christum, & qvod ob commissam Legis transgressionem velit homines incredulos æternæ morti adjudicare.

IV. Esse in *Deo* justitiam vindicatricem, qvâ punit prævaricatores suæ Legis, probavimus *præced. libr.* Hæc autem justitia non tollit liberam Dei voluntatem; libertas enim consistit in indifferentia, qva potest Deus agere & non agere. Justitia autem Dei exigit, ut semper juste agat. Voluntas itaqve Dei semper libera, & tamen nunqvam injusta.

V. Qvi concedere nolunt, Deum ex *gratia condonare peccata, pro quibus est satisfactum*, reprimendi sunt distinctione inter *satisfactionem* præstitam ab ipso Captivo, & inter *Satisfactionem* Redemptoris *illa* excludit gratuitam remissionem, qvando enim ipse Captivus satisfacit, ex gratia ipsi non remittitur *Delictum*, ob qvod captus; *hæc* eatenus gratuita, qvatenus ex gratia captivum suo pretio in libertatem vindicat Redemptor. Ita si Christum consideras, qvi satisfecit, huic ex gratia nihil condonatur, nobis autem gratis remittitur & culpa & pœna, qvia nos ipsi nihil solvimus, sed satisfactio Christi nobis imputatur.

VI. Similia qvæ â Photinianis opponuntur, plerumqve sunt παραλογισμα: Nos de *Judice* loqvimur, cui satisfaciendum, illi *Turcam*, qvatenus *hostis* est, opponunt: Nos captivos consideramus, *nocentes*, qvi sua culpa pœnas attraxerunt: illi *Innocentes* offerunt, qvi sine sua culpa ab Hoste tenentur Captivi: Nos *Creditorem publicum & judiciarium*; illi *privatum* & *pecuniarium* urgent.

VII. Temperamentum divinæ Justitiæ & misericordiæ non est curiose ventilandum, sed pie credendum. Ideo si qværatur, qvæ sit illa justitia cogens *Deum*, ut exigat satisfactionem; Qvomodo hæc justitia cum Dei misericordia possit consistere? Simpliciter est respondendum: Istas & similes qvæstiones esse curiosas, nostram fidem acqviescere in apertis Scripturæ dictis, qvibus supra sumus edocti, Dei voluntatem esse ita revelatam, ut in nostra salvatione & Justificatione currat Dei misericordia cum Justitia.

VIII. Deum ob solam pœnitentiam *absqve satisfactione* peccata remittere docent, sed veram pœnitentiæ definitionem tollunt, cum vera pœnitentia juxta scripturam, non saltem sit ex Lege,

qvoad contritionem, sed etiam ex Evangelio, qvoad fidem, qvæ meritum Christi apprehendit, uti suo loco docetur.

IX. Dilectio Dei, qva nos ita dilexit, ut miserit Redemptorem, non tollit vel *Iram Dei adversus nos peccatores*, vel *satisfactionem Christi*: Præterqvam enim qvod ea qvæ â Photinianis disjunguntur, in scriptura conjungantur, diverso respectu etiam Deo prædicta tribuuntur. Dilexit nos ut benevolus *Creator*, odio habuit ut *justus Judex*: Dilexit *Naturæ* nostræ *essentiam*, odit *peccatum* & ἀταξίαν: Sic David diligebat Absalon ut Filium, & tamen bellum cum illo gerebat tanqvam cum hoste. Dilectio satisfactionem *præcedit*, ut est *affectus miserendi* & *dilectio generalis*, qva Deus totum genus humanum complexus post lapsum, & decrevit illi mittere Redemptorem. Dilectio satisfactionem *includit* & *præsupponit*, qvatenus est *specialis*, & affectus absolvendi, qui vult remittere peccata & dare vitam æternam, Iram Dei qvod attinet, illa omnem dilectionem excludit, ut est *summa*, consistit autem cum Dilectione, qvatenus est *temperata*. Ex his patet ordo nostræ Redemptionis; Deus humano generi fuit iratus, sed illi misertus constituit mittere Filium suum tanqvam Mediatorem, qvi satisfaceret pro illo, ut homines hanc satisfactionem fide apprehendentes, justitia & vita æterna donarer.

X. Futiles sunt hæ consequentiæ: 1. *Si Deus reconciliatus nobis, etiam hominum in gratiam erit reductus Deus.* 2. *Si totus mundus Deo reconciliatus, totus mundus salvabitur.* Uti enim reconciliatio inter *Judicem* & *captivum* est gratiæ reductio, non respectu utriusqve partis, sed respectu partis *offensæ*: ita Reconciliatio Judicis acqvisita non statim ab omnibus reconciliatis apprehenditur: Sic Cyrus omnes Judæos dimisit e captivitate Babylonica *Esdr.* 1. *v.* 3. 4. 2 *Paral.* 36. *v.* 22. sed multi non fuerunt dimissi, qvia sub potestate Cyri malebant permanere.

XI. A negatione γράμματος ad negationem πράγματος, non valet consequentia, si per γράμμα non *literalis sensus*, sed *omnium literarum situs* intelligitur. Multi enim termini, ut *Sacramentum*, *Liberum arbitrium* &c. fidei articulos in Theologia explicant, qvi qvoad literarum situm non occurrunt in sacris literis. Sic Satisfactio Christi pro peccatis mundi, qvoad *literalem sensum* extat in sacris literis, *situs autem literarum* ita non in Bibliis, uti

in

in noſtris ſcriptis obvius. Ipſi Photiniani credunt, ad ſalutem, ſcitu neceſſaria eſſe Dogmata de Chriſto *Deo ſecundario*, *& ſubordinato*, de *Adoratione* religioſa, qva adoratur ille, qvi non eſt Deus naturalis, de *Vicario Dei* Chriſto &c. qvi termini ἀπόρρητον non ſunt obvii in ſacris literis.

XII. *Studium pietatis tolli per ſatisfactionem Chriſti*, falſiſſimum eſt. Nam 1. Scriptura ſacra novitatem Vitæ & ſatisfactionem Chriſti ceu ὑπάλληλα & ſubordinata conjungit *Rom. 6. v. 11. 2. Cor. 5. v. 15. Galat. 5. v. 13. Tit. 2. v. 14. Hebr. 9. v. 14.* 2. vitia hominum, qvibus per accidens qvidam ſatisfactione abutuntur, ipſi doctrinæ de ſatisfactione neqveunt imputari. 3. nos ut ſatisfaciamus noſtris bonis operibus Deus nullibi præcepit, Interim Chriſti ſatisfactio noſtra bona opera non tam impedit, qvam promovet, qvatenus (1.) ad eum finem tendit, ut pietati ſtudeamus (2.) ad obſeqvia redemptos obſtringit Redemptori *Luc. 1. v. 74.* & (3.) Iræ divinæ, qvibus peccata punit, ſpeculum erigit lucidiſſimum.

XIII. Multas Ratio humana nectit conſeqventias ſatisfactioni Chriſti oppoſitas, qvarum connexio ex ſcripturis ut roboretur, ſedulo urgendi ſunt Adverſarii: qvod ſi ex ſcripturis ratio connexi dari neqvit, ceu ἀντιθέσεις ψευδωνύμε γνώσεως rejiciantur. Hujus generis ſunt hæ argutiæ. *Si Chriſtus Filius Dei ſatisfecit pro mundo, plus Filius atqve Pater dilexit mundum. Si Pater remittit peccata propter ſatisfactionem, potius ſui qvam noſtri cauſa miſit Filium. Si Chriſtus omnia non toleravit, qvæ nos tolerare debuimus in Inferno, pro nobis non ſatisfecit.* &c.

XIV. Etſi ſcriptura ſæpius hortetur, ut *nos condonemus proximo, ſicut Deus condonat nobis*, non tamen ſolida eſt hæc illatio. *Nos abſqve ſatisfactione condonamus proximo. E. & Deus abſqve ſatisfactione condonat nobis.* Qvoties enim in ſcripturis Dei Exemplum ad Imitationem proponitur, ſemper infinitum manet diſcrimen inter nos & Deum. Probandum igitur, nos in omnibus debere imitari Deum, qvando condonamus proximo. Parabola *Matth. 18. v. 23 ſeqq.* non intendit principaliter myſterium Redemptionis noſtræ, ſed reconciliationem cum proximo, qvæ Exemplo Dei confertur qvoad *rem*, non qvoad *rei modum*. Inſuper in noſtrâ condonatione Deus nobis perqvam ſimilis, qvatenus nec ille *â nobis ſuis debitoribus* ſibi ſatis

fieri

fieri cupit, sed *sibi ipsi satisfacit per proprium Filium*, qvod nos imitari non possumus, cum tales non generemus Filios, qvi eandem numero cum parentibus habent essentiam. In dicto 1. *Johann.* 3. v. 16. argumentatur Apostolus non â *comparatis*; sed â *majori* ad *minus*, & talem includit casum, qvo nostra Anima vel vita proximo prodesse possumus, & vocatione nostra sic exigente, cum periculo vitæ proximo inservimus.

XV. Regula Ezechielis *cap.* 18. v. 20. non obstat Satisfactioni Christi: Nam 1. *hæc* est Evangelicæ æqvitatis; *illa* stricti Juris, qvod tamen in V. T. etiam aliqvando fuit remissum ut *Num.* 16, 32. 2. *Sam.* 12. v. 14. *cap.* 21. v. 1, 5, 6, 9. videre licet 2. *hæc* â Θεανθρώπῳ præstita est: *Illa* ψιλοῖς lata est ἀνθρώποις 3. *hæc* expiavit peccata totius populi Exemplo prorsus singulari & extraordinario. *Illa* de peccatis vel *personalibus*, vel etiam unius *populi* sc. Judæorum loqvitur.

XVI. *Mors æterna* vel qvoad *cruciatus* vel qvoad *durationem* consideratur: *Priori modo* illam Christus sustinuit, *posteriori* autem modo, ad satisfactionem pro nobis qvod fuerit necessaria, inanis est speculatio Rationis humanæ. Effectus infinitus huic morti nihilominus potest tribui, qvia est mors infinitæ & æternæ personæ.

XVII. Intolerabilis est temeritas vel potius impietas, velle *Deo* præscribere, *qvot sangvinis guttulas* pro Redemptione generis humani debuerit expetere. Phrasis qvidem *Ecclesiastica*, non tamen *Biblica* est, nos ob infinitam Redemptoris Personam *unica sangvinis gutta redimi potuisse*. At absit, ut ideo Deum crudelem & Tyrannum blasphemo ore proclamemus, qvia magna copia Christi sangvinem effundi voluit. Non enim id qvod in sublimi hoc mysterio nostræ rationi consonum; sed qvod *Deo* placitum, ceu justum, pium & Sanctissimum venerari debemus.

XVIII. Qvid Deus in negocio nostræ salutis velit, non ex *rationibus de possibili*, sed ex *solis scripturis* addiscendum. Et si vel maxime nulla dari possit ratio, ob qvam Deus pro absoluta sua potentia noluit absqve satisfactione in gratiam recipere homines, acqviescendum est in ipsius *voluntate*. Rectissime autem solet dici, qvod Deus satisfactionem sibi præstari, voluerit 1. ob *justitiæ immutabilitatem* 2. ob

2. ob *incorruptam veritatem* 3. ob *intemeratam Legis authoritatem.*

XIX. *Delegatio* & *innovatio* in Jure Civili non ad *Criminalem*, sed *Civilem* fertur Obligationem. Liberati autem sumus per Christum ab Obligatione pœnæ, qvæ *Criminalis* erat ê Delicto Oriunda, adeoqve Delegatio & Innovatio, qvam effingunt Adversarii, nulla hic admittitur. Fideles in V. T. non delegarunt vice sua Christum nec innovarunt Obligationem, qvia liberati sunt ab Obligatione pœnæ, qvando Christi Satisfactionem in Vaticiniis Propheticis & Typis oblatam Fide apprehenderunt. Hæc Satisfactio Liberationis â pœnâ non Consequens; sed antecedens, sive in *V.* sive in N.T. Fideles attendas: Qvanqvam enim actu ipso Fidelium in *V.* T. Liberationem non antecessit Christi Satisfactio, tamen ratione Ordinis Liberatione prior fuit in DEI Decreto, qvod Fides salvifica respexit.

XX. Sophisticantur Antagonistæ παραλογίσμῳ συνθέσεως καὶ διαιρέσεως, qvando inferunt; *Christum venisse in mundum, ut sua Innocentia, miraculis, morte, Resurrectione & Exaltatione confirmaret DEi Voluntatem de gratuita Remissione peccatorum.* Sicuti enim ex qvibusdam Scripturæ dictis hoc recte colligitur, ita illatio Exclusiva deprehenditur vitiosa, qvia & alia S. Scripturæ Dicta extant, qvæ tradunt, Christum venisse in mundum, ut animam poneret in redemptionem, ut propitiatio esset pro mundi peccatis, ut Deo nos reconciliaret &c. uti comprobant theses.

XXI. Christus non est noster Servator 1. *sola annunciatione Viæ ad salutem, qvia servat etiam ab Ira* Roman. V. 9. 2. *Sola Confirmatione Doctrinæ de Remissione Peccatorum gratuitâ*, qvia etiam mortem destruxit 2. Timoth. 1 v. 10. & servavit nos per λύτρον, ἀντίλυτρον & ἀπολύτρωσιν. Exclusivæ itaqve Conclusiones ex sacris literis erui non possunt.

XXII. Adversantur Analogiæ Fidei & sacris literis, qvi contendunt, Christum esse nostrum Servatorem 1. *qvatenus Exemplo suo Viam salutis ostendit & in illa nobis præivit:* Si enim per Viam Salutis intelligas Justificationem, hæc Christo non convenit. qvia ἀναμάρτητος & Justificatione non indiguit. Sanctificatio nostra

fit per bona opera, est motus in via salutis, non ipsa Via salutis, ut alibi probatur 2. *qvatenus resurgendo Viam salutis nobis ostendit*; Qvamvis enim sua Resurrectione de æterna salute nos reddidit certos; tamen Finis Resurrectionis ejus qvod sola sit manifestatio ζωῆς καὶ ἀφθαρσίας 2. Timoth. I. 10. ἄτερ χαφῆς asseritur. Alios fines Resurrectionis propalat Apostolus 1. Corinth. XV. 17. 18. seqq. 3. qvatenus Instrumentum est nostræ Resurrectionis, cujus qvod sit Causa Efficiens, ipse docuit. Johann. *V.* 21. cap. XI. 25.

XXIII. Cum Sociniani suum defendunt Errorem, confugiunt freqventer ad αἰτήματα, qvibus nostrates Theologi nunqvam suffragati sunt. Contradixerunt enim & adhuc contradicunt negantibus, 1. *Humanum genus peccato Originali esse corruptum* 2. *Christum esse æternum naturalem Deum* 3. *Deum Justitiâ vindicatrice prosequi omnes Homines, qvatenus in peccatis nati & concepti.* 4. *Deum velle ex gratia, interveniente satisfactione Iram placante remittere peccata.* 5. *Peccatores justificari propter meritum Christi* 6. *Fidem justificantem esse Fiduciam qvæ apprehendit Christi meritum.* 7. *Unam eandemqve fuisse Justificationem in V. ac N. T.* 8. *Dogma de Satisfactione Christi propriè dicta esse fundamentale, & ad salutem scitu necessarium* 9. *Prophetas & Apostolos eam salutis Viam confirmasse, qvam Christus manifestavit.* De his & similibus manet adhuc Controversia, & Adversarii in illis non inveniunt præsidium, qvo contegantur.

XXIV. Vafrities adversariorum agnoscenda, qvando ὅμοια λαλῶσι, καὶ ἀνόμοια φρονῶσι: Concedunt 1. *Christum pretio pro nobis oblato esse authorem Vitæ* 2. *pretio oblato eundem nobis comparasse Vitam æternam* 3. *Christum acqvisivisse nobis Vitam æternam.* 4. *Satisfactionem esse necessariam antequam nobis Deus remittat peccata.* Qvodnam virus his tegatur flosculis, patet ex *Smaltzii* & *Socini* Declaratione: *Ille* contra Smiglec. de Satisfact. *cap. 9. pag.* 245. 246. scribit, Christum pretio pro nobis oblato esse Authorem Vitæ, comparasse & acqvisivisse

visse Vitam æternam *improprie*, qvia missus, ut *salutis æternæ Viam nobis annunciaret, confirmaret & in sua ipsius Persona tum Vitæ Exemplo, tum ex mortuis resurgendo manifeste ostenderet & tandem sibi fidentibus salutem re ipsa daret.* Hic in *prælect. cap.* 17. *pag.* 88. per Satisfactionem intelligit, non Christi obedientiam activam & passivam, sed id, *qvod Deus requirit ab illis, qvibus condonanda peccata* scil. Vitæ puritas & innocentia.

XXV. Ambigua est hæc phrasis: *Deus jam tunc fuit Hominibus propitius, qvando Christus est mortuus:* Vel enim indicatur Gratia & Favor *Dei* Christi *Satisfactionem includens*, vel Gratia & Favor *Dei* hanc *Satisfactionem excludens.* *Primo* sensu admittitur phrasis, qvia anteqvam Christus in tempore mortuus, Deus decreverat ab æterno, per Christum reconciliare sibi Homines, & omnes, qvi salvati ante Christi mortem, in gratiam receperat, in intuitu ad Fidem, qva venturum & exhibendum Messiam apprehenderant. *Posteriori* in Sensu involvit phrasis τὸ καινόμενον, qvod â Photinianis probandum.

XXVI. Qvod Deus mundum sibi reconciliaverit, qvando per Christum Evangelium de sua gratia ipsi annunciarit, non docet Apostolus 2. *Corinth. V.* 19. Conjungit enim, non confundit καταλλαγὴν i. *Reconciliationem*, & διακονίαν, vel λόγον τῆς καταλλαγῆς *Ministerium* vel *Verbum Reconciliationis.* Hoc describit ut illius Consequens, & de Καταλλαγῇ affirmat, qvod facta sit, qvando Deus 1. mundo peccata non imputavit, ut scil. pœnas debitas daret 2. Christum pro nobis peccatum fecit, h. est peccata nostra ipsi imputavit, ut pro iis Satisfaceret, & nos in ipso essemus justi *v.* 21.

XXVII. Verba Apostolica *Hebr.* XI. 6. si de adæqvato Fidei objecto intelligenda, non excludenda promissio de Christo, qvia alia S. S. dicta de Fidei Salvificæ Objecto Christum includunt, Johann. XVII. 3. Esa. LIII. 11. 1. Corinth. III. 11. 1. Johann. 5, 15. *Varia* Fidei justificantis Exercitia dum Apostolus recenset, non qvidem semper proprium Fidei salvificæ Objectum, sed interdum vel *Revelationem in Genere*, vel *promissionem divinam* in *Specie* attendit: Interim non simpliciter præterit proprium Fidei Salvificæ Objectum, qvod est

promissio pro peccatis satisfaciente : *Hanc* enim fide apprehendit *Abel justificatus v.4.* qvia justificamur fide in Christum, qvi nos Deo reconciliavit Rom. V. 19. *Enoch translatus in cælestem vitam v.5.* qvia salvati Patres gratia Jesu Christi Actor. XV. 11. *Noah factus hæres justitiæ v.7* qvia hæreditas ex fide in Christum Galat. III. 22. 29. *Abraham expectans patriam in cælo*, ad qvam nemo pervenit, nisi Christum Fide apprehendat Act. IV. 12. Rom. IV. 9. 10. *Moyses retributionem expectans*, qvæ obtingit iis, qvi Christum lucrantur & habent justitiam Christi Fidei imputatam Phil. III. 7. 8. 9.

XXVIII. Plerumqve Adversarii Satisfactionem Christi conferunt cum *Civili*, qva fide justor pro Debitore satisfacit Creditori. Qvamvis autem *analogicè & per qvandam Similitudinem* Satisfactio Christi explicari possit è Naturâ *Civilis* Satisfactionis, tamen Satisfactio Christi proprie *Criminalis* est, qva Judici placatur reus, ut absolvatur hic â Culpâ & â pœna. Cum *Civili* Satisfactione eatenus convenit Christi Satisfactio, qvatenus 1. solutio qvædam facta â Christo : Dedit enim Semetipsum λύτρον & ἀντίλυτρον Matth. XX. 28. Marc. X. 45. 1. Timoth. II. 6. 2. destructa Obligatio, cum liberamur â legis maledicto Colos. II. 14. 3. receditur ab obligatione qvia non nos, sed Christus solvit. 4. *Deus*, per similitudinem dictus Creditor, admittit *Solutionem* Mediatoris & remittit Debitum. Si ulterius extendas Comparationem inter Satisfactionem Christi & Satisfactionem Civilem, transilis terminos â Spiritu S. Præscriptos, qvi conjungit totius *Debiti* solutionem & ejusdem Remissionem. In Civili solutione non est Remissio, si totum Debitum sit solutum: In Christi Satisfactione est Solutio totius Debiti & Satisfactio, pro Debitore, qvia solvit pro alio & non pro seipso : Unde manet respectu Christi Totius Debiti solutio & satisfactio, respectu nostri autem fit Remissio Culpæ & pœnæ. Judæorum ὑποθέσις, qvibus substrata Opinio de promisso Messia, qvi non satisfacit pro totius mundi peccatis, in Controv. de Evangelio & promisso Messia ad S. Scriptui ælancem appendentur.

Qv. II. *Num demum in cælo Christus pro nobis obtulit sacrificium?*

THESES

I. NOstrum Responsum de hac qvæstione â *D. Meisn. in Con-*

sid.

fid. Theol. Photin. c. 5. art. 9. pag. 809. pericuis verbis expositum: *Credimus* inqvit, *& docemus, sacrificium Christi vel oblationem expiatoriam pro peccatis nostris non primum per ascensionem & ingressum ejus in cælum, sequutamqve præsentationem, ut vult Adversarius, sed potius in ara crucis per Sangvinis effusionem & cruentam mortem esse peractam & absolutam.*

II. Nullus scripturæ textus vel διαρρήδην vel κατὰ τὴν διάνοιαν affirmat: Christum, post ascensionem in cælum, obtulisse pro nobis sacrificium: Dicta de ascensione Christi in cælos talia ascensionis monstrant consequentia, qvalia sacrificium non tolerant. Ascendit enim & *consedit ad dextram Dei* Marc. 16. v. 19. *Dominus super omnia* Ephes. 1, 20, 21. *ascendit supra omnes cælos, ut omnia impleret* cap. 4. v. 10. *profectus in cælum subjectis sibi Angelis & potestatibus & virtutibus* 1. Pet. 3. v. 22. Hæc omnia monstrant Pontificem, qvi post ascensionem in cælum divinum exercuit regimen, cum qvo qvod consistat λειτουργία, qvæ Sacerdotibus hostias offerentibus pro peccatis tribuitur *Hebr.* 10. v. 11. nullo scripturæ dicto potest probari.

III. In sacris literis sacrificium expiatorium à Christo oblatum Ascensioni præmittitur: qvia docent, Christum pendentem in ligno factum esse pro nobis maledictum, & sic nos à *maledicto legis redemisse* Galat. 3. v. 13. Deum homines reconciliasse sibi per *Christi sangvinem in cruce effusum* Colos. 1. v. 20. Chirographum qvod adversus nos erat, *fuisse affixum cruci* cap. 2. v. 14. Christum *pertulisse nostra peccata in corpore suo super lignum* 1. Pet. 2. v. 24. post *purgationem peccatorum Christum sedisse ad dextram majestatis in cælis* Hebr. 1. v. 3. per *sangvinis effusionem Christum se obtulisse & morte interveniente expiasse peccata* Hebr. 9. v. 14. *unam pro peccatis hostiam fuisse oblatam, antequam Christus consedit ad dextram Dei* Hebr. 10. v. 14.

IV. Dicta qvæ testantur, semel Christum esse oblatum pro peccatis nostris *Hebr.* 7. v. 27. *cap.* 9. v. 12, 22, 27. *cap.* 10. v. 10, 12, 14. 1. Pet. 2. v. 18. evincunt 1. Christi oblationem pro peccatis *esse unam*

2. hanc oblationem factam esse *sanguine & morte.* At post ascensionem Christus semper apparet coram Deo & nunquam effundit sanguinem;

ANTITHESIS.

Smalcius in Resp. ad 4. disp. D. Frantz. fol. 143. hoc enunciat Dogma: *Christum non fuisse prius Pontificem, quam in cælum ascenderet, tam est certum, ut hodie nemo illud negare queat, nisi simul bonam partem literarum sacrarum & præsertim Epistolæ ad Hebræos negare velit.* Paulo post. *Non enim pars sacrificii Christi, sed præparatio ad id Christi mors appellari & haberi potest, quemadmodum etiam mactatio pecudis, cujus deinde sanguis in Sancta Sanctorum inferebatur, non pars sacrificii legalis,* (hoc enim non nisi in sancto sanctorum cæpit) *sed ad illud præparatio erat.* Vide *Socin. in Defens. Animadv. adv. Eutrop. pag.* 91. 63. *Smalcz. adv. Smigl. c.* 13. *pag.* 124. 129. *cap.* 30. *p.* 271. *Socin. in Epist.* 2. *ad Niemoiev. pag.* 246. *seqq.*

HYPOTHESES.

I. *Act.* 13. v. 33. non intendit Apostolus *Tempus*, quo Christus vel Filius Dei, vel Sacerdos factus, sed *veritatem Resurrectionis*, in qua Christus Filius Dei fuit declaratus. Petenda ergo Ratio hujus Consequentiæ. *Quando Christus ut Filius Dei vere surrexit à mortuis tunc factus demum est Sacerdos.*

II. *Hebr.* 5. v. 5. 6. describitur divina Christi vocatio ad sacerdotale officium, quod autem hoc officio tunc demum perfecte fuerit defunctus, quando ascendit in cælum & consedit in dextra Dei, textus non docet. *vers.* 7. non indicat Christum pro se obtulisse sacrificium; Aliud enim est *oblatio precum*, aliud est *oblatio sacrificii expiatorii: hanc* pro solo populo, *illam* pro populo & seipso obtulit Christus.

III. Sacrificia expiatoria non fuisse perfecta, antequam sanguis offerebatur in Sanctum Sanctorum, non potest probari. Legitur quidem de quibusdam sacrificiis, quæ vel pro Sacerdote offerebantur, vel pro peccato totius Cœtus, quod portio quædam sanguinis sparsa sit in Sancto Sanctorum *Levit.* 16. v. 14, 15. per hunc autem sparsum sanguinem non fuisse consummatam oblationem, abunde constat ex combustione reliqui sanguinis, qui in altari ante sanctuarium, ab Igne sacrificiali simul absumebatur *Levit.* 4. v. 7. *seqq.* v. 18.

cap.

cap. 16. v. 24. 25. *cap.* 17. v. 11. Præterea multæ hostiæ offerebantur pro peccatis, de qvibus nulla sangvinis portio offerebatur in sanctum sanctorum, qvæ omnes imperfectæ censendæ, si Antithesis veritati congrueret. Nec obstat *v.* 27. *cap.* 16. *Levit.* Est enim vitium *Vulgatæ Versionis* in Bibliis latinis. Hebraica *Biblia* sangvinem Sanctuario illatum vocant דם לכפר *sangvinem ad expiandum*, vel *expiationis* qvalem fuisse Sanctuario illatum etiam nos concedimus, qvod autem in Sanctuario expiatio completa sit, probandum erat.

IV. Ad dictum *Hebr.* 9. *v.* 24. 25. 26. nota. 1. Sacerdotem *V. T.* ita esse conferendum, cum Christo, ut tamen qvædam maneat distinctio, & diversitas inter utrumqve. In oblatione igitur talis differentia concedenda, qvalis â nobis statuitur, qvod sc. Sacerdos *V. T.* *primum ingressus sit sanctuarium, deinde obtulerit.* Christus autem *primum obtulit, deinde sanctuarium est ingressus.* 2. Verba hæc: *Oportuisset eum sæpe pati*; luculenter docent, oblationem factam esse per passionem 3. Φανέρωσις διὰ τῆς θυσίας *v.* 26. distinguenda est â Τῷ ἐμφανισθῆναι τῷ προσώπῳ τοῦ Θεοῦ ὑπὲρ ἡμῶν *v.* 24. *Illa* visibilis coram hominibus, uti explicatur. 1. *Pet.* 1. *v.* 19. 20. *hæc* invisibilis coram *Deo*. *Illa* oblatio *expiatoria*; hæc interpellatio & præsentatio *Mediatoria*. *Illa* unica, *Hebr* 7. *v.* 26. 27. *hæc continuata*, qvia æternus Pontifex *Hebr.* 6. *v.* 20. 4. Τὸ offerre *v.* 25. opponitur ingressui in Sancta, qvatenus hic ingressus fit singulis annis & in Sangvine alieno. Qvod si Ingressui nuda præsentatio Christi in cælis opponatur, non apparet, qvomodo Christus proprio sangvine semper pro nobis coram Deo appareat, cum semper ita proprium sangvinem non fundat, uti sangvis alienus fuit qvotannis effusus, qvando Pontifex fuit ingressus in *Sanctuarium*.

V. Christum non dici vel fuisse Pontificem ante ascensionem in cælum, fingitur â *Socino*. Contrarium liqvet ex *Hebr.* 5. *v.* 8. 9 *Cap.* 10. *v.* 10. Qvod autem Pontifex exinanitus differat ab Exaltato, qvem plerumqve describit Epistola ad Hebræos, negari haud potest.

VI. Hebr. 8. *v.* 2. Christus vocatur *minister Sanctorum, & veri tabernaculi*, qvi aliqvid offert, postqvam non amplius commoratur in terris, ac si esset Sacerdos V. T. Qvod autem tantum in cælo offerat hostiam, ex textu recte intellecto non infertur; Siqvidem ut tabernaculum

culum verum notat totam Ecclesiam, uti liqvet ex v. 6. 2. non valet hæc Conseq. *Christus non offert in terris, uti obtulerunt Sacerdotes V. T.* E. *nullo modo offert sacrificium in terris.* 3. Non opponuntur Christo Sacerdotes V. T. respectu *loci*; sed respectu *conditionis status* & *durationis*, qvatenus *ille* divinus, *hi* humana infirmitate circumdati. *Ille* cælestis, *hi* terreni & mandati carnalis. *Ille* æternus, *hi* temporales.

VII. Ex Hebr. 9, v. 12, 13, 14. nunqvam poterit extorqveri hæc Conclusio: *Christus seipsum per sanguinem suum in cælis Deo præsentavit.* Est etiam præterea phrasis hæc ambigua: Vel enim notatur *præsentatio facta per sanguinem oblatum in terris*, vel designatur *nuda præsentatio absqve respectu ad Sacrificium expiatorium.* *Illam* admittimus: *Hanc* negamus, & urgemus oppositionem inter *sanguinem Christi*, & *sanguinem hircorum ac vitulorum.* Per *hunc* intravit Pontifex V. T. qvatenus fuit subseqvutum Sacrificium expiatorium. Christus igitur ita per proprium sanguinem intrasse credatur, qvatenus prius in âra crucis illum obtulit.

VIII. In Epistola ad Hebræos non tantum sacrificium *anniversarium* comparatur cum morte Christi, sed etiam sacrificia *qvotidiana*, de qvibus sanguis non inferebatur in sanctuarium, Christi sacrificio opponuntur, ut *Hebr. 7. v. 27. cap.* 10, 11. Nota autem qvod phrasis καθ' ἡμέραν in N. T. nunqvam significet, qvotannis. Consule loca *Matth.* 26, 55. *Luc.* 16. v. 19. *Act.* 2, v. 47. &c.

IX. Sacrificium expiatorium per *præsentationem* absolvi & consummari Speculationibus humanis, non scripturis divinis docemur. Scriptura sacra docet, ad sacrificium plene complendum reqviri 1. Hostiæ adductionem ad tabernaculum vel locum sacrificiis destinatum. 2. Impositionem peccatorum offerentis 3. mactationem. 4. actum qvo excipitur sanguis 5. effusionem sanguinis, *vel* omnis, *vel* qvoad maximam partem, super altare, vel circa basin ejusdem & 6. Combustionem, sive extra castra sive supra altare.

Qv. III. *Annon obedientiâ sua activa Christus pro nobis satisfecit, qvatenus nostri loco implevit perfecte legem.*

THESES.

I. CRedimus orthodoxam esse Sententiam Irenæi, qvæ legitur lib.

lib. 5. adv. hæres. cap. 18. *Soluta est ea, quæ fuerat in Adam præcepti Dei prævaricatio per præceptum legis, quod servavit Filius hominis non transgrediens præceptum Dei:*

II. Hæc verba indicant obedientiam, qvâ Θεάνθρωπος & Personæ sanctitate, & Legis perfecta impletione nostri loco satisfecit, ut justitia coram Deo consistens nobis acqvireretur.

III. Sacræ literæ asserunt (1) Christum venisse, ut impleret legem *Matth. 5. v. 17, 18.* hoc est perfecte servaret legem, uti ἐμφασις vocis implendi declaratur *Levit. 25. v. 18. Deut. 11. v. 32 cap. 26. v. 14. cap. 29. v. 6. c. 31. v. 12. c. 32. v. 46.* (2) Christum factum esse peccatum, ut justitia legis in nobis impleretur *Rom. 8. v. 3, 4.* (3) Christum esse finem legis ad justitiam omni credenti *Rom. 10. v. 4.* (4) Christum factum esse sub lege, ut eos qvi sub lege erant, redimeret *Galat. 4. v. 4.*

IV. *Hæc omnia evincunt 1. Personæ in Christo sanctitatem*, sine qva nemo legem implere potest. 2. *peccati imputationem*, ob qvam Christus factus peccatum, vel victima expians peccatum. 3. *Legis perfectam impletionem*, qvæ elucet ex propria Christi confessione & justitia legis, qvæ nuda passione non absolvitur, sed obedientiam activam reqvirit. Qvid? qvod nemo sit *finis legis*, qvi legem perfecte non servat, & nemo *sub lege*, qvi ad perfectam legis obedientiam non obstrictus. 4. *Causam, propter qvam Lex impleta à Christo*, qvâ nostra *justitia* & *Redemptio*, ob qvam etiam dicit, se venisse, ut legem impleret, propter qvod enim Christus venit, illud spectat ad ejus officium, qvo nobis est datus Salvator. &c.

V Christus voluntatem Dei fecit *Ps. 40. v. 10. Hebr. 10. v. 7. Johan. 4. v. 34. cap. 5. v. 30. cap. 6. v. 38. c. 14. v. 31.* Hæc uti præsupponit sanctam Personam, ita includit 1. *passionem voluntati divinæ conformem*, qvalis cogitari neqvit absqve obedientia legi præstita: Passio enim qva talis Deo non placet, cum etiam Damnati, & infensissimi Dei inimici patiantur, sed passio *virtuosa, sancta, & bonis operibus fulgens*, Deo grata est & accepta. 2. *obedientiæ finem*, qvi nostra est Sanctificatio, uti Epistola ad Hebræos nos instituit.

VI. Qvando Christi obedientiam *Rom. 5. v. 19. Philipp. 2. 8. Heb. 5. v. 9.* verba Apostolica exhibent ostendunt 1. Personã *sanctissimã* 2. *cruci affixam*

3. *Virtutibus in Decalogo præceptis ornatissimam* & 4. *inobedienti Adamo oppositam*; Sicuti ergo Adamus nos peccatores constituit, *legi non obediens & non agendo, quæ Deus agere illum voluit*; ita Christus nos justos constituit, *legi obediens & agendo, quæ Deus fieri voluit.*

VII. In dictis de sanctissima Christi passione *Esa. 53. v. 9. 1. Pet. 1. v. 19. Hebr. 9. v. 14. 1. Pet. 2. v. 22, 23* uti *innocens & sancta Persona*, ita *innocens etiam & sancta passio* describitur: Passio autem non est *sancta* vel *Deo grata*, nisi qvatenus ἔννομος & legi divinæ conformis; Nam pœnarum perpessio nuda non potest nobis imputari ad justitiam, cum in sola pœnarum perpessione veræ justitiæ ratio non consistat.

VIII. Illustrari hæc possunt victimis in V. T. oblatis, qvæ sine omni vitio, macula & defectu ut essent, gravissime erat præceptum. *Levit. 22, 19. Malach. 1. v. 8, 9.* Vide *Frantz. disp. 17. de sacrif. th. 48. seqq.*

IX. Uti dicta de formali causa nostræ justificationis, justitiam Christi nobis imputatam exhibent, ita hanc pariunt infallibilem illationem: *Quod ad justitiam imputatur, id justitiam esse oportet.* At *Christi sola passio, divulsa ab obedientia legi præstitâ, non est justitia*, E. *Christi sola passio ad justitiam non imputatur.*

X. *Minoris* veritas constat ex dictis, & ex ipsa Historia de passione Christi; Siqvidem hæc ipsa speculum est præclarissimarum Virtutum, qvibus tempore passionis & mortis Sol justitiæ Christus coruscavit. Confer *D. Hunn. tom. 1. Op. Col. 559. com. 2. Disp. Giess. 10. th. 5. tom. 3. disp. 15. D. Eckard. in libello Piscatori oppositio D. Battum. lib. 1. de Justif. cap. 9. 10. Gerhard. tom. 3. L. de Justif. §. 60. seqq. D. Meisn. Decad. 3. Anthropol. disp. 4. q. 10.*

ANTITHESES.

I. *Photiniani* negant, Christum loco nostri implevisse legem. Vide *Smaltz. cont. Frantz. disp. de Justif. pag. 128.*

II. Kargius Antistes Onoldinus solam obedientiam Christi passivam ad causam meritoriam nostræ justificationis referendam censuit.

III. Piscator Herbornensis, hæc effutiit. *Pretium quo Electi sunt redempti & liberati, est mors Christi, & qvidem sola.* Annot. in cap. 20. v. 28. Matth. Confer ejus *Epist. ad Synod. Wappin. & Consid. dictatorum Dn. D. Mentzeri.*

HYPO-

HYPOTHESES.

I. Uti Christus secundum *divinam Naturam* est ipsa justitia divina & secundum *humanitatem* habitualiter & personaliter justus, ita secundum *officium*, per actualem Legis impletionem factus est justitia nostra coram Deo.

II. Passio Christi involvit obedientiam activam. Didicit enim in eo, qvod passus, obedientiam, & ceu obediens Filius Patri obedivit usqve ad mortem, ut Activa â passiva obedientia divelli neqveat, qvippe passiva obedientia, & passionem & obediendi actum includit.

III. Christus pro sua Persona non fuit obstrictus ad servandam legem: Non enim humana duntaxat natura in Christo, sed etiam divina, qvæ suam majestatem realiter communicavit humanitati ut etiam Filius Hominis dici possit Dominus legis *Matth.* 12. v. 8.

IV. Libertas nostra, qva liberi sumus â lege, non tollit obedientiam Christi activam sed evincit: Etsi enim inchoata nostra obedientia Deus acqviescit, qvando in Christum credimus, tamen nos Legi debemus jure Creationis perfectam obedientiam, â qvâ nos Christus eatenus liberavit, qvatenus ipse perfecte legem implevit, & suam justitiam nobis imputavit: Hinc *jus Creationis* mitigatur per *jus Redemptionis*, ut homo non præstans obedientiam, qvam debet jure creationis, nihilominus in judicio Dei censeatur obediens, qvia Redemptore fruitur, qvi hanc obedientiam loco ejus præstitit: Manet itaqve semper debitum perfectæ obedientiæ apud homines, sed fit *remissum* debitum, propter obedientiam Christi fide apprehensam.

V. Vera causa, propter qvam in Scripturis, tam *Biblicis*, qvam *Ecclesiasticis* freqventius fiat mentio *Passionis* Christi, atqve *obedientiæ Activæ*: non est ea, qvam *Piscator* fingit, sc. *Satisfactio* vel *Redemptio per solam passionem*; sed 1. *evidentia meriti*, qvæ major in Passione atqve in Actione Christi: Atrocitas enim peccati, severitas justitiæ divinæ & satisfaciendi officium ex pœnis & suppliciis toleratis facilius agnoscitur. 2. *Conjunctio obedientiæ Activæ & Passivæ* 3. *Meriti consummatio*, qvæ in Passione extitit.

VI. Uti pueriles agnoscuntur hæ consequentiæ: *Pater & Spiritus S. non possunt peccare ob Naturæ sanctitatem. E. sunt sub lege:* Ita inepta etiam hæc sequela: *Christo non licuit pejerare, furari, occidere &c. E. Chri-*

ſtus ratione ſui fuit ſub lege: Longe aliud eſt *ſanctitas Perſonæ*, peccata non admittens, qvæ in Chriſto fuit. & *Legis obligatio*, peccata prohibens, qvalis in Chriſto ratione ſui, non invenit locum.

VII. Tota Perſona legem implevit pro nobis, ſecundum utramqve Naturam: Officii enim partes Chriſto competere ſecundum utramqve Naturam, ſupra edocuimus: Sicuti ergo ab humanitate proficiſcitur τὸ *ſubjici ſub Lege*: Ita â divinitate fluit vis *ſatisfaciendi* pro nobis huic ſubjectioni annexa.

Qv. IV. *Annon Deus intendit & voluit, ut Chriſtus ſatisfaciendo redimeret omnes, & ſingulos homines?*

THESES.

I. B. *Lutherus in Poſtilla domeſt. ſuper Evang. in Fer. Philippi & Jacobi* noſtram de propoſita qvæſtione doctrinam emphatice & nervoſe exponit cum inqvit: *Nos ſcimus qvod Chriſtus pro nobis & pro toto mundo mortuus ſit. Qvia ergo mortem ſuam eo deſtinavit, ut hic dicit, ut locum pareat, ſequitur qvod pro omnibus hominibus locum paraverit. Qvod autem non omnes homines ſalvantur, & in locum iſtum, qvem Chriſtus paravit, non veniant, hæc eſt cauſa, qvod mortem iſtam ſibi non applicent* &c. Vide Eundem *Comm. in Ep. ad Gal. in Cap. 3. tom. 4. Ibeu. lat. fol. 91. 92. Hunn. tom. 1. op. p. 776. Hutt. in Iren. p. 78. 80. in L. Th. p. 786. Huber. contra Kimedont. Meiſn. Dec. 2. Anthropolog diſp. 3. q. 1. D. Nicol. Hunn. in* Διατυπ. *part. 1. § 323. ſeqq.* &c.

II. Horum Dogma ut ἔγγραφον agnoſcatur, ê ſacris literis eruemus. 1. *Univerſalem Chriſti ſatisfactionem, qva pro omnibus & ſingulis hominibus ſatisfecit.* 2. *Dei & Chriſti intentionem, qva meritum Chriſti ad omnium & ſingulorum hominum tam Redemptionem, qvam ſalutem fuit deſtinatum.*

III. *Prima* Concluſio reſultat ex dictis, qvibus Chriſtus appellatur σωτὴρ τȣ̃ κόσμȣ *Johan. 4. v. 42. 1. Johann. 4. v. 14.* & σωτὴρ πάντων ἀνθρώπων 1. *Timoth. 4. v. 10.* qvi gaudium magnum attulit παντὶ λαῷ *Luc. 2. v. 10.* & tulit peccata totius mundi *Johann. 1. v. 9.* Nota hic 1. Servandi & redemptionis beneficium. 2. objectum qvod mundus h. e. ut explicatur, omnes homines & omnis populus. 3. effectus, videlicet gaudium magnum omnibus paratum.

IV.

IV. Cum asseritur per Christum impetrasse δικαίωσιν ζωῆς omnes homines propter Adæ lapsum condemnationi obnoxios *Rom. 5. v* 18. in ipso Τὸν κόσμον reconciliatum Deo 2. *Cor. 5 v* 19. Christum pacificasse omnia, sive qvæ in terra, sive qvæ in cælis *Coloss. 1. v.* 20. & factum ἱλασμὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, οὐ περὶ τῶν ἡμετέρων δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ περὶ ὅλου τοῦ κόσμου 1. *Johann. 2. v.* 2. In his dictis urgemus 1. oppositionem inter Adæ lapsum & Christi justitiam, 2. reconciliationem, qvæ si acqvisita omnibus negatur, qvia non omnibus applicatur, negantur scripturæ verba 3. oppositionem mundi & fidelium, qvæ non admittit, ut per mundum soli fideles intelligantur.

V. Indefinite legitur, Christum pro omnibus esse mortuum 2. *Corinth. 5. v.* 14. *Hebr. 2. v.* 9 1. *Timoth. 2. v. 6.* Hæc dicta qvia ad solos Electos nulla textus litera restringat, ita, ut reprobi excludantur, particulariter & exclusive exponi, non patimur: Cumprimis qvia additur qvod Christus sit mortuus pro iis, qvi pereunt *Rom. 14. v. 16.* 1. *Corinth. 8. v.* 11. pro *Dei* Inimicis *Rom. 5. v. 6.* & pro injustis 1. *Pet. 3. v.* 18. Imo qvod sanct hcarit suo sangvine eos, qvi ipsum pedibus conculcant *Hebr. 10. v* 29. Et qvod mercatus sit eos, qvi se negant & sibi celerem ἀπώλειαν inferunt. 2. *Pet. 2. v.* 1. Vide hic iterum 1. Redemptionem & satisfactionem 2. objectum, qvod solis Credentibus ê diametro adversatur.

VI. Effectus passioni Christi assignati offerunt liberationem ab hujusmodi malis, qvalia premunt totum genus humanum: Christus enim destruxit potestatem Sathanæ in eos, qvi erant servi mortis *Hebr. 2. v.* 14. 1. *Johann. 3. v. 5.* absorpsit mortem in Victoria *Esa 25. v. 7. Oseæ 13. v.* 14. 1. *Corinth. 15. v.* 57 destruxit mortem 2. *Tim. 1 v.* 10. delevit Chirographum, qvod nobis adversum *Colos 2. v.* 14, 15. evacuavit legem mandatorum in decretis & inimicitias interfecit *Ephes. 2. v.* 16. delevit iniqvitatem *Dan. 9. v.* 24. emisit vinctos de lacu in qvo non est aqva *Zachar. 9. v.* 11.

VII. *Posterior* Ἀπόδειξις confirmatur 1. Scripturæ testimoniis, qvibus promittitur â Deo Messias, in qvo benedicendæ omnes gentes *Genes. 12 v. 3. cap. 22. v.* 18. & in qvem collocanda peccata omnium eorum, qvi erraverunt, sicut oves errantes, (qvales nec soli reprobi, qvi erraverunt & errant, nec soli pii & fideles, qvi soli

non errarunt) *Esa. 53. v. 6.* *Item*, qvi sit desideratus omnibus gentibus *Hagg. 2. v. 8.* & σωτήριον ἡτοιμασμένον κατὰ πρόσωπον πάντων τῶν λαῶν *Luc. 2. v. 31.* Qvibus igitur Deus Messiam & Salvatorem promisit, illis dare eundem intendit. At omnibus & singulis hominibus eundem promisit. E.

VIII. Finis, ob qvem Deus Pater Filium suum misit in mundum, revelatur illis textibus, qvi docent, Christum missum esse â Patre ἵνα σωθῇ ὁ κόσμος *Johan. 3. v. 17.* & ἵνα τὰς ὑπὸ νόμον ἐξαγοράσῃ *Galat. 4. v. 5.* ἵνα ἁμαρτία κατεργήθη *Rom. 8. v. 3.* Voluit itaqve Deus Pater per Christum servare 1. *mundum*, h. e. totum genus humanum, qvod paulo post v. 18. in credentes & incredulos distribuitur, 2. *Legi subjectos*, qvales sunt omnes homines & 3. *peccatores*, qvi itidem omnes homines.

IX. Finis qvem Christus ipse suæ incarnationi & missioni præfigit, intentionem eam evincit, qvæ probanda: Ita enim inqvit: οὐ γὰρ ἦλθον καλέσαι δικαίους ἀλλ' ἁμαρτωλοὺς εἰς μετάνοιαν *Matth. 9. v. 13.* ἦλθε ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου σῶσαι τὸ ἀπολωλός *Matth. 18. v. 11.* ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἦλθε διακονηθῆναι, καὶ δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν *Matth. 20. v. 28.* ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἦλθε ψυχὰς ἀνθρώπων ἀπολέσαι, ἀλλὰ σῶσαι *Luc 9. v. 56.* οὐκ ἦλθον ἵνα κρίνω τὸν κόσμον, ἀλλ' ἵνα σώσω τὸν κόσμον *Johann. 12. v. 47.* Hæc omnia complectitur Apostolus in aureo suo Aphorismo 1. *Timoth. 1. v. 15.* Uti ergo omnes homines convertendi, perditi, redemptionis indigi, servandi tanqvam peccatores omnes facti; ita ea intentione venit Christus, ut omnes redimeret converteret, & servaret.

X. Universaliter Deus se omnium hominum conversionem & vitam æternam expetere, attestatur *Ezech. 18. v. 32. Matth. 23. v. 37. Rom. 11. v. 32. 1. Timoth. 2. v. 6. 2. Pet. 3. v. 9.* In his veram suam intentionem atqve mentem Deus occultasset, si non omnes; sed paucos Filio suo Redemptore frui, voluisset.

XI. Causa propter qvam damnantur Impii, scriptura teste, est incredulitas, respuens Christi beneficia & meritum *Marc. 16. v. 16. Johan. 3. v. 18. 36. c. 8. v. 24. c. 16. v. 9. 2. Thess. 1. v. 8. 2. Thess. 2. v. 10. 1. Pet. 2. v. 8.* Qvod si Deus nunqvam intendit, ut Christus impios & damnatos redimeret,

qvo-

qvomodo ob incredulitatem juste poterunt damnari increduli? Qvis illum Patrem familias justum diceret, si puniret servum ob spretum cibum, qvando nunqvam voluit Paterfamilias, ut hoc cibo servus vesceretur?

XII. Exceptionibus Adversariorum resistunt hi Aphorismi 1. Distinctio Calviniſtica inter *sufficientiam* & *efficaciam* meriti Christi duplicem admittit sensum: *Verum* sc. & *confictum*: *Ille* se offert, si per sufficientiam sufficiens satisfactio & Redemptio ex Dei intentione pro omnibus & singulis hominibus præstita intelligatur; & hoc in sensu, efficacia notat Redemptionis applicationem, qvæ facta est fide: *Hic* fovetur â Calvinianis, qvi docent, per sufficientiam intelligi meritum Christi *in se* consideratum, & sic illud sufficere ad redimendum genus humanum universum, *si Deus velit, ut illis sufficiat*: Hinc per efficaciam, illud Christi meritum designant, qvod Deus solis Electis & credentibus ceu sufficiens λύτρον dare intendit: Hanc esse Calviniſtarum mentem, propriis ipsorum verbis evicit *Huberus contra Kimedont. pag.* 30. *seqq. & in Disp. 2. cont. Synopsin Kimedont, de Cotburnis sufficientia & efficientia*, item *Gerhard. tom.* 2. *Loco de Prædest. §.* 117. *D. Meisner. d. l. & D. Nicol. Hunn. in dicta* διατύπωσει §. 740. *seqq.*

XIII. Sufficientia, qvalis â Calvinianis fingitur, non est sufficientia, qvia negant, Dei consilium & intentionem unqvam fuisse, ut Christus sufficienter expiaret omnium hominum peccata, qvod prædicti Authores prolixe ostenderunt. Vera autem λύτρου sufficientia requirit *intentionem Solventis & Dantis*, qva sine *potentionali* saltem & *remota* est sufficientia. E. g. sint in Turcia captivi subditi Imperatoris Romani, ad qvos redimendos sufficiat Thesaurus Imperatoris: Qværitur, si Imperator Rom. nunqvam velit vel intendat, captivos suo thesauro redimere, Num opes Imperatoris dici possint sufficiens λύτρον pro captivis in Turcia exsolutum? Nemo hoc affirmabit, nisi amens, cum tamdiu thesaurus Imperatoris *potentionalem* tantum habeat sufficientiam ad redimendum captivos, qvamdiu Imperatoris non adest consilium & intentio, qvæ thesauros ad λύτρον pro Captivis exolvendum sufficiens ordinet: Sic opes Nabal erant sufficientes ad alendos Davidis milites sed non nisi potentionalis sufficientia erat in illis, dum Nabal non intendebat de opibus suis qvicqvam communicare

De-

Davidi ejusqve militibus. 1. Sam. 25. Expendantur jam nostra argumenta, & apparebit, potentionalem hanc sufficientiam in λύτρῳ Christi pro nobis dato, apertis Scripturæ dictis convelli atqve everti.

XIV. III. *Distinctio inter genera singulorum & singula generum* suo loco tolerari potest & deber, qvod in dictis supra citatis admitti debeat, firmis argumentis Conscientiæ satisfacientibus est ex textus συνέχεια evincendum.

XV. IV. *Mundi* vox qvod in argumentis nostris solos Electos designet, probandum est. Si vel maximi aliis in locis hæc significatio agnoscenda esset, non tamen certa est Conscientia, qvod in omnibus illis dictis, qvæ supra sunt allata, eadem significatio sit menti Spiritus S. conformis. Verum anteqvam hoc probandi labore Adversarios gravemus, vel unicum monstrari petimus scripturæ textum, quo vox *Mundi* solos Electos significet: Præsupponunt, sed non probant; : *ad solos Electos missos Apostolos* Matth. V. 14. *Solos electos esse agrum in quem projicitur Dei Verbum* Matth. XIII. 38. *Solis electis ex intentione Dei esse datam & acquisitam Vitam* Johan. VI. 33. *Solos Electos & credentes fuisse Christum sequutos* Joh. XII. 19. *ut soli electi credant Christum fuisse missum à Deo* Joh. XVII. 21. *Abrahamum esse haredem Electorum vel credentium ut est eorum Pater* Rom. IV. 11. 13. Hæc qvæsita affirmare & probare tenentur Adversarii, anteqvam obtinere poterunt, mundum notare solos Electos: In locis *Johan. 1. v. 9, 1. Tim. 3. v. 6.* non de *mundo*, sed de *hominibus in mundo* sermo est.

XVI. V. Qvamvis & scriptura sacra & qvotidiana Experientia credere nos cogat, maximam hominum partem se cum Deo non reconciliare, à Deo in gratiam non recipi, non servari, justificari, & vitam æternam non adipisci; tamen non restringenda sunt scripturæ testimonia superius annotata ad solos Electos: Sic enim prorsus negatur & tollitur literalis scripturæ sensus, qvi talem Redemptionem involvit, qvæ certo respectu & modo ad totum genus humanum pertinet: Qvalis sit hic modus & respectus, qvo Christi meritum omnibus & singulis Hominibus dicitur destinatum S. Scriptura non reticet, cum meritum hoc universale esse, testetur, ratione Δόσεως, *intentionis Consilii seu Voluntatis DEI antecedentis*

tis & acquisitionis; Particulare autem illud fieri, indicat, qvoad λήψιν, *Applicationem, Voluntatem Dei Consequentem & actualem bonorum cælestium possessionem.*

XVII. VI. Καταλλαγὴ κόσμε Röm. XI. v. 15. si vel maxime accipiatur de fidelibus vel gentilibꝰ conversis non tamen omnes fideles vel conversi gentiles sunt Electi, adeoqve ex hoc loco probari non potest per Mundum aliqvando in *Bibliis* designari Electos. Penitius qvi intuetur verba Apostoli, animadvertit, ea loqvi de gentibus, non qvatenus *Conversæ*; sed qvatenus DEO *conciliatæ*, per Christi passionem & mortem, cujus fructum qvod agnoverint & perceperint credendo, Judæorum ἀποβολὴ præbuit ansam & ἀφορμὴν.

XVIII. VII. Verba *Johannis* I. *Ep. cap.* 2. *v.* 2. non possunt explicari ex verbis *Johan. XI.* 52. ut æqve Christus sit *propitiatio pro totius mundi peccatis*, atqve *collegit dispersos Dei Filios*: qvia in ultimo hoc dicto non est vox *mundi*, sed vox *Gens*, non opponitur *totus mundus fidelibus*, nec *propitiationis pro peccatis* ulla fit mentio. Johannes â fidelibus procedit ad universum Genus *Humanum* luculenta ampliatione, ut svadeat, ne qvis peccatorum desperet, & ab Intercessionis salutari fructu se excludat.

XIX. Phrasis *tollere peccata*, duplici in Significatione occurrit 1. notat remissionem peccatorum acqvisitam, ut *Johan. I.* 29. ubi respicitur ad Christi *Sacrificium*, qvo ut Agnus, factus est propitiatio non solum pro fidelium, sed totius mundi peccatis. 2 remissionem peccatorum *fide applicatam* indicat, de qva loqvitur Psaltes Regius *Ps.* 32, *v.* 2. interprete Apostolo *Rom. IV.* 6 7 8.

XX. IIX. In Dictis *Rom. XIV.* 15. 1. *Corinth. VIII.* 11. si duntaxat attendatur periculum, qvod nunqvam potest evenire, omne robur argumenti Apostolici infringitur; Paulus enim ita infert: Infirmus frater ita tractandus ne pereat, qvia Christus pro eo mortuus: Si jam præsupponas, illum nulla ratione perire potuisse, pro qvo Christus est mortuus, Paulus provocasset ad periculum, qvod nullatenus fuisset metuendum, ejusqve illatio ita potuisset infringi: Qvod periculum plane metuendum non est, non etiam permovet, ut â Scandalo, qvo offendi potest infirmus Frater, abstineamus: Voces ἀπόλυε & ἀπόλῆται non possunt his Dictis solam offensionem vel Scandalizationem significare, qvia non omnis perit statim, qvi Scandalisatur, sed ille perit, qvi offendiculo fide salvifica privatur.

XXI. IX. Tentatum & de Remissione peccatorum anxium non possumus erigere hoc Syllogismo, qvem offert *Masson part. 3. Anatom. univ. cap. 9. pag. m. 195. & 267.* Qvicunqve in Christum credunt & sunt Christi Oves, percipiunt salutarem fructum de ejus passione & morte. At tentatus & de Remissione peccatorum sollicitus credit in Christum, & est Christi Ovis. E. Hic Minorem non admittit tentata & afflicta Conscientia; in tentatione enim Fides non sentitur, & Conscientia semper fluctuat, an credat, & qværit Verbum Dei, cui credendum. Si jam offeras verbum, qvo docetur, Christum efficaciter ex *Dei* intentione pro solis Electis esse mortuum, nulla exurgit Fidei πληροφορία, qvia Electio est particularis & nullum extat verbum, ex qvo discere qveat tentatus & afflictus, se esse Electum. Nisi itaqve concedas; Scripturam docere, Christum velle, ut credamus, se pro omnibus & singulis esse mortuum, nunqvam tentatam & afflictam Conscientiam convinces, qvod verbo Evangelii credat: Qværens enim promissionem de remissione peccatorum, â Christo partam, nullam invenit, nisi doceatur; DEi ex Intentione & Voluntate Christum pro omnibus & singulis peccatoribus esse mortuum, ut suo merito confiderent, adeoqve peccatorum Remissionem consequerentur.

ANTITHESES.

I. *Augustinus* in *Disputationibus* cum *Donatistis* inclinat interdum ad eos, qvi negant, Christum ex Dei intentione pro omnibus & singulis esse mortuum: Vocat enim Christum propitiatorem totius mundi *propter triticum*, qvod est per totum mundum *Epist. 48. tom. 2. col.* 182. Mundum fidelibus â Johanne 1. Ep. 2. oppositum interpretatur *Ecclesiam*, & mundum, ex inimico, damnato & contaminato mundo *electum, tract.* 87. *in Joh. tom. 9. col.* 457. Deum *non nisi Ecclesiam sibi reconciliasse*, qvando fuit in Christo & reconciliavit sibi mundum, Lib. contra Donat. post collat. cap. 6. tom. 7 col. 598. scriptum reliqvit.

II. *Thomas in Summa de Verit. Matth. 26. q. 2.* ita docet: Meritum Christi qvantum ad *sufficientiam*, æqvaliter se habet ad omnes; non autem qvantum ad *Efficaciam*; qvod accidit partim ex libero arbitrio, partim ex *divina Electione*, per qvam qvibusdam misericorditer effectus meritorum Christi confertur, qvibusdam v. *justo Dei judicio subtrahitur*.

III. Ec-

III. Ecclesiæ, qvæ Reformatæ audire gestiunt, tales edunt Confessiones: *Ex sacris literis Ecclesiæ Orthodoxæ hactenus crediderunt & docuerunt, licet mortis Christi in se spectatæ & consideratæ virtus ac dignitas tanta sit, ut omnibus & singulis Hominibus, si vel plures, qvam milleni essent mundi, Deo reconciliandis & peccatis eorum expiandis sufficiat, neqvaqvam tamen per eam omnibus Hominibus ipso actu redemptionem, reconciliationem, remissionem peccatorum & vitam æternam impetratam sive acqvisitam & obtentam esse, ita, ut omnes omnino Homines dici possint cum Deo per mortem Filii sui reconciliati, redempti & jus remissionis peccatorum æternæqve vitæ habere, sed omnia illa beneficia Christum passione & morte sua* acqvisiviſſe & obtinuiſte ſolis ſuis ovibus ſ. Electis, *qvos Pater ipsi redimendos æternumqve salvandos tradidit, atqve adeos, & non ad alios beneficia illa proprie spectare.* Synod. Dordrecht. in Judic. Exter. pag. 114. *Christus pro omnibus & singulis Hominibus non satisfecit, sed qvosdam in Corruptione ab Adamo contracta reliqvit.* Confeſ. Gallicana pag. 103. Conter. Confeſſ. Belg. pag. 171. Bezam part. 2. Resp. ad Acta colloq. Mompe gard. pag. 212. Paræum in Synod. Dordr. Sess. 99. Molinæum seſſ. 143. Theolog. Palat. in Synod. Dordr. pag. 609. seqq. Willet. de grat. DEi Univ. pag. 156. Collat. Hag. pag. 123. &c.

IV. Non deſerunt horum Doctrinam illi, qvi confitentur, Christum pro *toto mundo & omnibus Hominibus esse mortuum*: qvia intelligunt vel *Vim* & *Sufficientiam*, qvæ deſtituitur DEi Voluntate & affectu, vel *Electos ex omnibus populis & genera singulorum.* Hunc ſenſum phraſeos à Calvinianis prolatæ aperuit *Masson. tom. 3. Anatom. cap. 9. pag. 193.* Dis iſt der gantze freye Rath und gnädige Wille und Vorſatz GOttes des Vaters/ das die Lebendige und Seligmachende Krafft des theuren Tods ſeines Sohns ſich erſtrácken ſoll auf die Auserwehlten / auf das er ihnen alleine den Seligmachenden Glauben ſchenckete / und durch daſſelbe ſie unfehlbar zu der Seligkeit brächte / das iſt / GOtt hat gewolt/ das Chriſtus durch das Blut ſeines Creutzes aus allen Vólckern / Stámmen / Geſchlechten und Zungen / alle die jenige und allein Kráfftiglich erlóſen ſolte / die von Ewigkeit zu der Seligkeit erwehlet/ und von dem Vater ihme gegeben ſind &c. pag. 169. Wir gláuben / das Chriſtus für alle / alle / alle und alſo für der gantzen Welt Sünde geſtorben ſey / dann die Schrifft redet alſo 2. *Corinth. V. 15. Hebr. II. 9. 1. Johan. II. 2. Jo-*

Dan. I. 29. Wann aber gefragt wird / wer dieselbige alle sein? So antworten wir mit der Schrifft: Es sind alle Gläubigen die hin und wieder in allen Ständen und Völckern in der gantzen Welt zerstreuet sind. p. 199. So wird hie gefragt: Ob Christus auch gedachter Massen für die Gottlosen und Verdammten gestorben und sie also würcklich erlöset habe? Wir sagen/Nein: Und sagen darneben/ das Christus allein für die Gläubigen gestorben sey / und durch seinen Todt ihnen das ewige Leben und Erlösung vom Todt und ewiger Verdamnis würcklich erworben habe.

HYPOTHESES.

I. In omnibus ferme argumentis, qvæ Adversarii opponunt, Christi beneficia *acquisita* & *ex parte DEI oblata* evertuntur per Beneficia illa *applicata* vel ex *parte Hominum repudiata*: Dum enim extra Controversiam soli credentes justificentur, consequantur remissionem peccatorum, eximantur à dominio peccati & mortis, fiantqve hæredes vitæ æternæ, inferunt Adversarii, solos Credentes, non autem impios efficaciter ex Dei intentione â Christo esse redemptos & Deo reconciliatos. *Huic* Sophisticationi occurrunt nostri Theologi Distinctione inter Redemptionem *acquisitam & applicatam*; *Hanc* particularem, largiuntur, *illam* autem Universalem, ex scripturis profitentur. Ne qvis fictam hanc Distinctionem proclamet, ipsi substernimus 1. Verba Apostoli 2. *Corinth. V.* 20. qvibus monet, ut Corinthii Deo reconcilientur, & præmittit, Deum sibi mundum reconciliasse *v.* 18. 19. Nisi hic priorem Reconciliationem ut *applicatam* & posteriorem ut *acqvisitam* agnoscas, Contradictionis laqveo Apostolum constringis, ac si docuisset, illos adhuc fuisse reconciliandos, qvi jam fuerunt reconciliati. 2. Phrases Biblicas, qvæ asserunt, Christum φωτίζειν πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον. *Johan.* I. 9. δι' ἑνὸς δικαιώματος εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς δικαίωσιν ζωῆς. ὥσπερ γὰρ διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν οἱ πολλοὶ; οὕτω καὶ διὰ τῆς ὑπακοῆς τοῦ ἑνὸς δίκαιοι κατασταθήσονται οἱ πολλοὶ Rom. V. 18. 19. omnes in Christo vivificandos, qvi in Adamo mortui 1. Corinth. XV. 22. Hæc dicta ut accipiamus de applicatione fidei, vetat S. Scriptura & experientia, qvæ plenis clamat tibiis, omnes Homines â Christo non illuminari, justificari & vivificari;

ri; qværitur igitur, qvomodo verbis S. Spiritus sua constet veritas? Calviniani respondent, non de singulis generum, sed generibus singulorum esse ea exponenda: At Ampliantes phrases & oppositiones inter peccatores & justificatos, mortuos & vivificatos omnem restrictionem ad particulares personas excludunt; Idcirco aut neganda Scripturæ dicta, aut admittenda Illuminatio, justificatio & Vivificatio, qvæ universalis ex Dei Intentione, ex parte offerentis, in Voluntate DEI antecedente & qvatenus hæc beneficia sunt acqvisita vel præparata. Rom. V. non solum docetur, qvod omnes per Adamum secundum justificentur, qvotqvot justificantur, sicut omnes propter Adamum primum nascuntur peccatores; sed insimul latitudo utriusqve Subjecti indicatur & uti Inobedientia Adami primi invenit subjectum in omnibus Hominibus, propter propagationem; ita Christi obedientia transit ad omnes homines, qvatenus illa pro omni Inobedientia satisfecit, & Dei intentio fuit, ut ea omnes justificarentur. 3. Plurima Dicta & Exempla in sacris literis, quæ attestantur, paucos, non omnes Homines credere in Christum, justificari, & Vitam æternam consequi. Uti hæc in simplicitate fidei tenenda; ita non neganda illa, qvibus in thesib. edocuimus, Christum esse missum ut salvaret totum mundum. Utrumqve verum, qvia Applicatio particularis non statim arguit particularem acqvisitionem, sed manet Christus Salvator omnium Hominum, qvia salutem omnibus promeruit; & omnes vult salvare, maxime autem fidelium est Salvator qvibus acqvisitam salutem actu applicat. 1. Tim. IV. 10.

II. Absurdam, ineptam & inusitatam si Adversarii datam Distinctionem arguant, opponimus ejus Exempla 1. in *Serpente* æneo, qvi omnibus à Serpentum ictu vulneratis offerebat sanitatem & vitam, qvam tamen non omnes impetrabant, sed illi duntaxat, qvi eum aspiciebant. Num. XXI. 8. 9. 2. in *Hirco emissario*, qvi omnes Iniqvitates Israelitarum sibi impositas portabat in desertum. Levit. XVI. 21. seqq. nec tamen omnes Israelitæ impetrabant remissionem peccatorum, sed soli illi, qvi veram agebant pœnitentiam. 3. in *Liberatione è Captivitate Babylonica*, qvam Cyrus Rex Persarum omnibus obtulit 2. Paralip XXXVI. 23. cum tamen multi non egressi ex Babel, tempore Cyri, sed in captivitate manserint, usqve ad tempora Regis Artaxerxis *Esdr. 7. v. 1. 7.* 4. in *Nuptiis Re-*

giis, ad qvas multi invitati, & *Cœna magna*, multis præparata: Et *Rex* omnibus Invitatis præparat gaudia Nuptialia, & Paterfamilias instruit omnibus Cœnam magnam, sed qvidam respuunt oblata bona, eorumqve non fiunt participes. Matth. XXI. 4. seqq. Luc. XIV. 17. 18.

III. Etsi impii sunt *sub ira Dei*, Johan. III. 36. *Christo ignoti*, Matth. VII. 23. *viventes mortui* 1. Timoth. 5. v. 6. & *mancipia Sathanæ* 2. Timoth. II. 26. tamen non licet inferre, qvod nullo modo fuerint â DEO dilecti, â Christo redempti, ad vitam reparati, & â potestate Sathanæ redempti. Scriptura enim interdum loqvitur de impiis in *Communi miseria*, qva omnes Homines concipiuntur & nascuntur: Interdum autem depingit eos in *peculiari militia*, qva gratiam DEi, & Christi meritum incredulitate sua aspernantur. *Primo in respectu* impii DEo reconciliati, â Christo redempti, ad vitam reparati & â potestate Sathanæ liberati. *Secundo in respectu* denegatur ipsis Gratia DEi *specialis*, qva fruuntur credentes: Notitia, qva *novit Christus eos, qvi voluntatem DEi faciunt*; Vita *applicata* & liberatio *accepta*; Interim non eximendi â Gratia DEi *Universali*, Notitia *redimendorum*, Vita & liberatione *acqvisita*.

IV. Cum non de omnibus dici qveat, qvod sint *Christo dati*, inferunt Calviniani, nec omnes esse datos, ut Christus pro illis moreretur. At plus est in Conclusione, qvam in præmissis: Siqvidem alii dati sunt Christo ut *Electi*, Johan. VI. 37. cap. XVII. 20. alii ut *Apostoli* Johan. 16. 12. alii, *ut redimendi & reconciliandi*. 1. Johan. IV. 9. 10. Dictaqvæ negant, omnes Homines esse Christo datos ut Apostolos, & Electos, non statim negant, omnes esse datos, ut reconciliandos & redimendos.

V. Status qvæstionis ab Adversariis plerumqve invertitur. Qvia enim experti sunt, se non posse solidi qvid respondere ad nostra argumenta, qvibus evincimus universalem acqvisitionem, qvâ Christus reconciliationem cum Deo impetravit, illam thesin suis argumentis aggrediuntur, qva universalis omnium hominum justificatio, & salvatio asseritur, â qva qvod nostræ Ecclesiæ abhorreant, jamdudum innotuit.

VI. Ambiguitas est in his phrasibus. *pertinere ad omnes, justificari, illuminari, vivificari, vitam æternam impetrare.* Hæ enim in scripturis interdum notant *Dei intentionem*, & bona â Christo *acqvisita*, ut

ut *Joh.* 1. *v.* 9. *Rom.* 5. *v.* 19. 1. *Cor.* 15. 22. 2. *Cor.* 5. *v.* 19. &c. Interdum notant & Dei *intentionem & hominum fidem*, hoc est *acqvisita & applicata* bona simul. *Priori* in sensu universaliter omnes homines comprehendunt: *Posteriori* autem, (in qvo plerumqve accipiuntur â Calvinianis, qvando contra nos disputant) non universaliter, sed particulariter, solos credentes homines describunt.

VII. Argumentatio Vitiosa est, qva ita infertur: *Christus redemit suum populum, oves, credentes, peculium.* E. *hos redemit solos*: Pari modo posset evinci Resurrectio mortuorum particularis, illorum sc. tantum, qvi fuerunt fideles, qvia horum interdum Scriptura tantum meminit. Talis ergo limitata propositio argumentis Calvinisticis inferatur; *Qvos* in omnibus scripturæ dictis, de Christi Satisfactione docentibus, *tantum redemptos legimus, illi tantum sunt redempti.* Assumptio autem huic propositioni â Calvinianis subjicienda, erit falsissima.

VIII. Particula πολλοὶ, non semper particularis est; sed aliqvando in scripturis Universalis *Dan.* 12. *v.* 2. *Rom.* 5. *v.* 19. *Matth.* 20. *v.* 16. *cap.* 22. *v.* 14.

IX. In Dicto Matth. 15. v. v. 24. Salvator non de *redemptione* vel *merito*, sed de *miraculis & ministerio suo loqvitur*: Patet hoc 1. ex petitione Discipulorum, qva non justificationem Chananææ mulieris, sed ejus Filiæ sanitatem â Christo precabantur. 2. ex consequentibus, qvæ etiam Chananæam mulierem ex fidelium numero fuisse, indicant, qvomodo itaqve ad solos credentes Judæos se missum fuisse affirmare Christus poterit? 3. ex loco parallelo *Matth.* 10. *v.* 6. cum qvo si conferas dicta *Matth.* 28. *v.* 19. *Marc.* 16. *v.* 15. *segq. Luc.* 24. *v.* 47. facile intelliges, Christum de prædicandi & miraculorum ministerio fuisse loqvutum, juxta certam temporis determinationem, anteqvam Redemptionis opus fuit consummatum. Hoc enim dum erat *consummandum*, non nisi extraordinarie gentibus Concio Evangelii & miraculorum gloria erat communicanda. *Hoc autem consummato*, alia â Christo facta est dispositio.

X. Limitanda est Major in hoc Argumento: *Pro qvibus Christus mortuus, illi non sunt condemnandi.* Rom. 8. v. 32. At *pro Impiis Christus est mortuus* E. *Major* ita ex textu Apostolico eruenda: Pro qvibus *Electis* Christus est mortuus, illi non sunt condemnandi. Jam conclusio non est absurda, nec minor absurda est; Absurda autem Wendelini

lini interpretatio, qva textum Apostolicum, qvi conjungit meriti Christi acqvisitionem & applicationem, illi opponit thesi, qvæ meritum Christi universale pronunciat, qvatenus absqve applicatione & fide consideratur.

XI. Mens Salvatoris in dicto *Joh.* 15. v. 13. non est, ut Calviniſtæ opinantur, in Deo nullam majorem esse dilectionem, atqve ea fuit qva dilexit totum genus humanum; alibi enim scriptura testatur, *Specialem* Dei dilectionem, qva complectitur Electos, intensiorem esse generali illa, qvæ consideratur in voluntate Dei antecedente. Christus igitur ad hominum dilectionem respicit, qvæ certe tunc maxima censetur, qvando qvis pro amicis ponit animam suam. Argumentetur jam Reformati & facile apparebit ψεῦδος: Vel enim in majore illud erit, si sic inferatur. *Qui à Christo maxime dilecti, & ipsius sunt amici, pro illis* tantum *posuit animam*: Vel etiam in minore erit ψεῦδος si talis sit illatio. *Pro qvibus Christus animam posuit, illos maxime dilexit.* At *Impios maxime non dilexit.* Et Minorem arguimus falsam, qvæ ex textu probari non potest: Non enim negat Christus de *Patre* vel de *seipso*, qvod majorem non habeant dilectionem ea, qva qvis ponit animam pro Amicis suis, sed de *hominibus* loqvitur, uti antea dictum. Hi ergo sunt gradus dilectionis divinæ. 1. dilexit Deus omnes homines, iisqve misit Filium Redemptorem 2. maxime dilexit amicos, qvos præscivit credituros in Redemptorem: Hæc dilectio non excludit illam, neqve Illa consequentia tolerari debet: *Si pro Impiis ut amicis, non est Christus mortuus, plane nullo modo pro iis mortuus est*, cum scriptura testetur, qvod etiam pro Inimicis sit mortuus *Rom.* 5. v. 6.

XII. Christi oratio vel Intercessio facta 1. pro *redimendis*, 2. pro *electis & credentibus*; *Illa* Esa 53. v. 12. Luc. 23. v. 43. *hæc* Joh. 17. v. 9, 10. &c. occurrit *Illa* generalis, *hæc* specialis; Cui ergo *hæc* denegatur, non statim deneganda est *illa*, cum multis possit subtrahi oratio specificata, cui non potest denegari omnis oratio. Sic non oro pro subdito, ut pro Magistratu, & tamen certo modo possum orare pro subdito; ita etiam Christus non orat pro mundo, ut pro credentibus, & tamen suo modo oravit pro mundo.

XIII. Curiositas in Calvinianis se prodit à Fidei Simplicitate aliena, qvando scrutantur fructum satisfactionis Christi in damnatis:

An-

Annon sufficit *Dei* gratia, qvæ apparuit omnibus; qvid nostra refert, qvalem usum hæc gratia habeat ap. damnatos ? Num statim ideo omnia otiosa & frustranea, qvorum usum & finem nos perqvirere non valemus ? Insuper fuit tempus, qvo damnati Christi meritum sibi applicare potuerunt : cum fructus hujus meriti non tantum præsenti, sed etiam præterito & futuro tempore se exerat. Uti ergo non audiendus, qvi ita colligit : *Si Abraham Isaac & Jacob jam fuerunt salvati, qvando Christus mortuus est, mors Christi respectu horum fuit frustranea* : ita nec illa valet ratiocinatio. *Si multi fuerunt jam damnati, qvando Christus est mortuus, respectu horum mors Christi fuit Frustranea.* Ratio elidens has sequelas in Ep. ad Hebr. *cap* 13. *v*. 8. exprimitur, & per se constat, in *Dei* intentione vel Consilio non esse prius & posterius, ut omni tempore fructus Christi meriti, *Deo* sit præsens, sive *percipiatur*, sive *abjiciatur*. Si *prius* contingit, sequitur æterna hominum salus, si *posterius*, sequitur judicium, & nihilominus elucet *Dei* φιλανθρωπία, ipsiqve increduli fiunt ἀναπολόγητοι.

XIV. *V*oluntatis divinæ revelatio præferenda omnibus speculationibus rationis nostræ. Nobis ita videtur; qvod *Dei voluntas dependeat ab hominibus*, si Deus velit, ut omnes acqvisita â Christo justitia fruantur, qvando eam non respuunt. Item nobis injustum videtur, ut *propter incredulitatem homo condemnetur*, *pro qva tamen Christus satisfecit ?* Item *Christum imprudenter feciſſe* videtur si pro illis esset mortuus, qvós ignis infernalis titiones præsciviſſet &c. Verum *Dei* cogitationes non sunt nostræ, ideo simpliciter de *Dei* voluntate Evangelica revelatum Dei verbum audiendum, reliqvis speculationibus suppressis.

XV. Diversa est consideratio *finalis Impœnitentiæ*, de qva multi scrupulose disputant; *An pro ea sit etiam satisfactum â Christo* : Vel enim res ipsa h. est *peccatum*, vel adjunctum h. est *duratio finalis* in Impœnitentia finali consideranda. Pro *illo*, qvod Christus satisfecerit, non est dubium, multisqve argumentis hoc probavit Dn. *D*. Meisn. in qq. *V*exat. q. 3. De *hoc* ut litigemus, non puto vel utile vel necessarium esse, cum temporis duratio non sit juxta scripturam idoneum objectum, circa qvod versatur Christus suo merito. Etsi

enim duratio finalis Impœnitentiæ videtur afferre ipso actu condemnationem, tamen ipsa impœnitentia est causa proxima damnationis, duratio finalis saltem necessaria qvædam est conditio qvâ sine non damnatur impœnitens. Sic Christus pro æterna damnatorum pœna satisfecit, ipsa autem æterna pœnæ duratio nullibi in scripturis ceu objectum, pro qvo Christus satisfecit, describitur.

XVI. *Apocal. V. 8.* deprædicatur beneficium Redemptionis plene consummatum in altera Vita vel Ecclesia triumphante. Hoc uti non convenit nisi Electis, ita non tollit Universalem hujus Beneficii acqvisitionem, & intentionem DEi de beneficio in omnibus consummando.

Qv. V. *Num etiam Christus satisfecit pro Angelis, ut non solum hominum; sed etiam Angelorum dici possit Redemptor?*

THESES.

I. QVamvis non præscribamus Dei potentiæ limites, negando, qvod potuerit Angelis mittere Redemptorem, qvi & bonos confirmaret, & malos in gratiam reponeret, tamen nullam, credimus extare Dei revelationem, qva hujusmodi Redemptorem Angelis vel missum vel promissum significetur.

II. Dictum *Hebr.* 2. v. 16. Si conferimus cum Regulâ â puriori Antiqvitate recepta: Τὸ ἀπρόσληπτον ἀθεράπευτον, Angelos â Christo non redemptos, agnoscimus.

III. Angeli boni nunqvam sui, sed semper nostri causa, Christum apparuisse, testantur *Dan. 9. v. 24. Matth. 1. v. 21. cap. 28. v. 7. Marc. 16. v. 7. Luc. 2. v. 11.* Angeli mali non ad redimendos, sed ad torqvendos se, Christum venisse, qviritantur *Luc. 4. v. 34. Matth. 8. v. 29.* Confer D. *Hutt. in L. Theol. pag. 472. tom. 7. disp. Giess. disp. 13. th. 166. seqq.*

ANTITHESES.

I. *Otthо Brunfelsius* in Pandectis suis Theolog. p. 16. Christum Angelorum Redemptorem pronunciat: *Christus* inqvit, *etiam pro Angelis & Spiritibus mortuus est.*

II. Scholastici scriptitant, *Christum qvidem non meruisse Angelis bonis gratiam & gloriam, meruisse autem qvorundam mysteriorum revelationem.* Becan. part. 3. Theol. Schol. tract. 3. cap. 14. Q. 9.

III. Qvidam Calviniani affirmare haud dubitant, Angelos in-

indiguiſſe Mediatore, non qvidem redemptionis à peccato, ſed (1.) *conſervationis in bono & gratia*, (2.) *recapitulationis, ut uniantur cum Electis ſub uno eodemqve capite* (3) *juſtificationis, ut manca Angelorum juſtitia* tegeretur coram Deo perfecta Chriſti juſtitia. Vide *Calvin. comm. in Epiſt. ad Epheſ. c. 1. v. 10. Coloſ. 1. v. 20. Bucanum Loc. 6. q. 30. Zanch. parte 1. de Operib. 6. Dier lib. 3. cap. 21.*

HYPOTHESES.

I. Dictum *Epheſ. 1. v. 10.* de tali inſtauratione loqvitur, qvæ fit ſangvine, uti patet ex *v. 7. & Coloſ. 1. v. 20.* Propter Angelos autem ſangvinem Chriſti effuſum eſſe, nunqvam probari poteſt. Per ea itaqve qvæ in cælis inſtaurata leguntur, vel beati homines poſſunt intelligi, vel Angeli, qvatenus ob noſtram cum Deo reconciliationem, hominum facti ſunt iterum ſocii, Amici & miniſtri.

II. Dicta, qvibus Chriſtus vocatur Angelorum caput *Epheſ. 1. v. 22. Coloſ. 1. v. 18. & cap. 2. v. 10. Hebr. 1. v. 6, 7. cap. 12. v. 23.* probant 1. *Angelorum Conjunctionem cum Electis*: Non autem ſtatim ſunt vera Eccleſiæ membra, qvi veræ Eccleſiæ membris cohabitant: Ut enim ſit qvis membrum Eccleſiæ proprie dictum, reqviritur, ut ſit à Chriſto per ſangvinem redemptus, verbo & Sacramentis regeneratus, fide ſalvifica præditus &c. qvæ & ſimilia Angelis non competunt: 2. *Angelorum ſubjectionem, qva Chriſto obtemperant*, non qvidem ut Redemptori; ſed ut Regi ſuper omnia *1. Pet. 3. v. 22. Coloſ. 2. v. 10.* Qvod ſi omnes ſint vera Eccleſiæ membra, qvi ſubjecti ſunt Chriſto, omnia erunt membra Eccleſiæ, qvia Chriſtus caput eſt ſuper omnia. *Eph. 1. v. 22.* Notetur ergo ὁμωνυμία qvæ eſt in voce *Capitis*: Chriſtus enim dicitur Caput vel ratione ὁμοουσίας, qvatenus cum membris de una participat natura, vel ratione ſpiritualis ἐνεργείας, qva myſticum ſuum corpus regit; vel denique ratione *dominii univerſalis*, qvo præſidet omnibus creaturis: *Hoc* poſteriori, non *illo*, nec *iſto* ſenſu dici poteſt caput Angelorum.

III. Dicto *Epheſ. 3. v. 8, 9, 10, 11.* de Angelorum *cognitione*, non autem *Redemptione*, docet Apoſtolus, nec ullum verbum legitur de merito, qvo Chriſtus hujusmodi cognitionem Angelis promeruit.

IV. Dicta *1. Tim. 5. v. 21.* qvod vox *Electi* eum involvat ſenſum, qvem retinet in illis ſcripturæ dictis, qvibus de Electis ad vitam

æternam hominibus agitur, nondum est probatum: Aliud præterea est, *esse Electum*; aliud; *esse in Christo electum*; hoc, non *illud* venit hic in qvæstionem.

V. Dicta 1 Pet. 3. v. 19. *cap.* 4. *v.* 6. *Apocal.* 5. *v.* 9. qvod de Angelis vel bonis vel malis â Christo redimendis loqvantur, nulla textus litera svadet.

Qv. VI. *Num etiam Christus sibi ipsi aliqvid meruit?*

THESES.

I. Si de *merito proprie dicto* qværitur, negando respondemus: si autem κατα χρησικως vox *mereri* sumatur, & idem notet, qvod voces, *impetrare*, *consequi*, *obtinere* &c. Affirmantibus qvæstionem suffragamur; Omnes enim Christi nomen profitentes concedunt, Christum post passionem & mortem conseqvutum esse summam ac cælestem gloriam.

II. Dicta Scripturæ non docent; Christum *proprie* sibi aliqvid meruisse: In Hypothesibus enim apparebit, qvod violenter dicta detorqveantur, qvando probandum, qvod Christus per proprie dictum meritum gloriam ac honorem obtinuerit.

III. Cum phrasi Apostolica *Philip.* 2. *v.* 9. si conferatur dictum *Rom.* II. *v.* 6. non proveniet ex merito proprie dicto, qvod Deus ἐχαρίσατο h. e. ex gratia donavit.

IV. Communicatam divinam majestatem de Carne Christi suo loco demonstravimus: Qvod itaqve qvis â sua nativitate possidet & sponte ad tempus plenarium ejus usum retrahit, illud qvod per meritum acqvirat, dici neqvit. Qvid? qvod sæpe particulariter ante passionem & mortem Salvator suam divinam majestatem exeruerit, adeoqve aperte demonstrarit, se non indigere merito, qvo demum hujusmodi Χρῆσιν acqvirat.

V. Sive obedientiam activam sive passivam attendamus, nullam Christus præstitit sui causa, sed nostri causa, uti jam supra docuimus. Confer *D. Gerh. in Exeg. L. de Pers. & Off. Christi* §. 230. *Polan. lib.* 6. *Synagm. cap.* 26. *& Chamier tom.* 2. *Panstrat. l.* 7. *cap.* 8.

ANTITHESES.

I. Scholastici & Pontificii contendunt, Christum incarnatum sibi meruisse illam claritatem, & gloriam, qvam post Resurrectionem ex mortuis fuit adeptus. *Vide Bellarm. l.* 5. *de Christo cap.* 9, 10. *Greg. de Valent. tom.* 4. *Disp.* 1. *q.* 19. *p.* 3. *Becan. part.* 3. *Theol. Schol. tr.* 1. *cap.*

cap. 14. q. 1. seqq Lombard. l. 3. dist. 18. Bonav. & alii in dicti libri distinct. 18. Gretser. in Defens. Bellarm. tom. 2. col. 383.

II. Socinus Photinianus de *Servat. part. 2. cap. 12.* asserit; Christum *æque pro seipso, atque pro aliis obtulisse*, non quidem ut vel pro nostris, vel pro suis peccatis satisfaceret, sed ut â sua mortalitate liberaretur.

III. Piscator affirmat, quod Christus pro seipso legem impleverit.

IV. Zanchius scribit; Christum sua obedientia sibi promeruisse vitam æternam, in Epist. ad Stuckium pag. 212.

HYPOTHESES.

I. In Dicto *Philip. II. 9.* urgent Pontificii particulam διὸ, quæ tamen non semper αἰτιολογικῶς, sed sæpissime ἐυβατικῶς sumitur ut *Act. 20. v. 26. Hebr 3. v. 6. 2. Pet 1. v. 10.* &c. Hinc Apostolus non *meritum* Christi, sed *ordinem* in Ignominia & gloria Christi *viam* regni, non *causam* regnandi, *consequentiam* Exaltationis, non ejusdem *causam meritoriam* per dictam particulam exprimit, quod ex locis parallelis *Luc. 24. v. 26. 1. Pet. 1. v. 11.* rectius intelligitur.

II. In Dicto Heb. II. 9. Quod particula διὰ notet αἴτιον, probandum est: Annotant enim Grammaticæ græcæ Doctores quod præpositio διὰ cum accusativo constructa interdum etiam μέσον significet, ut in versiculo Homeri lib. X. Iliad διὰ τε ἔντεα καὶ μέλαν αἷμα. *Perque arma & atrum sanguinem.* Præterea nulla cogit necessitas, ut in textu verba διὰ τὸ πάθημα θανάτου construantur cum verbis subsequentibus. Optime enim cohærent cum voce ἠλαττωμένον ut sit sensus; Jesum vidimus *minoratum per passionem mortis*, vel, ut Patri obediret usque ad mortem.

III. Dictum de oblatione precum â Christo peracta Hebr. V. 7. seipsum exponit, & non suæ, sed nostræ salutis causam Christum dicit factum. Errat autem Socinus, quando opinatur, quod omnia quæ de Sacerdote *V. T.* in antecedentibus efferuntur, etiam Christo congruant, quasi consimiliter Christus pro populo & pro seipso obtulisset, uti Sacerdotes V. T. Talis autem applicatio in sacra Scriptura non invenitur.

IV. Dicto Hebr. VII. 27. nihil obtinet Socinus, nisi firmiter

probet, particulam τῶτο referendam esse ad illud proximum (*pro se & pro populo*) & non potius ad illud remotius (*Offerre*) Totus certe in eo est Apostolus, ut ostendat diversitatem inter Sacerdotem *V.* T. & Christum, ob differentiam in *temporis adjuncto* & *offerendi modo*: *De objecto*, proqvo offertur, si diceret Apostolus, qvod illud sit præcise idem in V. ac in N. T. â suo scopo declinaret, qvando non *convenientiam*, sed *differentiam* inter Christum & Pontificem V. T. ostendere intendit, qvæ etiam ratione objecti illustrior, si nobiscum credatur, in *V.* T. Pontificem obtulisse pro *seipso & pro populo*: In N. autem T. *non pro seipso*, sed tantum *pro populo* Christum obtulisse.

VIII. Destructa arce qvam in sacris literis qværuntAntagonistæ, stramineo fundamento insident hæ Scholasticorum qvæstiones: *An humanitas Christi meruerit personalem unionem?* An *Christus sibi meruerit visionem beatificam?* An *idem sibi meruerit gratiam habitualem?* &c. In qvibus discutiendis *Thomas, Svaretz. Valentianus Becanus, Vasqvetz* & alii tempus nullo cum fructu consumpserunt.

CAP. IV.

DE OFFICIO CHRISTI REGIO.

CHristum & Messiam esse Regem Judæi cum Christianis credunt & qvotqvot S. Scripturæ assurgunt ut Epistolæ Divinæ, credere coguntur, Christum appellari Regem *Ps. XLV.* 1. *Ps. XLVII.* 7. *Esa. XXXIII.* 22. *Ezech. XXXVII.* 24. Regem Sion *Ps. II.* 6. *Zachar. IX.* 9. Regem magnum super omnem terram. *Ps. XLVII.* 3. Regem & Filium Regis *Ps. LXXII.* 1. Regem qvi exercet judicium & justitiam. *Jerem. XXIII.* 5. 6. Regem David *Oseæ III.* 5. Regem super Domum Jacob *Luc. I.* 33. Regem pacis & justitiæ. *Hebr. VII.* 2. Regem Israel *Joan. I.* 49. Regem testimonium perhibentem veritati. *Joan. XVIII.* 37. & Regem Regum *Apocal. XIX.* 19. Regium Officium Christi itidem adstruunt alii tituli, qvibus insignitur Princeps Pacis *Esa. IX.* 6. Dux *Dan. IX* 25. Dominator *Malach. III.* 1. Dux gentium. *Esa.* 35. 4 Dominator Israelis. *Mich. V.* 2. *Matth.* 2. 6. Dux & Author vitæ *Act. III.* 15. Dux & Author salutis. *Hebr. II.* 10. &c. His titulis & actibus Christi regiis, qvales sunt, *leges dare, bella gerere, panas*

ac

ac præmia erogare &c. Catholica progignitur Fides de Christo Rege ejusqve Regno, qvam convellere sunt Conati *Judæi*, *Hæretici* & *Fanatici*. *Primi* & *ultimi* hoc Capite retuntendi, medii vel potentiæ, vel Gratiæ vel Gloriæ Regnum suarum opinionum nube obtegunt, qvæ Vento divini verbi aliis in Controversiis dispellenda.

Qv. I. *Estne Regnum Christi Spirituale?*

THESES

I. EDit de hac qvæstione suam Confessionem Ecclesia Christi qvando cum *Sedulio* ita canit:

Hostis Herodes impie,
Christum venire qvid times?
Non arripit mortalia,
Qvi regna dat cælestia.

II. Qvibus argumentis hæc Confessio innitatur? prolixe & nervose derexit *D. Luth. in Ps.* 110. *tom.* 7. *Iben. germ. fol.* 302. *seqq. Brent. Homil.* 59. *in Johann. tom.* 6. *p.* 723. *D. Jacob. Andr. in Disp. de Regno Christi Volum disput. p.* 572. *D. Hunn. tom.* 5. *Op. disp.* 16. *col.* 122. *D. Hutter. in Loc. Theol. pag.* 868. 873. *Jacob. Mart. lib.* 3. *de trib. Elob. cap.* 73. *tom.* 4. *Disp. Giess.* 9. *D. Muller in Judaic. cap.* 22. *pag.* 861. *&c.* Ex Pontificiis vide *Greg. de Valent. tom.* 4. *disp.* 1. *q.* 22. *punct.* 6. *Becan. parte* 3. *Theol. Schol. tr.* 1. *cap.* 24. ex Calvinianis *Morn. de Ver. Relig. pag.* 577. *Polan. lib.* 6. *Syntagm. cap.* 29. *p.* 443.

III. Evidentiora nos afferemus testimonia, qvibus Spiritus S. *Messiæ Regnum* â *Regnis* hujus sæculi distinxit: Hæc loqvuntur 1. de *Regni Initio & incremento.* 2. de *Bellis.* 3. de *Regio Ornatu* 4. de *Regiminis Fructu & Effectu.* 5. de *Subditis* 6. de *Duratione.*

IV. *Inchoatum* legimus Christi Regnum, ut distinctum â Regnis mundi *Dan. II.* 44. Non itaqve fuit ex numero eorum, qvæ exiterunt in mundo. *Amplificatum* Christi Regnum per omnes gentes *Ps.* 11. *v.* 8. â mari ad mare usqve ad terminos orbis terrarum. *Ps. LXXII.* 8. *Zachar.* IX. v. 10 11. *Hæc* Dicta Jesu Nazaræno applicantur *Johan.* XVIII. 36. *Rom.* XIV. 9. *Ephes.* I. 21.

V. *Bella Messiæ* geruntur non armis terrenis *Esa.* IX. 4. 5. *Osea. I.* 7. *Zach.* IX. 10. sed morte & sanguinis proprii effusione *LIII.* 10. 12. necnon virga Oris. *Esa.* XI. 4. & fructu labiorum *Esa. LVII.* 19. Hostes â Messia devicti non sunt visibiles, sed invisibiles, scil. mors. *Ps.* LXVIII. 19. *Esa.* XXV. 8. *Osea*

Oseæ XIII.14. Caput imperans multis terris *Ps.* CX. 6. Qvomodo hæc impleta in Jesu Nazaræno, docetur 2. *Corinth.* X. 4. *Coloss. II.* 15. 16. *Actor.* 20. 28. *cap.* XXVI. 18. *Hebr.* II. 14.

VI. *Regium ornatum* Messiæ cum Spiritus *S.* depingit, ostendit Unctionem, qvæ fit oleo lætitiæ vel Spiritu S. *Ps.* XLV. 8. *Esa.* LXI. 1. Virgam ferream, qvæ conterit Gentes *Ps.* II. 9. Sceptrum qvo dominatur in medio Inimicorum *Ps.* CX. 2. thronum æternum *Ps.* XLV. 7. Coronam, qvæ indicat dominium universale *Ps.* IIX. 6. 7. Asinam & pullum, qvibus insidens ingreditur ut Rex *Zachar.* IX. 9. Remittimur ad hæc dicta in scriptura N. T. *Hebr. I.* 8. 9. *Apocal.* XIX. 15. 1. *Corinth.* XV. 25. *Matth.* XXI. 5. *Act. X.* 38.

VII. *Regiminis*, qvod Messiæ vendicatur *fructum & effectum* deprædicant vaticinia Prophetica, cum prænunciant pacem, cujus non est Finis *Esa.* IX. 7. salutem pauperum qvibus non est adjutor. *Ps.* LXXII. 12. Justitiam qvæ est ipse Jehova *Jerem.* XXIII. 5. Expiationem Iniqvitatis, justitiam sempiternam *Dan.* IX. 24. Conversionem Gentium *Esa.* II. 2. *Ps.* LXX. 10. 11. Effusionem Spiritus S. *Esa* XLIV. 3. 4. 5. *Joel.* II. 28. *Zachar.* XII. 10. & sustentationem ædificii, qvod est Ecclesia *Ps.* CXVIII 22. *Esa.* XXVIII. 16. In Scriptura N. T. ad nostrum Messiam hæc accommodantur *Luc. I.* 33. *Matth. XVIII.* 11. 1. *Corinth.* I. 30. *Hebr. X.* 14. *Luc. XXIV.* 47. *Actor. II.* 16. *seqq. cap. IV.* 11. 12.

VIII. Subditi Messiæ â Prophetis signantur omnes populi *Genes.* XLIX. 10. *Esa.* LXV. 1. populi per annunciationem justitiæ collecti *Ps.* XXII. 31. 32. populi omnium lingvarum *Ps. LXXXVII.* 6. 7. *Dan. VII.* 14. populi Spontanei *Ps.* CX. 3. servientes in timore & exultantes cum tremore *Ps. II. v.* 11. His similes illi, qvi Jesum Mariæ Filium receperunt ut promissum Messiam *Rom. X.* 18. *Coloss. I.* 6. *Actor. II.* 5. *seqq.* 1. *Pet. II.* 2.

IX. *Duratio Regni*, qvod Messiæ proprium, plane diversa â Duratione Regnorum, qvæ sunt de præsenti mundo, qvia permanet cum Sole & Luna de generatione in generationem *Ps.* LXXII. 5. thronus ejus sicut dies cæli *Ps.* XXXIX 30. corroborat regnum judicio & justitia in sempiternum *Esa.* IX. 7. Regnum ejus in æternum non dissipabitur & alteri populo non tradetur. *Dan.* II. 44. potestas ejus æterna, qvæ non auferetur & Regnum ejus non corrumpetur. *Dan.* VII. 14. Hu-

14. Hujusmodi Regnum Filio Mariæ Virginis competere, testatur Angelus Gabriel *Luc. I.* 33.

X. Ex his evidenter liqvet, Regnum Messiæ non esse mundanum, sed cæleste & Spirituale, cui competunt ea, qvæ in Regnis hujus sæculi non sunt obvia, qvia hæc *inchoantur ut alia Regna in mundo, amplificata nunquam per universum mundum, bella gerunt armis Corporalibus contra Hostes visibiles, ornatum afferunt humanum, subditos continent ex certis nationibus collectos, qvorum Conscientiæ Imperii effectum nesciunt, & certas habent periodos, qvibus unum alteri cedit.* At *Regnum Messiæ non est tale.* E,

XI. Judæorum Exceptiones pueriles sunt ineptiæ, qvas propalant hi Aphorismi. I. Duos esse, qvibus Messiæ χρειτήρια adhæreant, unum *Filium Josephi*, qvi pauper exinanitus, humilis & serviens; alterum *Filium Davidis*, qvi opulentus, sublimis, gloriosus & Rex, Judaicum est figmentum, de qvo in Controv. de Evangel. plura addenda II. Vaticinia Prophetica, qvod de Messiâ loqvantur, plerique ex Judæis admittunt; Qvod Jesu Mariæ Filio unice conveniant, dicta Controv. hr. mabimus. III. Paupertatem Christi non prænunciatam, ut Indigentis, qvi nullas opes vel divitias possideat, ipsimet docemus: Cadaver autem agnoscimus hujus Conseq. *Qvi Dives est & Dominus totius universi, suasqve Divitias retrahit, ut humiliari & pauper fieri possit, ille est Rex terrenus & mundanus.* IV. Uti infreqvens in mundo non est; *Homines* successive pluribus ineqvitare jumentis; ita de Messia prædici absqve mendacio potuit, illum sessurum super asinam & pullum, qvia prævidit Spiritus S. futurum, qvod descendens de Asina ascensurus pullum, & vice versa descendens de pullo ascensurus Asinam. V. Ut in textu *Zach. IX. 9.* recedamus â sensu literali, non cogit phrasis בְּנֵי אֲתוֹנוֹת Sæpe enim in Hebræa lingva occurrit Enallage numeri, qvo pluralis ponitur pro singulari, ut *pullus Asinarum* æqvipolleat *pullo ex una de Asinis, qvæ ferunt Onera.* VI. Vocem עֲנִי designare pauperes miseros & humiles, patet ex *Ps. XVIII. 28. Esa 66. 3 Sophon III. 12. Numer. XII. 3. Ps. XXV. 9.* VII. Vocem עוֹלָם non semper notare absolutam æternitatem, non negamus. In dictis autem allegatis, si conjungantur, monstrat infallibiliter durationem, qvæ caret termino & fine, qvia mentio fit potestatis *non auferendæ*, & Regni

non corrumpendi. IIX. Psalmus CX. neqve de *Abrahamo*, neqve de *Saule*, neqve de *Salomone*, neqve de *Hiskia* loqvitur, qvia nullus ex his talis fuit, qvali oblatum sit Sacrificium : Nullus fuit Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech : Nullus consedit ad Dextram DEi.

ANTITHESES.

I. Rabini Judæorum Regnum Messiæ terrenum vel mundanum propugnant, & mirabiles nugas de hoc Regno effutiunt, de qvibus vide *Buxtorff. in Synag. Jud. cap. 36. Helvic. tom. 4. disp. Gieſs. 6. pag.* 137. *D. Muller. de Judaiſmo cap. 22. pag. 863.*

II. *Rabbi Lusitanus in Colloq. Mittelburg. fol 65. ſeqq.* aliqvot argumentis annititur probare : Christum fore Regem Judæorum, cujus Regnum non spirituale, sed terrenum.

III. *Seidelius in Disput. cum Socino* statuit, Messiam, si veniſſet, non cœlestem, sed mundanum fuisse Regem, vide *D. Jac. Mart. d. l. cap.* 64.

IV. De qvibusdam *Scholasticis* refert *Greg. de Valent. d. l. punct. 6.* qvod opinati fuerint, Dominum supra omnia temporalia regna pertinuisse ad Christum, ex Donatione Patris, Regnum Judæ autem ad eundem devolutum ex jure successionis hæreditario.

HYPOTHESES.

I. Judæi in promissionibus de Regno Davidis transferendo ad Messiam confundunt plerumqve τὸ ῥηθὲν κατὰ τὶ cum τῷ ῥηθῷ ἁπλῶς. Messiæ Regnum vocatur Davidis secundum qvid, qvatenus in illo Filius David, Regia fulget majestate : Si vel *locum* vel *tempus* vel *imperii limites*, *modum imperandi* & alia attendas, non in his omnibus *David*is Regnum offenditur in Regno Messiæ : In hoc enim legitur Continuandum Davidis Regnum, cum tali limitatione, qvalis declarat, in multis prorsus diversum fore, Regnum Messiæ â Regno David : E. g. Nathan promittit Messiæ Regnum, qvo occupandum *David*is solium, sed addit ; *hoc Regnum fore æternum II. Sam.* VII. 16. qvale non fuit Regnum David. Esaias Solium Messiæ vocat solium David, sed addit ; *hoc Solium per Messiam corroborandum â modo usqve in sempiternum.* Esa IX. 7. Per Jeremiam Deus prædixit, Davidi nunqvam defuturum Filium, qvi sedeat in throno ejus, sed vocat Filium David *Dominum qvi justitia nostra* Jerem. XXXIII. 16. 17. Limitanda igitur hæc Hypothesis : Illud Regnum est Messiæ, qvod fuit Davidis scil.

scil. qvoad majestatem Regiam in Filio David refulgentem non autem simpliciter qvoad omnia Regalia ; Si jam subsumas, *Davidis* Regnum non fuit *Spirituale*. *E.* ludis παραλογισμῳ παρα τὸ ἀίτιον μὴ ἀίτιον, cum Major de Regno secundum qvid ; Minor autem de Regno Davidis simpliciter ita dicto intelligenda.

II. Phrases Propheticas de Regno Messiæ κατα τὸ χράμμα & literaliter accipiendas, Judæi contendunt : qvibus opponimus 1. Dicta S. Scripturæ de Vita æterna, & phrases V. T. de Rebus N. T. qvæ si κατὰ τὸ ῥηθὸν intelligantur ; In vita æterna erunt Nuptiæ *Apocal.* XIX. 7. deliciæ Convivarum *Esa* LXV. 13. 14. Vestes de auratæ *Ps.* XLV. 10, &c. In N. T. vigebit adhuc Sacerdotium Leviticum *Esa. LXI.* 6. *Jerem.* XXXIII. 18. Jam vi ipsi Judæi non admittunt, in Vitâ æterna tales Nuptias, delicias Convivarum & vestes deauratas fore, qvales sunt in hoc sæculo, nec Sacerdotii Levitici durationem in *N.* T. tolerant verba Angeli *Dan.* IX. 27. Necesse igitur est, ut concedatur: Scripturam phrasibus hujus sæculi Res futuri, & phrasibus V. T. Res Novi describere, ut literalis sensus locum habere non semper possit 2. argumenta thesibus inclusa, qvæ literalem sensum in Vaticiniis de Regno *Messiæ* excludunt 2. Spem Fidelium, qvæ arenæ affigitur, si mundana tantummodo felicitas in Regno Christi expectanda 4. Absona & à Fidei analogia resilientia, qvæ credenda, si literalis διάνοια in Vaticiniis de Regno Christi tenenda : *Prænunciatur* enim mons Domus Dei, altior omnibus Montibus *Esa.* II. 2. Sciflura montis olivarum ex media parte sui ad Orientem, & Occidentem *Zachar.* XIV. 4. ædificatio Civitatis ex carbunculo, Saphiro, Jaspide Smaragdo & lapidibus pretiosis *Esa. LIV.* 11. 12. mustum, qvod stillant montes, lac, qvod fluit ex collibus. *Joel.* III. 18. Qvæ omnia & multa alia, si literaliter accipienda, non apparerer, qvomodo æternæ Hominum saluti in Regno Christi consuleretur?

III. Regnum Christi in se unum, uti & ipse Christus unus Pastor *Ezech.* 34. 33. & unus Rex *Ezech. XXXVII.* 22. triplex autem vocatur, si distinctos *modos* regendi, & diversos *subditos* attendamus. Qvatenus omnes gubernat Creaturas, Operatione potentiæ *Ps.* VIII. 7. 1. *Corinth.* XV. 27. Regno *Potentiæ* dominatur. Qvatenus regit Ecclesiam in terris militantem. *Ephes.* I. 22. Regnum administrat *gratiæ*. Qvatenus beatis Angelis & Hominibus in vita æterna præsidet, damnatis-

qve Angelis & Hominibus justo judicio terrorem incurit, Regno *gloriæ* & *Justitiæ* se præstat Regem. Omnibus autem ut Spiritualis, nullis ut terrenus imperat Rex, manetqve unum ejus regnum, qvod respectu triplicis *Regiminis*, triplicis *status*, & triplicium *Subditorum* triplex Statuitur.

IV. Ex Dictis *Genes.* XXII. 17. 1. *Reg.* IX. 5. promitti Reges terrenos, largimur Judæis: Hi autem eatenus annumerandum Messiam, qvatenus Rex est, negamus: Qvatenus *Homo*, *semen Abraham* & *Vir* est; Non autem statim est Rex, qvi est Semen Abraham vel *Vir*. Qvomodo Regnum Davidis & Salomonis continuetur in Christo. Hypoth. I. dictum 1.

V. Qvamvis Christi Regnum conferatur cum Rebus Corporalibus; tamen non statim terrenum est Regnum: Deus, Vita æterna, Infernus, Angeli conferuntur rebus terrenis. & tamen non sunt Corpora vel Res terrenæ.

VI. Vaticinium *Ezech.* XXXVII. 19. seqq. adimpletum in Reditu Israelitarum ex Captivitate *Babylonica*, qva non solum egressi illi, qvi tempore *Zedekiæ* abducti, sed etiam illi, qvi â *Salmanassare* Capti: Omnibus enim data potestas ut redirent in patriam *Esd.* I. 2. 3. *v.* 12. 13. *cap.* 2 *v.* 3. *Nehem.* 7, 70. *Esdr.* 8. *v.* 35. *cap.* VI. 17. *Esa.* XLV. 1. Spiritualiter impletum hoc vaticinium in Vocatione Gentium ad Regnum Christi *Act.* II. 5. 6.

VII. Prælium cum Gog & Magog, de qvo *Ezech. XXXVIII. XXXIX.* â Messia ut Rege terreno esse factum, non legimus in citatis Capitibus; Dux prælii constituitur verus *Deus* Israelis, *cap.* 38. 3, 21. *cap.* 39. 3. qvem Messiam esse, Judæi inficiantur. Sive impletum sive adhuc implendum dicas vaticinium de Gog & Magog, nunqvam ex illo evinces, Messiam more Ducis vel Regis terreni præliaturum cum Hominum Exercitu. In vaticiniis *Joel. III.* 1. *Zephan. III.* 8. *Hagg. II.* 7. *Zachar. XII.* 3, *Psal. II.* 1. *Dan. XII.* 1. neqve de conflictu cum Gog & Magog, neqve de terreno Messiæ Regno ullum apparet vestigium.

IIX. Christus solvens vel potius removens qvæstionem â Discipulis motam *Actor.* I. 6. 7. non tulcit opinionem de Regno suo mundano, sed Regni Israelis Erectionem ultimo suo adventu futuram indicat: Qvemadmodum enim non vult, ut inqvirant

Disci-

Discipuli tempus, qvo extremo Adventu apparituros *Matth.* XXIV. 36. *Marc.* XIII. 32. ita etiam ad solum Patrem restringit Scientiam temporis, qvo erigendum Regnum Israelis. Qvod autem ultimo adventu, qvo Finis mundi aderit, mundano more Christus sit regnaturus, Dicta de Fine mundi & Extremo judicio haudqvaqvam manifestant. Qvomodo alias Salvator noster Errores Discipulorum de Regno suo redargueriit, passim legimus in Histor. Evang. Vide *Matth.* XVIII. 1. 2. *Matth.* XX. 28 *Luc.* XXII. 25. &c.

Qv. II. *Annon Christus fuit Rex perfecte antequam resurrexit à mortuis?*

THESES.

I. NUlla de hac qvæstione est inter eos, qvi Christiani appellantur Controversia, si de Regis vel *appellatione*, vel *designatione* sermo sit: Si autem qvæstio intelligatur de *potestate* & *majestate* Regia, qvidam obveniunt, qvi hanc Christo ante mortem & Resurrectionem, haud concedendam, dicet tant.

II. His ut resistamus, potestatis vel majestatis Regiæ κτῆσις distinguenda à plenaria ejusdem Χρῆσει: *Hanc* si involvit qvæstio, negando respondemus, moti argumentis qvæ adducta à nobis sunt alibi. *Illam* autem si qvæstio exhibeat, affirmamus: Christum ante Resurrectionem qvoad κτῆσις majestatis ac potestatis Regiæ fuisse Regem.

III. Scripturæ theses nostræ congruas eruimus ex *Regia potestatis Exercitio*, qvod Evangelistæ ostendunt in Christo nondum mortuo & resuscitato: Testantur enim de illo, qvod præceperit immundis Spiritibus ἐν ἐξουσίᾳ καὶ δυνάμει. *Luc.* IV. 36. qvod compescuerit motus Venti & maris *Matth.* VIII. 26. qvod mortis vincula præcepto suo ruperit *Marc.* V. 41. *Luc.* VII. 14. *Johan.* XI. 43. qvod Discipulos s. Legatos miserit, iisqve dederit ἐξουσίαν Πνευμάτων ἀκαθάρτων, ὥστε ἐκβάλλειν αὐτὰ καὶ θεραπεύειν πᾶσαν νόσον καὶ πᾶσαν μαλακίαν. *Matth.* X. 1. *Luc.* X. 1. 17. 19. qvod Hostes verbo suo prostraverit, *Joh.* XVIII. 6. & qvod claves regni cælorum Petro commiserit *Matth* XVI. 19. His actibus obvenit Rex cælestis & spiritualis, qvalem fuisse Christum, in statu Exinanitionis, erat demonstrandum.

IV. Ipse Salvator, sibi, ante mortem & Resurrectionem, datam esse potentiam ac majestatem æterni ac Summi Regis, fatetur, cum inqvit: πάντα μοι παρεδόθη ὑπὸ τοῦ πατρός μου. *Matth. XI. 27.* ἐξουσίαν ἔχει ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ τῆς γῆς ἀφιέναι ἁμαρτίας. *Matth. IX. 6.* ὥσπερ ὁ πατὴρ ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ οὕτως ἔδωκε καὶ τῷ υἱῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ *Johan. V. 26.* πάτερ ἔδωκας αὐτῷ ἐξουσίαν πάσης σαρκός, *Johan. XVII. 2.*

V. Hujusmodi eloqvia non de nuda *prædestinatione* vel *destinatione* ad officium Regium possunt intelligi, cum aperte δόσιν adeoqve consequentem λῆψιν ac possessionem denotent; idcirco non patimur, ea restringere ad naturæ potestatis concessionem, qvia verba longe aliter nos erudiunt.

ANTITHESES.

Valent. Smalcius in Refut. lib. 2. de Error. Arrian. cap. 14. pag. 310. hæc eructat dicteria: *Quomodo is cælestis & æternus Rex esse potest, qui in terris degens nullam in cælo potestatem habuit & ipsemet morte truculenta peremptus fuit adeoqve prorsus esse ad tempus desiit.* Paulo post: *Novimus differre regiam potestatem ab actu regnandi; sed ut actum regnandi in Christo defuisse, concedit Smiglecius, ante Resurrectionem sic nos* ipsam potestatem defuisse, *docemus.*

HYPOTHESES.

I. Promanat Error Socinianorum *I.* ex *Rationis humanæ dominio*, qvod admittitur in Exinaniti Christi mysterio. In simplicitate fidei qvi credit, Christum exinanitum non usurpasse, qvam habuit majestatem, facile concedit, Christum cælestem & æternum fuisse Regem in morte & in sepulchro, qvia fuit Sanctus Dei, dum jecit in Sepulchro. *Actor.* II, 27.

II. Ex *abnegata Deitate Christi*, de qva repetenda, qvæ suo loco dicta; Scriptura nullibi inculcat, ut Deitati summæ in Christo opponamus Christi mortem, exinanitionem & Sepulturam; Scrutentur igitur Sociniani sua νοήματα, & inqvirant; Annon potius â Rationis dictamine, qvam Spiritu S. ἀνατύπωσις illa prodeat, qvam suæ Doctrinæ substernunt.

III. Ex ψευδεπιγραφᾷ *Dicti Rom. XIV. 9.* [cujus genuinum sensum

sensum ipsa phrasis; κυριεύειν νεκρῶν καὶ ζώντων retegit. Nemini profecto hæc convenit, nisi illi, qvi plenarie utitur Regia potestate adeoqve Apostolus nostram doctrinam corroborat, qvam supra th. 2. professi sumus, nullo autem verbo negat, potestatem, qva Christus dominari valuit viventibus ac mortuis, ante mortem & Resurrectionem ipsi competisse: Sic Christus ad Discipulos ait: *Cum abiero ad Patrem, mittam ego vobis Paracletum* Johan. XVI. 7. qvem qvod etiam ante mortem & passionem mittere potuerit, ipsemet affirmat, cum hæc submittit: *Omnia qvæcunqve habet Pater, mea sunt.* v. 15.

Qv. III. *Num expectandum seculare Christi Regnum qvo cum Electis suis per mille annos regnabit?*

THESES.

A *Confes. art.* 17. damnat eos, qvi Judaicas spargunt opiniones, qvod ante Resurrectionem mortuorum, pii Regnum mundi sint occupaturi, ubiqve oppressis impiis.

II. Qvibus motæ argumentis nostræ Ecclesiæ ab opinione illa abhorreant, qva Regnum Christi seculare expectatur, ante mundi finem & mortuorum Resurrectionem, legere licet in *L. Theol. D. Hutt. pag. 876. Gerhardi tom. 9. Loc. de Consummat. sec. §. 80. seqq. tom. 7. Disp. Giess. 13. in Append. Dieterici Disput. de Fanatis. pag.* 27.

III. Vestigabimus theses S. Scripturæ, qvæ negant tale futurum Christi Regnum ante mundi finem, qvale omnibus ærumnis & calamitatibus liberum: Toties hoc negant sacræ literæ, qvoties affirmant. Vitam Hominum in his terris esse militiam *Hiob. VII.* 1. justorum multas esse tribulationes. *Ps. XXXIV.* 20. latitudinem vitæ nostræ esse laborem & dolorem *Ps. XC.* 10. appropinqvante fine mundi, fore tempus tribulationis, qvale non fuit ab eo, ex qvo gentes esse cæperunt *Dan. XII.* 1. *Matth. XXIV.* 21. ante ultimum Christi adventum, qvo cælum & terra transibunt, fore anxietatem gentium, qva arescent Homines præ timore *Luc. XXI.* 25. 26. Zizaniam â tritico separandam in Consummatione sæculi *Matth.* XIII. 30. 39. 40. Hireos demum separandos ab ovibus in Extremo judicio. *Matth. XXV.* 32. qvo Creatura demum liberabitur â servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum DEi *Roman.* VIII. 18. & Ecclesia Christi liberabitur ab omnibus malis.

malis. *Luc.* XXI 28. *1. Corinth.* XV. 54. II. *Pet.* III. 13. *Apocal.* II. v. 10. Felicitas ergo illa, qvæ demum orietur, cum mundus hic transibit, in hoc mundo non expectanda.

IV. Si expendamus ea S. Scripturæ testimonia, qvæ erudiunt nos de *futuro* & *expectando* Christi Adventu, ne unicum qvidem ex illis inquit, Christum venturum, ut per mille annos, in hoc mundo, cum piis regnet, more Principis terreni, omni prosperitate mundana affluentis. Pleraqve autem ex his negant, resurrectionem fidelium futuram ante novissimum diem *Joh.* XXXIX. 40. 44. *cap.* XI. 24. in adventu Christi adhuc superesse vicissitudinem dierum ac noctium. *Apocal.* X. 6. *cap.* XXII. 20, Solos pios esse â mortuis resuscitandos *Dan.* XII. 2. *Johan.* V. 28. II. *Corinth.* V. 10. Nullus itaqve Christi futurus adventus, si S. literis fidem habemus, qvo ante mundi finem, soli pii resurgent & cum Christo in hoc mundo regnabunt.

V. Piis â mortuis resuscitatis denegat scriptum DEi Verbum statum mundanum & huic sæculo convenientem, qvia de illis tradit qvod sint futuri ἰσάγγελοι *Luc.* XX. 36. hæredes Vitæ æternæ: *Dan.* XII. 2. in corporibus glorificatis I. *Corinth.* XV. 47. *Philip. III.* 20. postqvam in nubibus Christo advecti I. *Thessalon. IV.* 17. De illis piis, qvi â mortuis revocati regnabunt cum Christo in hoc mundo, ne ꝑ extat in Bibliis.

VI. Christus immediate opponit *præsens* & *futurum* sæculum, *Matth.* XII. 31. Regnum autem Christi Chiliasticum nec ad *præsens* nec ad *futurum* sæculum potest revocari: Non ad *hoc*; qvia non durabit mille annos, sed erit æternum *Apocal.* XI. 19. Neqve ad *illud*, qvia in hoc pii variis ærumnis premuntur, 2. *Tim.* III. 13. *Actor.* 14. 22. *Hebr.* XII. 6. 8. *Matth.* XXIV. 13.

ANTITHESES,

I. De Cerinthianis refert *Augustin. lib. de Hæresib. ad Qvodvult. Cap.* 8. qvo fabulati fuerint, futuros mille annos post Resurrectionem in terreno regno Christi secundum carnales ventris & libidinis voluptates, unde etiam Chiliastæ appellati. Vide de Cerintho *Euseb. lib.* 3. *Histor. Eccles. cap.* 25. *lib.* 7. *cap.* 1. *Niceph. lib Hist. Eccl. cap.* 34. de Chiliastis, qvi etiam Millenarii, Miliarii Pepuziani & Montanistæ dicti *Aug. l.* 20. *de C. D. cap.* 7. *Philastr. lib. de hæres. cap.* 59.

II. De

II. De *Judæorum* somniis, qvibus Carnale Christi Regnum sibi imaginati sunt, dictum Antith. q. 2. Confer *Gerh. d. l.* §. 67.

III. Chiliastarum opinioni de mille annis, qvibus Christi Regnum in hac terra corporaliter consistere debeat, qvidam antiqvi Patres adhæserunt, ut Papias ap. *Euseb. lib. 3. Histor. Eccles. cap.* 36. *Niceph. lib. 3. Histor. Eccles. cap.* 20. Justinus Mart. in *Dial. cum Tryph. p.* 139. 140. *Tertull. l. 3. adv. Marc. cap.* 24. *Lactantius lib.* 7. *Instit. cap.* 24. Confer *Gerh. d. l.* §. 69.

IV. *Anabaptistæ* finxerunt, oportere ante novissimum diem in terris regnum Christi tale existere, in qvo pii dominentur, & omnes impii opprimuntur. Vide *Gerh. d. l.* §. 71.

V. Superius sæculum & illud, qvod adhuc labitur ferax fuit ὑπερασπισῶν Chiliasticæ opinionis. *Johannes Erasmus* Arrianus in libr. contra Thyr. Jesuitam docuit Anno Christi 1588. *Regnum Papæ in his terris evertendum, omnesqve hostes destruendos, â qvibus pax Ecclesiæ hactenus fuit interturbata, nullos fore in Ecclesia Seductores, malos separandos â piis, ut sanctissimus sit Consensus in Cognitione veri DEi, qvando Christus clarissime conspiciatur in Ecclesia.* Anno 1578. *Nathanael Ælianus* negavit statim post Christi secundum adventum seqvuturum extremum judicium, *cum prius Christus regnabit in terris, cum reavivis in Martyribus, Methistæ*, qvi nostro sæculo Anno 1616. tumultuati sunt tria finxerunt sæcula: Unum *Patris*, qvod â Creatione mundi ad Christum incarnatum durarit: Alterum *Filii*, qvod ab Incarnatione Christi ad sua tempora se extenderit. *Tertium* Spiritus S. cujus initium suo tempore futurum, & per mille annos continuandum. Horum imaginationes qvam vis Eventus vanas & futiles comprobavit, subinde tamen dementavit Sathanas alios, qvi sæculum promiserunt Ecclesiæ, qvo ab omnibus Papæ & Turcæ infestationibus liberandæ, tranqvilla qviete donanda, & optatissima felicitate in his terris recreanda, qva de fabula, superioribus annis Chartæ divulgatæ â *Fratribus roseæ crucis*, â *Nagelio*, *Esaia* Stieffel/ *Zieglero*, Geigern/ Faulhabern/ Hans Warnern/ Georg Richtern & aliis.

VI. Franc. Puccius in lib. de Servat. pag. 100. fabulatur itidem de Regno mille annorum, ante Resurrectionem singulorum

Hominum, qvo florebunt omnes Virtutes, exulabunt omnia vitia ac fluent aurea illa Ecclesiæ sæcula, qvæ Prophetæ, Apostoli ac Sibyllæ passim promittunt ac describunt.

VII. Qvomodo *Pontificii, Calviniani & Sociniani* Chiliastis ablandiantur, monstravit *D. Gerh. d. l. §. 73. 76. 77.* *D. Alstedius* scripsit librum de 1000. annis Apoc XX. 1. seqq. qvorum Initium constituit in Anno 1694. & tunc Christum peculiari modo cum Sanctis regnaturum, existimat. Anno Christi 1644. prodiit scriptum, sub Tit. Unpartheyische Censur und ferner Nachrichtliches Bedencken über Herrn Johann. Henrici Bisterfeldi Fürstl. Siebenburgischen Theologi Explication der Vision bey dem H. Propheten Daniel an 7. Cap. von des Menschen Sohn und Obersten Gerichtsheiligen auf Erden. In hoc Scripto lit. t hæc leguntur verba. Die tausend Jahr Apoc. XX. 1. sein ein von GOtt bestimmter Termin des triumphirenden Königreichs Christi und seines heiligen Volckes auf Erden. Nach dem Gleichnis des Anti Christs / der als angemasseter und fürgelauffener Stadthalter Christi auch in die tausend Jahr lang / sein Ober-Gebiet uber die vornehmste Könige und Reiche der Welt durch Göttliche Verhängnis erhalten. Initium horum mille annorum ante destructum Anti Christum Rom. non expectandum scribit: & novum qvasi mundum introducit, currentibus mille annis, qvo Bestialia imperia emendanda, omnis Tyrannis sustollenda & ampla pax reducenda, de qva in *Ps. 72. Mich. IV. Esa. 2.*

HYPOTHESES.

I. Radix, ex qva progerminat Chiliastica Opinio est Φρόνημα τῶν ἐπιγείων, qvia multi â Christo non expectant bona Spiritualia & æterna; sed terrenas opes, Monarchiam, pacem terrenam & alia commoda corporalia. Horum dum flagrant desiderio, somniis suis se oblectant, qvibus spem votis & cupiditatibus suis conformant.

II. Ex Dicto Apoc. XX. 1. 2. 3. seq. Si Conclusionem probandam elicere cupiant Chiliastæ, probandum erit 1. literaliter & ῥητῶς loqvi Johannem de Angelo, qvi clavem habet abyssi, & de Dracone, qvi catena alligatus. 2. mille annos esse numerandos juxta Arithmeticam Vulgarem

rem & usitatam. 3. de naturali vita & morte loqvi v. 4. & 5. cum Resurrectio prima v. 5. indicet, hic heri sermonem de *morte Spirituali* & v. 4. de *morte naturali*. 6. *A*nimas decollatorum propter testimonium Jesu, regnasse cum Christo mille annis, postqvam Corpora resuscitata â mortuis. 7. *P*articulam ἕως v. 5. ponere in Conseqventi, qvod negavit in antecedente, ac si statim post mille annos resurrexerint cæteri mortui; Aliis in scripturæ dictis sæpe notat hæc particula continuationem antecedentis, ut. 1. *Sam.* 15. v. 35. 2. *Sam.* 6. 23. *Ps.* 110 1. *Esa.* 42. 4. His nondum demonstratis, Regnum exulat ê textu, qvi ejus constituta est Sedes. Mille anni tempus longinqvum, qvod, annos humanæ vitæ in terris excedit, cum ne unus nominari possit, qvi mille vixerit annos. Prædicitur itaqve ligatio Sathanæ, qvæ cohibuit Seductionem per Christi ejusqve Nominis Contemptum, qvalis fuit in Ethnicis, qvi Idololatriam crassam disseminarunt. Horum persequtio dum desiit, qvoad Ecclesiam persequtioni obnoxiam, Sathan fuit ligatus, successerunt autem alii persequtores, ut *Arriani*, *Novatiani*, *Donatistæ*, tandemqve ipse *Anti Christus*, per qvos Sathan misere afflixit Christi Ecclesiam, sed ut ligatus, qvia non Confessionem Christi simpliciter prohibuit; sed doctrinam publicam & cultum Externum fraudulenter corrupit. Hinc orta persequtio fraudulenta per Hæreticos, & Anti Christum, in qva multi pii martyres sanguinem fuderunt, qvi regnarunt cum Christo in Ecclesia triumphante & vixerunt, qvatenus partem habuerunt in prima Resurrectione, h. e. renati & justificati sunt, unde secunda mors vel æterna damnatio in illos nullam habet potestatem, uti liqvet ex *v.* 6. Cæteri mortui, h. e. illi qvi non habuerunt partem in prima resurrectione, omni tempore, qvo Sathan ut ligatus sæviit, vita spirituali caruerunt. Post mille annos, hoc est tempus, qvod nullius Hominis vita adæqvat, Sathan solutus, ut liberior sit in seducendis gentibus qvas non solum horrendis bellis implicabit, sed etiam Ecclesiam Dei illis cinget & oppugnabit, usqve ad ultimum Christi Adventum. Confer *Döling. lib. 3. Anti Christi Tymbogerontis. cap.* 42. 43. 44.

III. Vaticinia Prophetica obtorto qvasi collo trahuntur ad

millenarium istum, qvem somniant Chiliastæ: Qvædam ex his vaticiniis agunt de *beneficiis corporalibus*, qvæ Deus Judæis promisit; Hujus generis sunt multiplicatio sobolis *Genes.* 22. 17. *c.* 15. 5. *cap.* 32. 12. possessio terræ Chanaan *Genes.* 27. 39. liberatio ê captivitate Babylonica *Esa.* 49. 18. *Zachar.* V. 9. *Jerem.* 30. *v.* 8. 9. Alia offerunt *Beneficia Spiritualia*, ut cælestem manifestationem *Genes.* 28. 17. Vocationem Gentium ad Ecclesiam *Esa.* 60. 8. *seqq. Esa.* 2. 2. *cap* 11. 6 *seqq.* *Ezech.* 36. 10. & gloriam vitæ æternæ *Dan.* 7. 13. *Esa* 30 26. *cap.* 55. 9. *cap* 65. 13. *cap.* 66. 23. In Visione *Ezech.* 40. proponitur Ecclesiæ N. T propagatio & renovatio sub figurâ novi ædificii: Literaliter si omnia accipias nullum agnosces mysterium â Spiritu S. revelatum.

FINIS LIBRI III.

LIBER

LIBER IV.

DE MUNDI CREATIONE GUBERNATIONE ET CONSUMMATIONE.

Opera Dei, qvibus ἀόρατα αὐτῦ h. e. ἀΐδιον δύναμιν καὶ θειότητα aspicimus vel *generatim* vel *speciatim* objiciuntur intellectui. *Generatim* totus Mundus se offert, circa qvem Deus tripliciter versatur, adeoqve hujus Libri Controv. erunt tres, qvarum *prima* Creatum, *secunda* gubernatum, *tertia* consummandum evolvet Mundum. *Speciatim* Dei opera in Angelis, Hominibus & aliis Creaturis conspicua, de qvibus suo loco inferius.

CONTROVERSIA I.

DE MUNDI CREATIONE.

Lactant. lib. 2. Instit. cap. 1. argumentum primæ hujus Sectionis ita enarrat: *Deus verus stabili terram firmitate suspendit, cælum astris fulgentibus distinxit, solem rebus humanis clarissimum ac singulare Lumen in argumentum suæ Unicæ majestatis accendit, terris maria circumfudit, Flumina sempiterno lapsu fluere præcepit.*

Jussit & extendi campos, subsidere Valles.
Fronde tegi sylvas, lapidosos surgere montes.

Creatorem totius universi ut eminentissimum Opificem his dictis commendatum, intelligimus, cujus Virtute & sapientia illæ substantiæ productæ, qvæ finitam causandi Vim, respuunt; & Infinitum agens ostendunt. Sollicitos nos esse jubet nostra Methodus de *Totius Mundi Creatione*, cui tenebras offundere satagunt qvidam Philosophi Theologi, fumos Discursuum S. Scripturæ Dictis insinuantes. Cum his ut ordine dimicemus, tribus in Capitibus detinebimus pugnam; In PRIMO de *Deo Creatore*; In SECUNDO de CREATIONE, & in TERTIO de *Creato mundi Systemate* erit decertandum.

CAP. I.

DE DEO CREATORE.

DEum esse Creatorem mundi, nemo inficiatur, qvi sacris literis fidem habet: Disputant qvidam; *An ex sola Revelatione innotescat, mundum in Tempore ex nihilo esse à DEO creatum?* sed non spero ullam Contradictionem, si asseramus: 1. *Creationem mundi spaderi argumentis Philosophicis, ex rationis penu depromptis*, confuse, imperfecte, probabiliter ut possibilem. 2. *Ex sola Dei Revelatione innotescere distinctè perfectè* & fidei certitudine, *Mundum esse creatum* (1) *in tempore.* (2) *à DEo uno, qvi Pater Filius & Spiritus S.* (3) *ex nihilo* (4) *Sex dierum spatio &* (5) *eo fine, ut intelligentes Creaturæ Creatoris sui Sapientiam, Bonitatem ac potentiam agnoscerent, celebrarent suoqve modo participarent.* PRIMÆ Assertioni fidem faciunt 1. *Eloqvia Gentilium*, qvibus fatentur, se Mundi Creationem aliqvo modo agnovisse. Vide illa adducta à *Justino Mart. in παραιν. pr. adv. Græc. pag. m. 11. in Apolog. 2. pro Christ. Theodoreth. serm. 2. de Curat. græcar. Affect. Morn. de Ver. Relig. cap. 9. Perer. lib. 5. Phys. General. cap. 7. 8. J. Mart. l. 2. Exerc. Metaph. 5. theor. 2.* 2. *Argumenta Philosophica*, Mundi Creationem adstruentia, qvæ collegit *Zanch. lib. 1. de op. 6. Dier. c. 3. q. 2. Morn. d. l. c. 7. J. Mart.* im Vernunfft Sp. *l. 1. cap. 71. 73. lib. 2. Exercit. Metaphys. 5. theor. 1. Swaretz disp. 20. Metaph. s. 1. Schiebl. l. 2. Metaph. c. 3. n. 668.* 3. *Dicta Scripturæ.* Pl. XIX. 2. Roman. I. 20. Sap. 13. v. 5. SECUNDÆ Assertioni non enunciabimus, anteqvam alii evicerint solis argumentis Philosophicis [illegible] ea *conjunctim*, qvæ ex Dei Revelatione de Mundi Creatione [illegible] vimus. Expendantur etiam Dicta Scripturæ, qvæ testantur, [illegible] *Hominum non invenire eum, qvi colligavit aqvas, qs. in vestimento, & suscitavit omnes terminos terræ* Prov. XXX. 3. 4. Athenienses *verum Deum, qvi mundum creavit ignorasse.* Actor. XVII 23. Confer D. Chemnit. parte 1. Loc. Theolog. p. 116. *Polan. l. 5. Syntagm. Theol. cap. 3. D. Meisn. Part. 1. Philos. sobr. sect. 3. c. 3. q. 1.* Etsi *Taurellus* in Metaphys. Philosoph. Ratione pag 229. *Zanchius* d. l. & *Timplerus* Cap. 2. Phys. Gener. probl. 7. ex solis principiis

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1011896508/phys_0314
DFG

piis Philosophiæ firmissime Mundi Creationem demonstrari, scripserint, tamen nemo hodie, quod constaret mihi, eorum Opinionem ita propugnat, ut nostris assertionibus bellum moveat. Si vera sunto quæ *Keckerm. l. 7. Phys.* annotavit, docuit quondam *Fortunatus Crellius* in Acad. Heidelberg. nulla ratione Philosophica edoceri posse, Mundum non esse æternum. Verum nec hujus sententia invenit ὑπραστάσας. Antagonistæ qui nobis occurrunt in hoc Capite, disceptant 1. de *Tempore, quo cæpit Deus Creare mundum* 2. de *Unitate Creatoris, qui Pater, Filius & Spiritus S.* 3. de *Ideis, quæ in Deo repræsentarunt mundum, anteqvam est conditus.* 4. de *liberrima Voluntate, qva Deus creavit mundum.*

Qv. I. *Annon Deus in Tempore Creavit mundum?*

THESES

I. *Athanasii l. 2. cont. Arrian.* hæc est Doctrina: *Tametsi Deo possibile fuit ab æterno opera facere, non tamen potuerunt ea qvæ facta sunt ab æterno fuisse, siqvidem ex non Entibus emerserunt, nec erant, priusqvam fierent; Qvæ autem non erant, anteqvam fierent, qvomodo illa coëxistere poterant cum DEO semper existente?*

II. Adstruxerunt Doctrinam multis argumentis & Theologi & Philosophi. Videatur ex *illis Luth. & Brentius in c. 2. Genes. Hutter. in L. Th. p. 198. Pezel. p. 2. Obj. pag. 17. Danæus in Phys. Gener. c. 15. Polanus l. 5. syntagm. c. 7. Petrus Mart. class. 1. L. cap. 12. p. 71. Zanch. l. 1. de Op. 6. Dier. c. 3. Perer. in c. 1. Genes. l. 115. Phys. c. 1. 2. seqq. ex his* vide eos, qvi paulo ante citati, qvibus adde *Scholasticos in lib. 2. sent. dist. 1.*

III. Adhæremus nos thesibus in scripto Dei Verbo formatis, qvibus asseritur 1. *Deum esse æternum, qvi non cæpit existere cum Mundo, sed fuit Deus á sæculo in sæculum, priusqvam montes fierent aut formaretur Orbis & terra.* Ps. XC. 2. *possedit sapientiam* anteqvam qvicqvam faceret. Prov. VIII. 22. *dilexit Filium suum, eique dedit claritatem antè* mundi Constitutionem Johan. XVII. 5. 25. *elegit in Christo fideles,* ante mundi constitutionem Ephes. I. 4. *dedit nobis gratiam in Christo,* ante tempora æterna 2. Timoth. 1. 9 *promisit Vitam æternam,* ante tempora secularia. Tit. I. 2. *præcognovit Christum passum & exaltatum,* ante mundi constitutionem 1. Pet. I. 20.

IV.

IV. 2. *Cum* mundo & *in* mundo cæpisse Tempus, qvando *creatus mundus in principio*, Genes. I. 1. *terra fundata in Initio.* Ps. CII. 26. Hebr. I. 10. & *Deus omnia creavit* ἀπ' ἀρχῆς Sirac. XVII. 4. c. XL. 30.

V. 3. Cæpisse existentiam mundi, in die *generationis suæ* Genes. II. 4. & credendam esse mundi καταβολὴν Matth. XIII. 35 cap. XXV. 34. Luc. XI. 50. Apoc. XIII. 8. c. XVII. 8. nec non κόσμε καὶ κτίσεως ἀρχήν. Matth. XIX. 8. cap. XXIV. 21. Marc. X. 6. cap. XIII. 19.

VI. Mundum non esse æternum, nec æterno *Deo* coexstitisse, absqve ullo Exordio, Ratio sana & sobria agnoscit, qvæ mundi Initium in certo temporis puncto concludit ex 1. *mutatione partium in mundo* 2. *omnium scientiarum certa ac determinata Origine.* 3. *Legum & politiarum exordio.* 4. *Historiarum principio* 5. *Poetarum, Philosophorumq; testimonio*, de qvibus vide Authores supra adductos, in Cap. præfat & adde *Bonavent. in l. 2. sent. dist. 1.*

ANTITHESES.

I. *Aristotelem* contra Platonem *l. 8. Phys. l. 1. ac 2. de Mundo & cælo*, mundi æternam existentiam voluisse tueri, ejus ex discursibus colligit *Zanch. d. l.* & *Perer. l. 15. Phys. in Proëm.* Alii excusant Aristotelem, & probare attentant, illum non negasse Mundi *Creationem*, sed *Generationem*, *Thomas Albert. M. in 2. sent. dist. 1. art. 10. Jac. Mart. Cent. 4. Qq. Illustr. disp. 2. q. 5.*

II. Circa annum Christi 1206. exorti sunt Hæretici *Albienses*, qvi negati sunt, mundum semper fuisse, semperqve futurum. *Cent. 13. Magdeb Cap. 5. col. 817.*

III. Parisiis Anno 1270 à *Stephano Episcopo* errores condemnati, qvibus annumerantur pronunciata, de mundo, qvi æternus, qvantum ad omnes species in eo contentas. *Cent 13 Magd. col. 580. seqq.*

HYPOTHESES.

I. Mundum vel æternum esse, vel æterno Motori coextitisse, absqve omni Exordio, Sathanas mentibus *Hominum* suggessit I. per *Curiosas Cogitationes, de iis, qvæ Deus, (qvi otiosus nunqvam esse potuit ut primus motor) ante mundum conditum sit operatus.* His opponenda Scripturæ dictath. 3. consignata, & simpliciter credenda revelata, ignoranda autem abscondita. Legatur insuper *Iren. l. 2. de Hæres. cap. 47. p. m. 117. August. l. 11. Confess. cap. 2. tom. 1. col. 185.*

II. Per

II. Per *illationem à posse in Creatore ad τὸ posse existere in Creaturis*, qvam illationem th. 1. *Athanas.* rejecit. Non qvidem negare possumus, *Deum* potuisse omni temporis momento, qvod à nobis concipitur mundum creare, tamen ejus Æternitati repugnat, Creaturam sibi Creatori semper coexistere, cum ille sit *primus* & *novissimus* Esa. *XLIV.* 1. ideoqve sine principio esse, adeo proprium est DEO, ut qvicqvid est sine principio, Deus sit. Confer *Perer. l. 15. Phys. cap. 10. seqq. Polan. l. 5. Syntagm. cap. 7. D. Brochmand. Artic. de Creat. q. 6.*

III. Per *Confusionem Generationis & Creationis*; qvarum distinctionem ita explicat Scalig. Exerc. 6. sect. 4. *Creatio fit citra omne temporis momentum; qvippe à virtute infinita, qvæ nullo tempore capitur aut distinetur: Generatio non nisi in tempore, idqve apparata, sicuti dicebamus, materia per antecessionem mutationis.* Confer *Perer. l. 15. Phys. cap. 5. Polan. l. 5. Syntagm. cap. 2.* Synonyma Creationis accurate ex sacris literis eruit *D. Chemnit. parte 1. Loc. Theol. pag.* 113.

IV. Per *voces* עולם & *αἰων qvibus Mundus appellatur interdum*: Sed non æterna vel Creatio vel Duratio mundi his vocibus significatur, siqvidem ad fixum ordinem Creaturarum, qvi per multa sæcula conservatus est, advertere nos jubent: Sicuti Dicta perspicua de Mundi Initio & Fine nos erudiunt.

V. Per *Conceptus, qvi apprehendunt* Creationem vel ut *productionem intra DEI essentiam, qvalis est*, Generatio æterna Filii Unigeniti & spiratio S. Spiritus; vel ut *productionem physicam & ordinariam extra DEI Essentiam*: Creatio mundi non est *productio intra DEI Essentiam immanens*, sed est opus DEi ad extra, nec est *productio physica* vel *ordinaria*; sed *hyperphysica & extraordinaria*, qvam physica suis ex principiis sufficienter & perfecte non agnoscit. Uti non futura *physica & ordinaria* Mundi totius Corruptio, ita nec fuit *physica & ordinaria* totius mundi productio. Motus & qvies in creaturis, tam mobilibus qvam moventibus, non hæret in *DEo Creatore*, qvi primus motor, adeoqve æternus infinitus & motu suo ineffabilis.

VI. Per *Imaginariam Novitatem in Deo, qvi cæpit idagere, qvod non egit ab æterno*: Hujusmodi novitas nullam in *Creatore*, sed duntaxat in *Creaturis* infert mutationem. *Homines* qvando agere

incipiunt, qvod ante non egerunt, mutationem admittunt: Deus autem qvia eminenter & ineffabili modo agit, non mutatur in se, qvando extra se producit, qvod ante non fuit: Simplicitas fidei credit, & Deum *immutabilem*, & *Mundum certo temporis Exordio creatum*, qvia utrumqve disertis verbis docet S. Scriptura.

VII. Per *Comparationem Temporis in mundo* Constituto, *cum tempore in mundo* constituendo: Hæc fallit rationem, si mundi Creationem in tempore apprehendat, ut actionem in tempore *mundi constituti*: Hoc ut semper initium Futuri, & Finis *Præteriti* temporis, ita semper â Solis & Stellarum motu mensuratur: At in *mundo Constituendo* erat *Principium* Temporis, qvod ut nullum præcessit *prius*, ita qvod sequutum autem est *posterius*, ita tribus primis diebus â motu Stellarum non fuit mensuratum.

VIII. Per *Suppressam Differentiam Causæ Naturalis, & libere agentis*: Valet qvidem de *illa* hæc Conseq. *Existente causa; existit Effectus*; non autem de *hâc*, qvia libere agentes sæpe existunt ante Effectum, uti Faber lignarius ante domum, Pistor ante panem, Figulus ante Ollam &c. sic & Deus ante mundum, qvia ut liberrimum agens mundum condidit. Vide q. 5. hujus Cap.

IX. Per *libidinem inqvirendi in causas*, ob *qvas Deus non prius Creavit* mundum atq; creavit: Harum curiosis scrutatoribus inculcanda divina Voluntas, qvæ causarum causa & optima & sapientissima.

Qv. II. *Estne solus & unus verus Deus Creator Mundi?*

THESES.

I. Affirmando respondit A. Confessio, qvando art. 1. non solum professa fuit, Deum qvi est una Essentia divina, esse Creatorem visibilium & invisibilium, sed etiam damnavit Manichæos, qvi duo principia fingebant, & Valentinianos.

II. Scriptura sacra nos erudit in apertis Testimoniis de uno & solo Creatore, vero Deo. *Hiob* 9. *v.* 8. *Esa.* 44. *v.* 24. *Malach.* 2. *v.* 10. 1. *Corinth.* 8. *v.* 6.

III. Deus dicitur Universalis Creator omnium *Exod.* 20. *v.* 11. *Nehem.* 9. *v.* 6. Psal. 146. *v.* 6. *Esa.* 66. *v.* 2. *Johann.* 1. *v.* 3. *Actor.* 4. *v.* 25. *c.* 14. 15. 17. cap. 17. *v.* 24. Colos. 1. *v.* 16. Hebr. 3. *v.* 4. *Apocal.* 4. *v.* 11. *c.* 10. *v.* 6. *c.* 14. *v.* 7. *Ephes.* 3. *v.* 9. *Syrac.* 43. *v.* 47. Qvi ergo fingit aliqvid creatum ab alio principio, qvod non est ille Deus, cujus scriptura citatis locis meminit, ille scripturæ contradicit.

IV. Creator mundi insignitur vel Jehova, vel Dominus Exercituum,

tuum, vel Deus Israelis *Genes. 2. v. 4. Exod. 20. v. 11. cap. 31. v. 17. 2. Paral 2. v. 12. Ps. 115. v. 15. Ps. 121. v. 2. Ps. 124. v. 8. Ps. 134. v. 4. Esa. 37. v. 16. Sap. 9. v. 1.* Nulla autem Creatura est Jehova, Deus Israelis & Dominus exercituum, Ergo nec est creator mundi.

V. Distinctionem Creatoris & Creaturæ, veri Dei & Idolorum S. literæ petunt ab Opere Creationis 2. *Reg. 19. v. 15. Ps. 146 v. 6. Esa. 45. v. 18. Jerem. 10. v. 10, 11. c. 51. v. 19. Actor. 14. v. 15. c. 17. v. 24.* Qvod igitur soli vero Deo proprium, illud ipsi cum Creaturis nudis & puris non est commune.

VI. Infinitam Potentiam & sapientiam, in Opere Creationis Spiritus S. patefactam esse, docet *Esa. 40. v. 26. c. 66. v. 2. Hiob. 12. v. 9. Jerem. 32. v. 17.* Finita igitur potestas & sapientia Creare mundum non potuit.

VII. Preces Sanctorum Sancti in Creationem defixerunt *Esa. 37. v. 16. Ps. 115, 15. Ps. 121, 2. Ps. 124. v. 8. Ps. 134. v. 4. Esth. 3. v. 10. 2. Maccab. 7. v. 23. Actor. 4, 25. Apocal. 14. v. 7.* Adorationis itaqve & cultus religiosi regale cui adimitur, ille etiam ad Creationis opus non concurrit. Confer *Danæ. part. 1. phys. Christ. c. 17. Polan. lib. 5. Syntagm. c. 3. Forst. in Disput. de Angel th. 74. seqq. Snecan. l. 1. de Prov. c. 2, 3. 4. seq.*

ANTITHESES.

I. *Platonici & Avicenna* non â Deo, sed ab alia qvadam virtutē mundum esse creatum, fabulati sunt teste *Polano d. l.* Aliorum Gentilium opinionem de mundi Causa Efficiente expressit *Diod. Sic l. 1. Bibl. cap. 1. Hesiodus in Theogon. Steuh. in Cosmop. q. 2. tom. 1. Polyd. Verg. l. 1.* de *Inv. Rer. c. 2.*

II. *Judæi* Angelos intelligunt, cum Deus in plurali loqvitur & dicit, Faciamus hominem, *Sebast. Munst. in c. 1. Genes.*

III. Cerinthus Platonicorum errorem amplexus fuit, de qvo *Cent. 1. Magd. lib. 2. col. 484.*

IV. *Ab* Angelis & aliis Virtutibus mundum esse creatum, docuit *Valentinus, Basilides, Saturninus, Carpocrates*, de qvibus Irenæus *lib. 1 adv. Haref. cap. 22, 23, 24. & Cent. 2. Mag. cap. 5. col. 76.*

V Simoniani & *Menandriani* prædictum errorem exosculati sunt *Cent. 1. lib. 2. col. 480. 483.*

VI. Manes (unde Manichæi) deliravit, (1) mundum esse creatum â Diabolo, 2. Duo esse principia, unum Boni, alterum mali, vel duos esse Principes: Unum Tenebrarum, â qvo qvinqve Elementa; Alterum Lucis, qvi ex substantia Dei produxit alia qvinqve Elementa prædictis qvinqve opposita *Cent. 3. Magd. c. 5. col. 112, 113.*

VII. *Priscillianistæ* negati sunt, â malignoPrincipe mundum esse creatum *Cent. 4. Magdeb. col. 402.*

HYPOTHESES.

I. Urgendi Adversarii ut suas monstrosas theses S. Scripturæ Dictis vel Consequentiis ex *S.* Scriptura deductis confirment.

II. Adversarii confundunt 1. Caulam boni & causam mali. 2. mundum cujus *Deus* creator, & Redemptor, cum Mundo, cujus Diabolus Seductor, qvi Deus hujus seculi partim gloriatione *Matth.* 4. v. 9. partim operatione decipiente *Eph.* 2. v. 2. *Colos.* 1. v. 13. *Ephes.* 6. v. 12. 3. mala culpæ & mala pænæ, qvæ infligit Deus. 4. Tenebras spirituales, & corporales, qvas *Deus* qvod creavit, scriptura asserit. 5. Pluralitatem in *Personis* divinis, qvæ non evertit Creatoris unicam Essentiam & potentiam.

Qv. III. *Estne unus ille Deus, qvi creavit Mundum Pater, Filius & Spiritus S.*

THESES.

I. QVod Creator Mundi sit *Deus* Pater, haud eunt inficias, qvi Scripturæ S. ut divinitus inspiratæ assurgunt: Qvia autem supra adduximus S. Scripturæ thesesOpus Creationis & Filio & *Spiritui* S. vendicantes, confidenter ad qvæstionem respondemus affirmando.

II. Qvo ordine tres Personæ in Unica DEi Essentia crearint mundum, pie & erudite edisserit *Basil.* M. *l. de Sp. S. c.* 16. his verbis: *Principium eorum qvæ sunt, unum est, per Filium condens, per Spiritum S. perficiens. Ac nec Pater, qvi operatur omnia imperfectam habet operationem, nec Filius in consummatam Creationem nisi â Spiritu perficiatur. Hoc pacto nec Pater opus habebit Filio, sola Voluntate creans, attamen vult & solet creare per Filium. Neqve Filius egebit auxilio, juxta Patris similitudinem operans, sed & Filius vult soletqve per Spiritum S. perficere.*

III. Hac Confessione *Basilius* non declarat *diversam* vel *inæqvalem potentiam* in agendo, sed *ordinem in Creatione* indigitat, ut intelligamus, Patrem esse Creatorem virtute, qvam *habet â nullo*, Filium eadem virtute esse Creatorem, qvam *habet â Patre* per æternam Generationem & Spiritum S. esse Creatorem eadem virtute, qvam *habet* â *Patre & Filio.*

IV. Verbum אמר in Historia de Creatione *Genes.* I. notat 1. *Verbum Externum* s. προφορικὸν, qvo Deus præcepit & jussit, ut fierent, qvæ

qvæ facta sunt: qvia de præcepto exponitur Ps. XXXIII. 9 Ps. CXLIIX. s. Es. XLVIII. 13. Roman. IV. 17. 11. Corinth. IV. 16. Hebr. XI. 3. & ipsa Verba *Fiat lux*, *Fiat Firmamentum* &c. præceptum indicant, qvod ab æterno non fuit â Deo prolatum & competit hoc Præceptum Patri, Filio ac Spiritui S. 2. *Verbum internum* ἐνδιάθετον & ὑποστατικὸν, qvod est ipse Dei Filius, per qvem Deus fecit sæcula. Johann. I. 3. Colos. I. 16. 17. Hebr. I. 2. Apocal. III. 14. Qvando igitur tres Personæ in Deo unum *Verbum mandati* protulerunt, Filius ut secunda ὑποστασις operata fuit cum Patre & Spiritu S. eo ordine, qvo de th. præced. dictum.

V. Spiritus, qvem incubantem aqvis revelat Moyses Genes. I. 2. fuit Persona tertia in S. S. Trinitate, uti interpretatur Psaltes Regius Ps. XXXIII. 6. & Turba veterum Rabinorum, teste Burgensi. *Vox* מרחפת nulli flatui creato convenit, qvia incubando fovere omnes Creaturas, in aqvea mole latentes, non est finitæ sed infinitæ Personæ.

ANTITHESES.

I. Recentiores *Judæi* hodie contradicunt aperte, si asseramus Filium Dei & Spiritum S. unum cum Patre esse Creatorem.

II. Hodierni *Sociniani* præfracte & pervicaciter negant, Filium Dei esse Summum Deum, qvi creavit universum, & Spiritum S. subsistere ut Personam â Patre & Filio distinctam. *Vide* supra *Lib.* 2.

HYPOTHESES.

In Controv. jam jam indigitata hæ sunt repulsæ: Notetur hac in q. 1. In artic. 1. Symb. Apostol. assignari Patri opus Creationis, qvatenus est fons Deitatis, qvi potentiam Creatricem habet â seipso, eamqve communicat Filio & Spiritui S.

II. Simplicitatem & ταυτότητα Essentiæ divinæ compellere Ecclesiam, ut tres Personas in uno veneretur Deo, & in tribus Personis unum Creatorem.

III. Non posse dici *causas socias* Creationis Patrem, Filium & Spiritum S. qvia causæ sociæ distinctas uniunt vires in agendo vel producendo uno Effectu: In Creatione autem una eademqve virtus creatrix â tribus distinctis Personis jam nominatis promanans. Vide *D. Meisn. part.* 1. *Philos. Sobr. sect.* 1. *cap.* 3. *q.* 2.

IV. Nulla movet ratio, ut Filium dicamus in Creatione fuisse *Instrumentum*, qvia & veritas adstrui & Errantium mendacia destrui possunt, si maxime hoc non utamur termino: nec in praxi pietatis ullus ejus est usus; Svadent autem multæ rationes ut illum fugiamus: qvia

1. Scriptura illo non utitur, nec incitat ut utamur. 2. Commodius ὀρθοδοξίαν de Filio Dei Creatore possumus explicare 3. infirmioribus ponit offendiculum 4. Speciem colluſionis habet cum Arrianis & Arrianizantibus 5. non niſi κατα χρησικῶς Filius Patris dici poteſt Inſtrumentum: Non enim eſt Inſtrumentum *phyſicum finitum factum & ſubſtantiâ à Patre diſtinctum*, ſed *Hyperphyſicum, infinitum à Patre genitum ab æterno & ejusdem cum eo Eſſentiæ.*

V. Aliam eſſe *Vocem* qva loqvitur *Creator*, aliam *Creaturæ*: *Illa* impropria & θεοπρεπῶς accipienda; *hæc* propria. *Illa* Spiritualis; *hæc* Corporeæ Naturæ. *Illa* circa τὰ μὴ ὄντα; *Hæc* circa τὰ ὄντα duntaxat verſatur. Confer *Dan. part. 1. phyſ. Coriſt. Cap. 34.*

Qv. IV. *An non Deus condidit omnes Creaturas, ſecundum Ideas, ab æterno in mente ſua præexiſtentes?*

THESES.

I. LEgimus in Codice Biblico; *Deum præcognoviſſe opera ſua antequam facta* Actor. XV. 18. *adhuc præſcire futura* Pſ. CXXXIX. 16. *Omnia agere ex Conſilio Voluntatis ſuæ* Epheſ. I. 11. & *creaſſe mundum per ſapientiam intelligentiam ac prudentiam.* Pſ. CIV. 24. Prov. III. 19. 20. Jer. X. 12. c. LI. 15.

II. Θετικῶς docent hæc Eloqvia S. Spiritus; Deum præcognoviſſe omnia creata, ſuo in Intellectu, anteqvam extiterunt actu, & modum agendi in Intelligentibus Creatis, perfectiſſimum fuiſſe in Deo Creatore, ut eminenter & excellentiſſime ſua mente formarit Ideas, formas vel Species Entium, anteqvam eas condidit.

III. Qvamvis S. literæ nos non erudiant, qvales Ideæ extiterint in mente divina, tamen non adverſantur iis, qvi aſſerunt, *Mundum eſſe intelligibilem*, h. e. *Philo* interpretatur. lib. de Opif. Mundi pag. m. 9. *Deus poſtqvam decrevit viſibilem hunc mundum condere, prius formavit ſimulachrum ejus intelligibile, ut ad ἀσώματον καὶ θεοειδέστατον παράδειγμα abſolveret corporeum mundum.*

IV. Dictis Scripturæ de Dei *Simplicitate, Infinitate* & *Perfectione* bellum movent, qvi tradunt 1. *Ideas eſſe ſpecies intelligibiles in Dei intellectu, ſimiles illis, qvi ſunt in intellectu Creato.* 2. *Ideas ab ipſa Dei Eſſentia non ſolum formaliter, ſed etiam realiter eſſe diſtinctas.* 3. *Creatum aliqvod Exemplar alicujus rei Creatæ exticiſſe, antè mundum creatum.* 4. *Deum Opificem dependiſſe ab Ideis.* 5. *Eſſentiam divinam*

vinam, qvatenus â Creaturis participabilis, habere rationem Ideæ.

V. Ut scrupulose inqviratur, qvæ & qvales sint Ideæ in mente divina, non censemus operæ precium, qvia 1. Spiritus S. de Idearum, Qvidditate & formali ratione tacuit. 2. non juvat Ecclesiæ ædificationem disputatio Scholasticorum de Ideis; Fidem non excitat, Errores de fidei articulo non profligat, mores non emendat, afflictis nullum solatium parat, nec ad sanctum DEi cultum invitat. 3. fallibiles sunt mentis nostræ Discursus, qvi conferunt Opificem Omnipotentem, cum Opifice mechanico, Intellectum divinum cum Humano. 4. illi qvi explicare attentant: *An Idea sit Conceptus formalis vel objectivus? An divinus Intellectus determinetur per Ideam?* An *Idea sit ipsa Essentia divina?* &c. mirabiles in gyros se convertunt, uti liqvet legenti Scholasticos in *l. 1. sentent. dist. 35.* Plura de Ideis annotavit *Zanch. l. 2. de Nat. DEi. Cap. 2. q. 3. Polanus lib. 5. Syntagm. Theol. D. Lutkeman. in Exercit. Acad. de mundo intelligib.*

ANTITHESES.

I. *Plato* excogitavit mundum intelligibilem, in qvo Genii & Animæ, qvibus omnium creandarum Ideas contemplandas Creator exhibuit, *in phædr. p. m.* 344.

II. *Philo* d. l. Confert Deum Architecto, qvi prius formas Urbis vel Domus concipit, anteqvam ipsam urbem vel domum ædificat. Favet Philoni *August. lib. 83. Qq. q.* 46.

III. *Scholastici* maxime sudant in enodandis variis Qq. de Ideis motas. Vide eos d. l.

HYPOTHESES.

I. Non statim actio Imperfectionis arguenda, qvæ per Ideam determinatur & dirigitur, nisi modo aliqvo dirigatur & determinetur, qvi imperfectionem involvit: Deus non colligit Ideas ex rebus Creatis, ut artifices in hoc sæculo, sed omnes rerum Veritates in seipso continet. ad qvas dum respicit, non determinatur ejus actio ab extrinseco objecto, qvod imperfectionis est; sed â Veritate, qvam habet in seipso qvod est Perfectissime agentis.

II. Qvod secundum *existentiam* est res producenda, id ipsum potest opificem dirigere ejusqve operationem determinare, ut res *præconcepta* vel *præcognita*: Hinc Idea est causa rerum productarum ut causa *finalis* & *Exemplaris*, qvæ movet Efficientem; non autem, est causa *Efficiens*, qvia hæc non movet ad efficiendum, sed Existentiam realem producit. Sic etiam Idea est *formalis*, qvatenus veram habet qvi-

ditatem

tatem in Intellectu divino, non autem est forma *actualiter existens extra intellectum*.

III. Objectum divinæ Cognitionis duplex est; *Directum* & *Indirectum*: *Illud* est omnis essentia, sive producta sive producibilis: *Hoc* Essentiæ adhæret, vel per modum Privationis, ut *peccatum*, vel per modum adjuncti ut *Ens rationis*: Non itaqve omnis notitia in DEo habet rationem Ideæ, sed ea, qvæ terminatur in Essentia finita & objecto producibili, ad qvod referuntur ea, qvæ inhærent.

IV. *Qvomodo Deus Ideas concipiat, antequam res efficiat? & qvomodo Ideæ ab ipsa Essentia differant? Qvot existant in DEo Ideæ*, &c. malumus ignorare, qvam cum periculo indagare, ne eveniat nobis, qvod illis, qvi utrumqve Crus in limo habent impactum, & alterum eo fortius ac profundius defigunt, qvo enixius alterutro se expedire conantur *Scalig. Exerc. 307. sect. 28.*

Qv. V. *Fuitne DEus in Creatione agens liberrimum?*

THESES.

I. *Liberrimum* agens contradistinguitur *Agenti ex necessitate Naturæ*, qvod solo Naturæ impetu in rem fertur, ut qvando Ignis sibi admotas stipulas comburit.

II. Esse Deum agens liberrimum supra *Libr. 2.* innotuit: Qvod mundum ex libera Voluntate, non Naturæ necessitate condiderit, Doctores Θεόπνευστοι his profitentur Enunciati: *Omnia qvæcunqve voluit Deus fecit in cælo & in terra*, Ps. CXXXV. 6. *Juxta Voluntatem suam facit tam in Virtutibus cæli qvam in Habitatoribus terræ*. Dan. IV. 32. 33. *Deus omnia operatur κατὰ τὴν βυλὴν τῦ θελήματος αὐτῦ*. Ephes. I. 11. *Dominus Creavit omnia, & διὰ τὸ θέλημα αὐτῦ εἰσὶ καὶ ἐκτίσθησαν*. Apoc. IV. 11.

ANTITHESES.

D. Jac. Mart. Cent. IV. Qq. illustr. d. sp. 3 q. 4. refert, qvosdam Contendisse; Deum qvidem ut intelligentem & volentem creasse mundum, non autem Creationem vel inhibere vel suspendere potuisse, qvia non agit contingenter vel mutabiliter, & actio Dei interna est, Velle seipsum communicare & alia extra se producere.

HYPOTHESES.

I. Deus nec contingenter nec necessario creavit mundum, sed ratione qvadam inter ne[illegible]ssitatem & contingentiam intermedia, h. e. ex libero arbitrio, qvod ex necessitate *constantiam*, ex contingentia *possi-*

possibilitatem haurit, ut Deus possit non agere, qvando agit in Operibus ad extra, nec tamen in Voluntate vel potentia, qvatenus κατ' ἔσω considerantur, ullam sentit mutationem.

II. Est qvidem Deus per naturam ita perfectus, ut velit alia extra se perficere, & seipsum ut summum Bonum aliis communicare; Verum hæc perfectio intrinseca in Deo non tollit Liberum arbitrium, sed liberrimæ Dei Voluntati æqve ut alia *Dei* Attributa in Exercitio & actu secundo conformatur. Sicuti enim per Naturam vivificus est Deus, & tamen suscitat mortuos qvando vult; ita per Naturam propendet ad perficiendum qvid extra se, & tamen actu perficit, qvando vult. Confer *Colleg. Conimbr. in 8. Physic. c. 2. q. 5.*

CAP. II.

DE CREATIONE.

VOx *Creare* & *Creatio* evolvitur â Theologis qvando indicatur 1. ὁμωνυμία, de qva *Flac. in Clave & Polan. l. 5. syntagm. cap. 2.* 2. συνωνυμία, de qva *Chemnit. part. 1. L. C. p. 115. Swar. in Metaph. disp. 20. sect. 5. 6. Schiebl. l. 2. Metaph. c. 3. n. 618.* 3. συγγένεια, qva attingit voces *facere* & *fingere*: Distinguunt enim Theologi inter κτίσιν, qvæ â Virtute Creatrice; πᾶξιν, qvæ â Virtute inhærente; & ποίησιν, qvæ ab arte proficiscitur. Non animadvertimus de his irreconciliabile dissidium, nec alia de Creatione, qvæ DEi actio, controversa sunt. Idcirco duabus tantum de Qq. qvarum una de *propria Ratione*, altera de *Ordine Creationis* agit, disqvirendum.

Qv. I. *Estne Creatio proprie sic dicta Productio ex Nihilo?*

THESES.

I. MOyses Historiam Creationis ita inchoat, ut non solum *Principium* nominet, sed etiam Entia primum creata designet, sc. *Cælum, terram & abyssum.* Hæc ex nihilo qvod producta sint, disertis verbis fatetur Apostolus, *Rom. IV. 17.* & Mater septem Martyrum 2. *Maccab. VII. 28.*

II. Qvia vox בָּרָא ipso Spiritu S. Interprete notat Productionem ex NIHILO, prima Dei operatio Creans versata est circa NIHILUM; ut omnia qvæ creata sunt, vel *immediate* ex nihilo creata, vel *mediate* ex hujusmodi materia fuerunt producta, qvæ evocata ex NIHILO.

III. Deo ab æterno coexstitisse materiam, ê qva *Omnia* creata; Scriptura 1. non docet. 2. negat, qvando mundum in tempore cæpisse affirmat; Vide supra Cap. 1. q. 1. Rationi qvomodo hæc materia Deo coæterna repugnet, edocuerunt Theologi & Philosophi. Vide ex *illis* Hutter. in *L.* Th. p. 200. Zanch. l. 1. de op. *6.* dier. cap. 3. q. 3. Polan. lib. 5. syntagm. cap 3. Dan. in Phys. Christ. cap. 18 & 21. Morn. de V. Rel. cap. 10. ex *his* Taurell. in Trium Philos. p. 285. Alsted. l. 5. Encyclop. part. 1. cap. 17. &c.

IV. Massa informis vel rudis & indigesta moles, qvam Moyses exprimit per תוהו ובהו *Genes.* I. 2. non fuit 1. *Materia prima*, qvæ subjectum generationis ac Corruptionis physicæ, cujus mentio fieri neqvit in mundi constituendi Descriptione, cum Mundus non genitus, sed creatus. 2 *Confusum Chaos*, qvo de fabulantur Hesiodus, Ovidius & alii Poetæ; qvia Poetæ qvando suum Chaôs describunt, â qvo illud vel productum vel elaboratum sit, non indicant; haud obscure autem innuunt, se credidisse, tale Confusum Chaôs extitisse â Seipso.

V. Moyses rudem indigestam molem revelat, ut 1. *Substantiam* qvia nominat Cælum & Terram 2. ut *rudem & informem* molem, qvæ non disposita, vel ordinata vel evoluta, Voces enim Hebr. תוהו ובוהו designant vacua & desolata loca. *Esa.* XXXIV. 11. *Jerem.* IV. 22. *Hiob.* VI. 19. *Deuteron.* XXIII. 10. Si attendamus, qvomodo Moyses enarret Opera qvæ 6. dierum spatio ex rudi massa efformata, in vers. 1. cap. I. Genes. notatur cælum lumine & stellis non politum, terra aqvis immersa & Aqva nullis limitibus septa. 3. ut *vastam & ingentem molem*, qvæ fuit sine fundo, ut indicat vox תהום 4. ut *molem tenebris densis involutam*, qvia fuit in eâ חושך ὕλη ἀ" μορφος. *Sap.* XI. 18. τὸ σκότος. 2. *Corinth.* IV. 6. & τὸ μὴ φαινομενον. *Hebr.* XI. 3.

VI. Cum neqve â *priori* neqve â *posteriori* intrinsecam Rudis & indigestæ massæ qvidditatem vestigare liceat, ingeniis humanis merà præhgenda, qvæ â cur osis Speculationibus non transilienda: Qvicqvid enim sine scriptura, qvæ sola eam patefecit, de ea Concipit mens humana, veritatis ê fonte indubie non profluit. Consule *D. Meisn. p.* 1. *Philos. sect.* 3. *c.* 3. *q.* 2. 3. *Dan. parte* 1 *Phys. Christ. cap.* 22. *seqq.*

ANTITHESES.

I. De *Philosophis* refert *Bonav. in lib* 2. *sent. dist.* 1. *n.* 7. qvod qvidam ex illis mundum ex *Dei* essentia productum; alii ex principiis præexistentibus, materia sc. & forma, factum; alii ut Platonici, ex materia æterna formatum, dicitarint;

II.

II. *Democritus* & *Leucippus* somniarunt; ex atomis per inane infinitum volitantibus ceu minutissimis corpusculis mundum esse conflatum.

II. *Tertull. lib. adv. Hermogenem* refert, *pag. m.* 335. noluisse hunc Hæreticum; Deum omnia ex nihilo fecisse, & materiam posuisse, qvæ semper fuerit, nec nata, nec facta, nec initium habens nec finem, ex qvâ Deus omnia fecerit.

IV. *Iren. lib.* 1. *c.* 1. de Valentinianis scribit, qvod finxerint ἀϊδίους, ê qvibus mundus sit compositus.

V. *Manichæi* opinati sunt, Deum non potuisse Creare mundum, nisi in promptu fuisset materia, qvæ illum adjuvasset. *Cent.* 5. *Magdeb. cap.* 5. *col.* 535.

VI. Timplerus Calvinianus ideo negat *cap.* 2. *Phys. general prob.* 9. mundum esse creatum ex nihilo, qvia ex informi materia conditus.

HYPOTHESES.

I. Philosophis antiqvis eorumqve mancipiis opponenda regula Augustini, qvæ lib. 1. *de Genes. ad lit. cap.* 21. his profertur verbis: *Qvicqvid Sapientes hujus mundi in suis Voluminibus contrarium sacris literis docent, sine ulla dubitatione credamus, id falsissimum esse.*

II. Valentinianorum & aliorum prodigiosæ opiniones nullo scripturæ dicto muniri possunt & propria futilitate se interimunt.

III. Etsi omnia formata, de materia illa informi facta sint, tamen hæc ipsa materia de omnino nihilo est facta, unde rectissime creditur, Deum omnia ex nihilo fecisse, uti iterum monet *August. lib.* 1. *de Genes. cont. Manich. c.* 6.

IV. Uti Corpus humanum recte dicitur factum ex *semine*, qvod corpus mixtum, & *Elementis*, ex qvibus est Semen: ita nihil absurdi sequitur, si dicamus, mundum qvoad certas partes esse creatum ex præexistente materia & Nihilo, ex qvo hæc materia initio est producta.

V. Axioma Physicum: *Ex nihilo fit Nihil*; relegetur ad suum territorium, qvo non de *Creatione*, sed *generatione*, non de *virtute infinitæ*, sed *finitâ*, non de mundo *constituendo*, sed *constituto* disputant non Theologi, sed Philosophi & Physici.

VI. Distinctio inter creationem *mediatam* & *immediatam* merito retinetur, modo non negetur. 1. illa certa ratione esse creata ἀ'μέσως, qvæ creata sunt ἐμμέσως. 2. omnia esse creata ἀμέσως ratione tam Causæ *Efficientis*, qvæ non admittit mediam aliam,

efficientem, qvam primæ operationis & primi producti Entis. *Vide Danæum parte* I. *Phyſ. Chriſt. cap.* 18. *& Meiſn. d. l.*

Qv. II. *Num Deus ſimul uno momento creavit totum mundum?*

THESES

I. ETſi Deus uno momento omnia ſimul & ſemel creare potuiſſet; tamen Moyſes talem Dei voluntatem patefecit, qva primo rudem & indigeſtam maſſam effingere, deinceps autem ſucceſſive per 6. integros dies Mundi hanc machinam omniaqve ejus contenta creare voluit.

II. In Scripturis opus Creationis, ut opus ἑξαήμερον deſcribitur *Geneſ.* 2. *v.* 2. *Exod.* 20. *v.* 11. *cap.* 31, 17.

III. Ipſe Deus diſtinctis operationibus ſuam Creationem deſcribit; qvæ facile poſſunt colligi ex *Proverb.* 8. *v.* 26. *ſeqq. Job* 38. *v.* 4. *ſeqq.* & aliis ſcripturæ dictis, qvæ luculenter docent, non unico actu Deum produxiſſe omnes Creaturas. Confer *Chemnit. parte* I. *L. Theol. pag.* 120. *Gerh. tom.* 2. *de Creat.* §. 21. *Hutt. in L. Th. p.* 200. *Perer. Lib.* 1. *in Geneſ. p.* 183. *Danæum d. l. cap.* 37.

ANTITHESES,

I. Deum ſemel & ſimul omnia creaſſe ſtatuit *Philo Jud. lib. de Allegor. L. Moyſ. Auguſt. l.* 11. *de C. D. cap.* 9. *lib.* 4. *de Gen. ad lit. c.* 3. *Rupertus, Cajetanus, Bodinus* &c.

II. Magdeburg. *Cent.* 4. *c.* 10. *col.* 1143. de *Hilario* referunt, qvod opinatus ſit, omnia Creationis opera *ſimul & ſemel*, ſine intervallis aut ordine operum, aliorum poſt alia creatorum, extitiſſe: Verum *Hilarii* verba lib. 12. *de Trinit.* ſi aliqvanto penſiculatius examinentur, non tam de exteriori mundi productione, qvam de interiori Dei viſione, qva omnia ſimul prævidit & conſilio ſuo præparavit, commode explicari poſſunt.

HYPOTHESES.

I. Qvod *Geneſ.* 2. *v.* 4. vox dies vel *collectivè* pro diebus vel etiam de Creatione in ultimo ſuo complemento, qvalis ſexta die extitit, ſit capienda, & alia ſcripturæ dicta, qvæ 6. dies expreſſe nominant, & præcedens cap. 1. ſolide probant: Præterea vox *Hebræa* יום ſæpiſſime notat tempus, aliqvot dierum ſpatiis comprehenſum, *Eſa.* 30. *v.* 25. *cap.* 10. *v.* 3. *cap.* 2. *v.* 17. *&* 20.

II. Qvæ

II. Qvæ in Syrac. cap. 18. v. 1. leguntur verba, qvia ex libro Apocrypho sunt, ad amussim scriptorum Canonicorum sunt revocanda, ut vox κοινῇ non cum verbo ἔκτισεν, sed cum proxime præcedenti adjectivo πάντα construatur: qvod cum sit, textus optime ita cohæret: Vivens in æternum creavit omnia communiter sc. ea qvæ non vivunt ab æterno, qvæcunqve etiam illa sint, omnia hæc ab eo creata, qvi vivit in æternum.

III. *Job.* 40. *v.* 30. non tam *unum* Creationis *tempus*, qvam *una* Creationis *Efficiens causa* intelligitur, ut sit sensus: Behemoth æqve creavi atqve te ipsum creavi. Qvod si per Behemoth animalia terrestria intelligas, etiam unum tempus potest concedi, qvia 6. die & animalia terrestria Creata, & homo conditus.

IV. Mundus consideratur vel in partibus *Confusis*, vel *distinctis*: Secundum *illas* non Secundum *has* qvod creatus sit simul & in momento, negari vix potest: Etsi enim Moyses non affirmet, rudem, & indigestam molem, qvam Cæli, Terræ abyssi & Tenebrarum vocibus depingit, simul creatam esse, tamen cum hæc omnia conjungat & in principio creata, dicat, haud obscure indicat, hactenus dictam massam simul & semel fuisse â Deo productam.

V. Cur Deo placuit 6. dierum intervallo condere mundum non debet perqvirere humana temeritas, acqviescendum in Dei voluntate, qvæ semper optima & sapientissima. Confer *Becan. in Theol. Scholast. tract. 4. part. 1. cap. 1.*

CAP. III.

DE CREATO MUNDO.

AD sani judicii trutinam qvi appendit ζητήσεις de Mundo, non animadvertit adeo multas, qvæ Theologica possint tovere Certamina. *Qvo Anni tempore sit creatus mundus?* exacte & apodictice forsan nemo hactenus demonstravit, nec opinionem qvandam Fidei salvificæ & synceræ pietati adversam credimus, sive qvis Vere, sive Autummo, sive alio anni tempora mundum creatum, qvis crediderit. Vide sis *Polan. l. 5. syntagm. cap. 7. Calvis. proœm. in Chronol. cap. 34. D. Behm. in Chronol. Manud. lib. 1. tit. 1. c. 1. Alsted. lib 32. Encyclop. c. 11. p. 1024.* Theologo dignum est responsum *D Brochmandi Artic. de Creat. q. 9.* qvod tale est: *In Sententiarum varietate malo*

ἀκριβῶς, *qvam aliqvid temere definire; sequutus hac in parte Scripturam, qvæ nihil aliud tradit de tempore, qvo conditus est mundus qvam hoc:* In principio creavit Deus. *Qvot praciſe Anni â Mundo Condito efluxerint?* Chronologicis linqvimus indagandum, cum Error de hac qvæſt. nec Fidei nec pietati nec cultui divino ullam afferat perniciem. *Mundum eſſe animatum, Deum eſſe mundi locum, & omnes creaturas in mundo eſſe Umbras vel inania ſpectra,* nemo amplius defendit, ut operæ faceremus diſpendium, ſi diſputaremus absqve Adverſario. *Vide Jac. Mart. l. 2. de Loco cap. 33. Meiſn p. 1. Phil. ſobr. ſect. 3. cap. 3. q. 5. Eſſe in Mundo antipodes vel ἀνηχθονας* qvidam ex Patribus abſonum â Veritate crediderunt, cumprimis *Auguſt. l. 16. de C. DEI cap. 9. & Lactant. lib. 3. Inſtit. cap. 24.* Hinc Virgilius Epiſcopus Salisburg. â Bonifacio Epiſcopo Moguntino Anno Chriſti 745. hæreſeos accuſatus, & â Pontif. Rom. Zacharia in Exilium ejectus, qvia docuit, eſſe Antipodes. Horum imperitia qvia Navigationibus Luſitanorum, Anglorum, Belgarum & aliorum in apricum eſt protracta, non reperiuntur, qvi ad pugnam nos provocent. *Vide Zanch. de op. 6. dier parte 2. lib. 5. cap. 1. q. 3. Alſted. lib. 18. Encyclop. c. 7. Unum eſſe mundum, ejusqve figuram eſſe ſphæricam & rotundam,* firmis argumentis evincunt Phyſici & Geographi, nec eſt, inter Theologos, qvi contradicit, qvantum nos valuimus expiſcari. De *Luce primogenea* de *Aqvis ſupra cælaſtibus*, de *materia cæli*, de *Creatione Aeris & Ignis*, de *Motu terræ*, de *Creatione plantarum*, *Volatilium, Piſcium & animalium* diverſæ ſunt ſententiæ eorum, qvi commentati ſunt in Cap. 1. Geneſ. vel Hexaemerum. Sed ſi vel maxime in his non omnes Eccleſiæ Dd. conſentiant, Vinculum Fidei non rumpitur, cum ſemper in Eccleſia tolerandæ ſunt diſſentientes de his opiniones, qvæ ab Eruditis in ſcholis ſunt ventilatæ, & damnata qvidem ſemper eſt φευδεπιγραφεια ſacrarum literarum, non tamen hæreſis fundamento Fidei inteſta aberrantibus interpretibus adjudicata. Vide D. Hutter. in Loc. Theolog. 3. q. 8. ſeqq. Philoſophorum διατριβας de *Stellis Elementis Mari, Fluminibus, Fontibus, Meteoris, Metallis, Plantis, Avibus, Piſcibus, Beſtiis, Inſectis* &c qvod hæreſes veræ Fidei bellum indicentes invexerint, compertum non habemus; Proinde ad Scholas Philoſophorum eas dimittimus, grato animo annuentes, ex his ſobrie diſcuſſis perutile Theologiæ Practicæ, qvâ textus Biblici explicandi & applicandi, accedere miniſterium. *Scholaſticorum* turbæ qvæ ſcrutatur;

tur; *an Deus meliorem possit facere mundum atqve fecit? An unus Deus multa creârit? Utrum distinctio debeat esse in mundo Corporalium ac Spiritualium* &c. reponimus hoc Scaligeri pronunciatum: *Ex hac tuâ lanâ tam affectate horrida nihil nisi lvepres depecti possunt.* Exercit. 61. sect. 1. Supermanent duntaxat duæ qvæstiones excutiendæ, qvarum hæc est prima.

Qv. I. *Annon omnia qvæ creata sunt, fuerunt valde Bona?*

THESES.

I. EXpressis verbis respondet affirmando ipse Moyses, hanc efferens thesin: *Vidit Deus omnia, qvæ fecerat, & erant valde Bona* Genes. I. 31. Specialibus operibus Dei simile connectitur Encomium v. 4. 10. 12. 18. 22. 25.

II. Repetit Moysis thesin Apostolus Paulus, cum inqvit 1. *Timoth.* 4. v. 4. πᾶν κτισμα θεῦ καλὸν καὶ οὐδὲν ἀπόβλητον. Confer etiam Syrac. 18. v. 1.

III. In aliis *Dictis* opera *Dei* deprædicantur תמים vel perfecta *Deut* 32. v. 4. *Eccles.* 3. v. 14. *Syrac.* 43. v. 26. Sapienter disposita *Ps.* 104. v. 24. *Prov.* 3, 19, 20. *Jerem.* 10. v. 12. *cap.* 51, 15. *Sap.* 14. 5. laude dignissima *Ps.* 111. v. 2, 3. *Ps.* 92. v. 6. *Syrac.* 43. v. 15, 17. utilissima *Syrac.* 40. v. 21, 26, 28, 39, 40. *cap.* 43. v. 26. *Sap.* 14, 5. *cap.* 11. v. 21. vera & justa *Ps.* 111. v. 7. *Dan.* 3, 27. *cap.* 4. v. 34. nec non svavissima *Syrac.* 40. v. 23. *cap.* 43. v. 23.

IV. Amore Deus prosequitur suas creaturas. *Ps.* 104. v. 31. *Ps.* 145. v. 9. *Sap.* 11. v. 24. *Syrac.* 18. v. 12. qvia 1. illorum *Natura bona, integra* & in suo genere perfecta. 2. mirabilis eorum *pulchritudo*, qvam species decora, conveniens ordo, ratio & proportio manifestat. 3. eorum summa & exoptatissima humano generi est *utilitas.*

ANTITHESES.

I. Marcion blasphemè totam naturam, ut malam damnavit, teste Clemente Alexan. lib. 3 & 4. stromat.

II. Priscillianistæ stellas peccato infectas esse tradiderunt, teste *Augustin.* lib. ad *Oros.* de Priscill. cap. 9. *Superfuit* adhuc horum furor in 7. seculo, qvo damnata legitur illa blasphemia, qvæ negavit Diabolum bonum fuisse creatum, & asseruit, hunc malum spiritum â seipso extitisse, multasqve malas creaturas confinxisse. Vide Cent. 7. Magdeb. cap. 5. col. 133.

HYPOTHESES

I. Mundus â *Deo creatus*, licet qvoad *essentiam* idem sit, cum

cum mundo per peccatum *corrupto*, non tamen in *accidentibus* & *qvalitatibus* Natura *institutæ* convenit cum natura per peccatum *deformata*; uti aperte colligitur ex *Genes. 3. v. 18. cap. 4. v. 12. Jerem. 4. v. 24, 25. Rom. 8. v. 20.* Proinde dicta, qvæ de Mundo *creato vel instituto* loqvuntur, non sunt confundenda cum illis, qvæ describunt mundum *corruptum* & primæva sua gloria multis in partibus *destitutum*.

II. Distinguenda est *Bonitas Creatoris* à *bonitate Creaturarum*: *illa* independens, *hæc* dependens; *illa* in causa: *hæc* in Effectu: *illa* infinita & summa: *hæc* finita & determinata: Si itaqve Creaturæ in Comparatione cum Creatore dicuntur vel immundæ, uti de cælis legitur *Hiob. 14. v. 15.* vel imperfectæ, συγκριτικῶς dicta, non sunt accipienda, ac si essent dicta ἁπλῶς.

III. Noxiæ Herbæ & plantæ una cum animalibus homini infensis, ante peccatum, vel plane non extiterunt, vel qvod magis verisimile sit, extiterunt & homini nihil nocere potuerunt: Uti enim jam multa homini obsunt & adversantur propter peccatum, qvæ ante lapsum ad hominis salutem & utilitatem sese accommodabant, ita justo Dei judicio hodie plantæ & animalia vitam, sanitatem & possessiones hominis offendunt, qvæ per se erant apta nata vel condita ad summum hominis emolumentum.

IV. Sufficit, ut sciamus, Creaturas propter peccatum homini nocere cæpisse, qvomodo autem qvalitates noxias attraxerint, qvas in Creatione non habuerunt scrupulose non est indagandum: Hominis natura cum per peccatum adeo horribiliter sit destructa, mirum non est, in aliis creaturis aliqvam grandem mutationem fuisse subortam. Microcosmus enim est Macrocosmi qvasi cellula, adeoqve *hujus* inclinatio *illius* ruinâ facile provocatur.

V. Contrarietas & Vicissitudo in Creaturis potissimùm triplex: *Prima* est *naturalis*, qvalis est in Elementis, vere, autumno, æstate, hyeme, die, & nocte, Tenebris & luce &c. *Secunda* est *illegalis*, qvalis in Angelis & hominibus qvi peccato contaminati. *Tertia* denique est *judicialis*, qvalis in Creaturis Homini ob peccatum inimicis. *Prima* à Deo Creaturis concreata, nullam qve vel ἀταξίαν vel malitiam includit. *Secunda* & *tertia* per peccatum est introducta.

VI. Num totus mundus fuisset interiturus, si homo non peccasset? frustra qværitur, qvia in scripturis de hoc interitu nihil patefactum legitur. Confer *Dana. d. l. cap. 41. 42. seqq. & Zanch. lib 1. de op. 6 dier. cap. 3. q. 4.*

Qv. II.

Disp. XII. Resp. ANTON. BALE-MAN. Gedan.

Qv. II. *Num astra à DEo condita, ut futuri Eventus ex illis prænunciarentur?*

THESES.

I. ASTrorum usum, qvem Deus in eorum Creatione intendit, triplicem expressit Moyses, cum hæc Dei recitavit Eloqvia: *Fiant luminaria in firmamento Cæli, & dividant diem ac noctem, & sint in Signa, tempora, dies & annos, ut luceant in Firmamento Cæli & illuminent terram* Genes. 1. 14. 15.

II. Astra igitur Deus condidit, ut 1. *Tempora distinguant.* 2. *Signa προγνωστικὰ exhibeant* & 3. *Terram illuminent.*

III. De Secundo usu orta est qvæstio, cujus Diexodum distinguendo absolvunt Theologi: Asserunt enim, Astra esse Signa I. *Physica*, qvæ præsagiunt mutationes Aeris ac Tempestatis, pluvias, Ventos frigus, æstum, siccitatem, serenitatem, tonitrua, fulgura &c. Hæc qvod ex astris eorumqve motu & concursu Astronomi cognoscere qveant, docet cum Christo *Matth. XVI. 2. Luc. XII. 56. Experientia.* 2. *Medica*, qvæ de κράσει in Corpore humano, morbis & humorum alteratione observant Medici. 3. *Oeconomica*, qvæ indicant tempus cædendis lignis aptum, tempus sementis, messis, Vindemiæ &c. 4. *Nautica*, e qvibus agnoscitur, qvando naves subducendæ vel impellendæ, qvando vela vel pandenda vel contrahenda &c.

IV. *Signa* jam exposita interdum fallunt, uti itidem testatur Experientia, qvia 1. non omnes stellæ Astronomis cognitæ 2. de influxu stellarum imperfectam scientiam asseqvimur. 3. inferioris mundi Natura, diversus terrarum situs, constitutio aeris & alia non permittunt, ut universales de influxu stellarum in hæc inferiora formemus Regulas. 4. Ipse Deus haud raro inhibet Causarum secundarum motus, ut sæpe prædictiones & præsagia est astris fallant.

V. Signa Extraordinaria & miraculosa Deus qvod in Cælo & stellis dederit, passim legimus in Bibliis *Genes.* XV. 5. *Jos.* X. 12. 13. *Judic.* V. 20. 2. *Reg.* XX. 11. *Matth. XXVII.* 45. &c. Talia etiam fore ante mundi finem prædixit Salvator *Matth. XXIV. 29. Luc.* XXI. 25.

VI. Iram suam Deus minatur iis, qvi ex Astris prædicere attentant, qvæ à *Dei liberrima Gubernatione*, ac *libera Hominum Voluntate* dependent: *Prioris* generis sunt Imperiorum periodi, Hominum Conjugia, prospera, adversa & ultima fata: *Posteriorem* ad classem spectant Hominum mores, studia, Consilia, &c. Horum præscientiam ut sibi soli vindicat Deus *Esa. XLI. 21. XLIV. 24.* ita thesibus comminatoriis & prohibentibus adversatur מעונן *Planetarii*, qvi horas & dies supputant;

tant; Deut. XVIII. 10. 11. *Vatibus cæli*, qvi contemplantur sydera, & designant menses ut ex eis annuncient ventura Hominibus *Esa. XLVII. 13. timentibus â signis cæli*. Jerem. X. 2. Vide *Luth tom. 6. Witt. lat. fol. 7. 10. tom. 3. Iben. germ. p. 441. Hutter. in Loc. Theol. p. 214. Balduin. in Casib. Consc. lib. 3. cap. 6. Casa. 2. & 3. D. Rung. in Genes. p. 55. Zanch. part. 2. de Op. 6. Dier. l. 6. p. 571. Perer. l. 2. in Genes. c. 1.*

ANTITHESES.

I. De *Origene* refert *Euseb. l. 6. de præparat. Evang. cap. 9.* qvod docuerit, stellas âDeo positas, ut per varios aspectus & Conjunctiones significarent universas & singulas humanarum rerum causas, non tamen efficerent.

II. Vitam & miracula Christi subjecit Stellæ, qvæ Magis apparuit, *Albertus M. in speculo & Petrus de Aliaco in Concord. Astrol. & Theol.* nec non *q. 30. in Genes.* Vide *Sixt. Senens. l. 6. Biblioth. S. annot. 9. p. 425.*

III. Nostro sæculo qvidam deflectunt ad ὑπερβολην, & qvalvis prædictiones Astrologorum admirantur, sumptu magno easdem venantur, & ceu divina Oracula, qvæ fallere neqveunt, venerantur. Alii deficiunt in ἐλλείψει & omnem prædictionem ex Astris execrantur, *artem* æqve ac *artifices* carpunt, *abusum* ab *usu* non distinguentes

HYPOTHESES.

I. Qvi Astrologiam Judiciariam præter modum evehunt, experientia Stultorum Magistra non tam informantur, qvam infatuantur. Qvomodo hoc fiat? accurate & fuse monstravit *Sixt. Senens. d. l. p. 427.* Qvatuor enim recensuit causas, qvæ interdum prædictis Eventum conformant: *Primam* vocat Sortem vel occultum Dei Judicium, qvo superstitiosi consulentes plectuntur, cum vati ea suggeruntur, qvæ consulentes oportet audire. *Secunda* causa est Sixto Fœdus qvorundam Astrologorum cum Diabolo. *Tertia* moralis Prudentia, qva multi pollent, qvi ex aliorum temperamentis, inclinationibus, virtutibus, vitiis, studiis, occasionibus &c. prævident, qvænam vel prospera vel adversa propinqvent: *Qvarta* denique Causa constituitur â Sixto *Consulentium Stultitia*, qui facile credunt, qvæ ipsi vel prosequntur vel fugiunt: Hinc vel Spes excitat alacritatem ad impetrandam, qvam sperarunt, felicitatem; vel metus animum deprimit, ut in calamitatem prædictam irruant.

II. De Stella, qvæ Magis Christum natum qværentibus præluxit, hæc *Augustini* verba tenenda: *Non illa Stella Christum fecit mirabiliter vivere, sed illam Christus fecit mirabiliter apparere, nec ipsa mirabilia Christi decrevit; sed ipsam Christus inter sua mirabilia demonstravit.* Serm. 34. de temp. III.

III. Vis cæli universalis & indeterminata per causas particulares ad certos Effectus determinatur, unde omnia, qvæ prædicuntur ab Astrologis, probabilem & contingentem solumodo habent Veritatem. *Cæci autem sunt, & abominandi*, ut *Cassiodorus* loqvitur, *qvi se existimant prævidere, qvæ Creator nobis utiliter decrevit abscondere.*

IV. Prædictiones Genethliacas non damnamus, si 1. suis in terminis se contineant 2. ad temperamentum, â qvo non exigua vis descendit ad actiones & mores, restringantur 3. verisimiles vel probabiles, non infallibiles æstimentur. 4. ut lusus Ingeniorum permittantur, censente *Luth. in c. 1. Genes. 5.* ab omni superstitione Gentilium purgentur. Summa

Usus habet laudem, crimen abusus habet.

CONTROVERSIA II.

DE MUNDI GUBERNATIONE.

DEvotus Pater *Bernhardus* Dei Providentiam, qvâ circa Conditas versatur Creaturas eleganter depingit, cum ita scribit: *Deus amat, ut Charitas, novit, ut Veritas, sedet, ut æqvitas, dominatur ut majestas, regit, ut principium, tuetur ut salus, operatur ut Virtus, revelat ut Lex, assistit ut pietas.* lib. 5. de Considerat. col. m. 1045, Hos divinæ Providentiæ actus qvos Bernhardi Meditatio pia multiplicat, recentiores Theologi, ordinis ac memoriæ causa contraxerunt, & tribus actibus Dei Providentiam enarrarunt, qvorum *primus* est πρόγνωσις s. Præcognitio: *Secundus* πρόθεσις Voluntas & cura prospiciendi; *tertius* διοίκησις s. ipsa mundi Gubernatio. Qvæ de his scripta extant in sacris literis cæcutiens Hominum Ratio, instinctu Sathanæ, Speculationum, ac Opinionum machinis concussit, ut fundamentum tam veræ Fidei, qvam Sancti Cultus *DEi* violentam impressionem senserit. Cum primis periculosa sunt mota Certamina de Providentiæ objectis, in qvibus cognoscendis, sustentandis, ac gubernandis Deus eo operatur modo, qvi imperscrutabilis & incomprehensibilis est. Id circo â Fidei simplicitate ad Rationis discursus nimium deflectentes Errorum in præcipitia deducti sunt. His adhuc multi se aggregant, qvi Ecclesiæ Orthodoxæ obloqvuntur in pronunciatis de 1. *Providentia, qva regit in genere Deus totum Universum.* 2. *Præscientia qva Deus contuetur Futura.* 3. *Peccatis & vitiosis actibus, â DEi Providentia non eximendis.* His in capitibus continebimus seqventes διαγιβάς.

CAP. I.

DE PROVIDENTIA QVA IN GENERE REGIT DEUS TOTUM UNIVERSUM.

QUando diversos divinæ Providentiæ actus Theologi constituunt, qvemadmodum paulo ante dictum (vide *Chemnit. parte* 1. *Loc. Th. de Creat. cap.* 6. *Hutter. in L. Theolog. pag.* 231. *Gerh. tom.* 2. *L. de Provid.* §. 15.) consensus est, Providentiam Dei, non ἔσωθεν intra ipsam DEi Essentiam consistere, sed progredi ἔξωθεν & extendere se ad Creaturas. Perspicuis verbis hoc tradunt Sacræ literæ, in dictis de *DEo præsciente, sustentante, gubernante, salvante* &c. Eundem Deum qvi mundum creavit, & eundem gubernare ac conservare non facile qvis negat, qvod autem Deus Mundi Creator, sit unus Deus in tribus Personis Pater Filius & Spiritus S. jam supra ex S. Scriptura aperuimus. Qvemadmodum igitur Pater per Filium in Spiritu S. mundum condidit, ita eundem idem Pater per Filium in Spiritu S. conservat. Humana Christi Natura qvomodo concurrat ad Providentiam, discitur ex qvæstione illa de Christi Omnipræsentia *Qvomodo differat Creatio à Conservatione?* Operose, ut Scholasticorum more, inqviramus, nec fidei nec pietatis deposcit incrementum. Consona agnoscitur Fidei analogiæ hæc Scaligeri ἐπίκρισις: *Esse & Conservari acceptum fertur eidem authori eidemqve principio: Nihil enim est, ut supra dicebamus, conservatio, qvam Essendi continuatio.* Exercit. 31. & Exercit. 250. Sect. 1. Confer *Gerh. L. de Provid.* §. 62. *Schiebl. l.* 2. *Metaph. cap.* 3. *n.* 680. *Alsted. lib.* 22. *Encyclop. parte* 1. *cap.* 5. *pag.* 639. *l.* 13. *par.* 8. *cap.* 1. *pag.* 782. Philosophos ex lege Naturæ inscriptâ etiam sobrio usu suæ Rationis agnovisse Dei Providentiam, ita est demonstratum, ut lucem in meridie negare videatur, qvi illud neget. *Philipp. L. de Creat.* ejusqve Interpres *D. Hutterus L. de Provid. q.* 1. *p.* 218. argumenta Philosophica reducunt ad 1. *Ordinem Effectuum in natura perpetuum.* 2. *Nobilitatem Intellectus Humani* 3. *Discrimen Honestorum & turpium.* 4. *Notitias naturales* 5. *Conscientiæ terrores in sceleratis.* 6. *societatis Politicæ Conservationem.* 7. *Causarum Efficientium seriem* 8. *omnium rerum utilissimos fines.* 9. *Futurorum Eventuum præsagia.* Addatur

Mi-

Milich, Comm. in Plin. lib. de mundo p. 22. Morn. de V. Relig. cap. 11. 12, 13. *Snecanus l. 1. de Prov. cap.* 11. 12. *lib.* 2. 3. 4. 5. *Suaretz. disp.* 22. *Metaph. sect.* 2. *Hunn. tom.* 1 *op. p* 702. *Jac. Mart. l.* 1. *Partit. Metaph. sect.* 11. *q.* 5. Im Vernunfft Ep. *lib* 1 *cap.* 74 *I. Lipſ. lib.* 2. *de Conſtant. cap.* 12. 13. *P. Mart. l.* 1. *L. Claſſ.* 1. *cap.* 13. *Gerhard. tom.* 2. *L. de Provid.* §. 4. *ſeqq.* Si doceatur, argumenta Philoſophica cedere Theologicis qvæ probant DEi Providentiam, nemo cum ſpecie Veritatis falſum Dogma poterit objicere : Siqvidem apprime certum eſt, ex Philoſophiâ & principiis ejus non poſſe oſtendi 1. *Gubernationem mundi eſſe actum DEi, qvi in una Eſſentia Pater Filius & Spiritus S.* 2. *qvomodo convincatur afflicta Conſcientia de DEi Providentia in tentatione, qvæ omnes vel Stoici vel Epicurei ſumus, cogitantes de Providentia*, uti bene monuit *Chemnit. par.* 1. *Loc. pag.* 129. 3. *qvomodo Providentia DEi non tollat omnem Contingentiam?* & 4. *qvibus actibus Deus verſatus ſit circa lapſum primi Hominis*, & qvalis Dei Providentia *circa actiones vitioſas, qvæ vel fiunt, vel factæ vel futuræ.* Ad Conflictum in Capite præſenti provocant Theologos inevitabilem. 1. *Negantes, qvod Deus totum mundum gubernet.* 2. *Depravantes concurſum DEi generalem cum cauſis ſecundis.* 3. *alligantes Deum ut cauſam primam cauſis ſecundis.*

Qv. I. *Annon omnia, qvæ ſunt, moventur & vivunt, ſubjacent divinæ Providentiæ?*

THESES.

I. B. *Lutherus* certo & ſingulari tractatu ad præſentem qvæſtionem non reſpondit, ſed paſſim affirmavit, Deum conſervare & gubernare omnes Creaturas. *tom.* 4. *Ihen. germ. fol.* 223. *tom.* 5. *fol.* 489.

II. *Philippus in L.* Conjungit artic. de Providentia cum artic. de Creatione, & probat multis argumentis, Deum adeſſe omnibus ſuis Creaturis, easqve ſuſtentare, conſervare ac gubernare. Conſentit *Brent. in c.* 10. *L.* 1. *Sam. tom.* 2. *op. pag.* 408.

III. *Chemnit. d. l. p.* 124. probat DEi Providentiam ex phraſibus Biblicis, qvæ ſunt *Ordinatio*, Pſ. 119. v. 91. *portare* Hebr. 1. v. 3. φερειν Coloſ. 1. 17. *Salvator* 1. Timoth. IV. 10. *conſervatio* Sap. XI. 26 omnia διοικειν cap. XII. 18. διακυβερνᾶν cap. XIV. 3. De his & aliis vocibus,

qvæ ſpectant ad Theolog. Catech. non temere rixas movendas, cum Chemnitio credim 15. Conſer *D. Balduin. l. 2. de Caſ. Conſc. cap. 4. caſ 6. Pet. Mart. par. 1. L. Claſ. 1. 6. 13. p. 92.*

IV. Scriptura ſubjicit divinæ Providentiæ 1. *omnes Creaturas* Coloſ. 1. 17 Hebr. 1. 3. Sap. XI. 26. cap. XII 13. c. XIV. 3 Syr. *XVI.* v. 28. (2.) *Angelos bonos & malos.* Pſ. CIII. 20. Pſ. CIV. 4. Hiob. I. & II. 2. Pet. II. 4. (3.) *Omnes Homines*, Job. XII. 10. cap. XXXIV. 21. Prov. XVI. 2. 9. cap. XX. 24. Eſa. XLII 5. Jerem. X. 23. Act. XVII. 24. (4.) *Hominum Conceptionem & Nativitatem* Job. X. 8 ſeqq. Pſ. LXXI. 6. *Pſ.* CXXXIX. 13. 16. Pſ. CXIII. 9. Pſ. CXIX. 73. Eſa. XLI. v. 4. (5.) *Hominum Victum & amictum.* Job. XXII. 18. 1. Timoth. VI. 17. Matth. VI. 25. ſeqq. Geneſ. XXVIII 21. (6.) *Habitacula Hominum* Eſa. XLV. 18. Actor. XVII. 26. (7) *Curſum humanæ Vitæ.* Deut. XXX. 20. Pſ. LVI 9. Pſ. CXXXIX. 2. 3. Prov. XXII. 2. (8.) *Reparationem Hominum ad vitam æternam, hominum Conjugia, calamitates, actiones bonas & malas, officia, mortem & Reſurrectionem*, uti docetur in Ἀνθρωπολ. ſacra. (9) *Spiritus incompletos*, qvi informant corpora humana, ut elucebit ſuo loco. (10.) *Corpora & luminaria æthera* Job. XXXVIII. 31. Pſ. XIX. 5. Jerem. *XXXI.* 35. Matth. V. 45. (11.) *Elementa eorumqve qvalitates*, ut *Ignem* Pſ. LXXXVIII 4. 1. Reg. XVIII. 38 *Aqvam* Pſ. *LXXIV.* 15 Pſ. *XXIX.* 3. *Aëra* Deut. XXVIII. 22. 1. Reg. IIX. 37. & *terram* Pſ. *CXIX.* 90. Sirac. XLIV. 24. (12.) *Corpora imperfectè mixta* vel μετεωρα Job *XXXVIII.* 22. ſeqq. (13) *Corpora perfectè mixta*, qvæ vel inanimata ut *Metalla & lapides* Job. *XXVIII.* 1. Hag. II. 9. vel vegetabilia ut *Plantæ* Pſ. CIV. 14. 15. 16. Matth. VI. 30. vel Sentientia ut *Volucres, Piſces, bruta, & inſecta*, Pſ. XXXVI. 7. Job. *XXXIX.* Pſ. CIV. Pſ. CXLIIX. 7. Sap. VI. 8. Matth. VI. 26. 29. 30. cap. X. 29. 30. Luc. XII. 6. (14.) *qvævis minutiſſima in mundo*, ut *Muſcas & pediculos* Exod. VIII. 18. *formicas & apes* Prov. 6. Sirac. XI 3. Job. VIII. 13. *ſortes* Prov. XVI. 33. *paſſerculos in terram cadentes*. Matth. X. 29. & *capillos Capitis noſtri* Matth. X. 30. Luc. *XXI.* 18.

ANTITHESES.

I. *Cicero l b. 1. de Nat. Deor. pag. m. 2. refert*: Fuiſſe & eſſe Philoſophos, qvi cenſuerunt, *omnino nullam habere humanarum rerum procurationem DEos.*

I. De *Epicuro* teſtatur *Cic. l. 3. de Nat. Deor. Plin. l. 2. de Hiſt. Mundi p. 19. & Lactant. l. 3. Inſtit. cap. 17.* qvod dictitarit; *Omnia ex cæco atomorum confluxu fieri Fortunæqve incertis caſibus ſubjici.*

III. *Auguſt. l. 5. de Geneſ. ad lit. cap. 2.* annotavit, qvosdam Philoſophos

phos fuisse nugatos; *sublimia duntaxat & cælestia divinæ Providentiæ esse subjecta, hæc inferiora autem exceptis speciebus, quæ incorruptibiles, fortuitis motibus agitari.*

IV. *Judæos* omnium Entium Species, non autem Individua divinæ Providentiæ Objecta credidisse scribit *R. Moys. in mag. de Doct perplex. c. 136*

V. *Hieronymus in cap. 1. Habac. tom. 5. p. 187.* ita commentatur: *Absurdum est, ad hoc deducere DEi majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur Culices, quotve moriantur, quæ cimicum & pulicum & muscarum sit in terra multitudo? quanti pisces in aqua natent, & qui de majoribus majorum prædæ cedere debeant? Non simus tam fatui adulatores DEi, ut dum potentiam ejus ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus.*

HYPOTHESES.

I. Creaturas *H*omini nocentes si quis *D*ei Providentia putet indignas, attendat in illis 1. *Justiam DEi vindicatricem*, cujus sunt Instrumenta. 2. *certum bonitatis modum*, quo pollent, cum insignem afferant utilitatem in amictu, quæ nullam præstant in victu: quæ vivæ hominis vitæ insidiantur, mortuæ Vitam hominis à morte præservant, pharmacis immixtæ: 3. *abusum accidentarium*, quo Homini per accidens interdum nocent, quæ per se nullum afferunt detrimentum. 4. *nostram Insciti am*, quæ impedit, ut exquisite nobis omnium utilitas non innotescat, cum eorum maximus esset usus, si ad eum nostra Scientia nos deduceret.

II. Quia in minimis Creaturis Dei virtus apparet maxima, harum gubernatio non minuit, sed auget Dei majestatem. *Unam histiolam, brevem*, inquit *A*ug. in *Ps.* 148. tom. 8. col. 1734. *minutissimamque considera, quam volueris, si consideres ordinem membrorum ipsius, & animationem vitæ, qua movetur, ut pro se fugiat mortem, amet vitam, appetat voluptates, devitet molestias, exerat sensus diversos, vigeat in motu sibi congruo. Quis dedit aculeum culici, quo sanguinem sugat? Quam tenuis fistula est, qua sorbet? Quis disposuit ista? Quis fecit ista? Expavescis in minimis? lauda magnum.* Addit Morn. de V. Rel. cap. 11. *Nihil tam exiguum, quo Deus non utatur ad maxima, nihil tam excelsum, quod non subigat per infirma; nihil tam vile, quod ad ejus gloriam*

riam non faciat; nihil tam hostile, qvod pro ejus victoriâ non pugnet, nihil tam iniqvum, qvod ejus justitiam non exerceat, nihil tam contrarium, qvod ad ejus finem non collimet.

III. Cum Solis radii non inqvinantur cæno, fimo & luto, qvæ iisdem illuminantur, cum speculum sordes faciei præsentet, easdemqve non attrahit: Cur Dei Providentia, qvæ non per *contactum*, sed *ineffabilem motum*, omnia intuetur, regit & conservat, â sordibus & spurcitie Creaturarum non maneret immunis? *pag. 5. Lactant. lib. 3. Instit. cap. 17.*

IV. Qvando ex sacræ scripturæ dictis & exemplis divina Mundi gubernatio est probata, non sunt attendendæ mentis nostræ speculationes, qvibus varia opponuntur inordinata, qvæ tamen non ἀληθῶς, sed tantum φαινομένως, qvia nos rationem & causas divinorum tam operum, qvam consiliorum non capimus, Providentiæ DEi adversantur. Imitemur ergo *Mornæi* hac in parte pietatem, qvam *lib. de Verit. Relig. cap. 11.* hâc sententia declarat: *Laudabo equidem Deum in iis, qvæ cognosco, mirabor in iis, qvæ ignoro neq; qvi fumus & bulla sum, mente potius deficere putem, qvam ei qvi omnia potuit & fecit, providentiam ullatenus deesse suspicer.*

V. Cum dicto *Genes. 2. v. 2.* conferatur dictum *Johann. 5. v. 17.* & apparebit, Moysen de qviete â *Creatione operis* 6. diebus conditi, non autem de qviete â *Conservatione & gubernatione* totius universi, fuisse loqvutum.

VI. *Verba* Salomonis *Eccles. 9. v. 11.* & in textu Originali & in antecedentibus considerata non probant, omnia vagis fortunæ motibus regi, sed de *eventu & successu* actionum nostrarum, qvi non in nostra potestate, intelligenda: ita enim cohæret totus contextus, juxta veritatem Hebraicam: *Non est velocium cursus, nec fortium Victoria, nec victus eorum, qvi industria excellunt, nec opulentia prudentum, nec intelligentes semper sunt gratiosi, qvia tempus & Casus* (מקרה hoc est occursus qvi alicui obvenit) *evenit in omnibus illis* h. e. ut, recte exponit Philippus Comm. in Eccles. tom. 2. oper. pag. 966, *tum demum sunt felices hominum conatus, qvando Deus eos adjuvat, dat felix momentum & regit eventus: Non igitur intelligantur & casus Epicureo more, sed reprehendit Salomo fiduciam nostrarum virtutum & nostræ sapientiæ, qvæ imaginantur, sufficere humanam diligentiam sine Deo.*

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1011896508/phys_0340
DFG

VII. Fata serena Impiorum & calamitates piorum non opponantur Providentiæ divinæ & mundi gubernationi, qvia 1. Scriptura utrumqve docet 2. ratio nostra sibi fingit hic ἐνάντια, qvæ sunt ὑπαλλήλα. 3. scriptura eleganter monstrat, qvomodo Impiorum felicitas & piorum calamitas cum Dei gubernatione consentiat, qvatenus & causas hujus diversæ sortis exponit, & tales monstrat vicissitudines atqve eventus, ut Dei gubernatio cuivis innotescat. Placet hic iterum afferre appositum simile *Mornæi*, qvi d. l. *cap.* 12. harmonicam universi gubernationem cum cantu Musico confert, in qvo uti dieses & pausas silentium & discrepantiam toleramus, ita tolerandum, ut Deus interdum taceat, dum homines suas partes canunt, qvia tempestive & opportune ad suas reversurus; Legantur d. l. plura de sapientissimo Dei regimine, qvod elucescit ex mirabili piorum & impiorum sorte.

VIII. Qvomodo Dei gubernatio mala opera regat & non efficiat, libertatem arbitrii in homine conservet, non tollat, seqventibus in Capit. dilucidabitur.

IX. Entibus â Deo conditis pulcherrimus est ordo, qvi non tollitur 1. per *confusionem & ἀνωμαλίαν â peccato invectam*: Distinguendæ enim *Creaturæ Dei â sordibus, ex peccato attractis*, 2. per *mentis nostræ cæcitatem*, qva præpediti sæpissime in Creaturis Dei; aliqvam concipimus confusionem, cum in illis admodum concinna sit dispositio: Placuit enim Creatori, ut & hoc de suo nobis largiatur *Mornæus cap.* 11. ad mundi concentum diversas fides coaptare, ut qvi diversitatem tollat, mundum ipsum evertat plane.

X. Monstra & errata Naturæ non negant Dei gubernationem, qvæ cum illis consistit, qvia 1. defectus Individui alicujus non tollit ordinem specierum, qvem Deus conservat. 2. in monstrosis hominum corporibus Deus dotibus ingenii aliqvando resarcit, qvod in membris deficit. 3. Deus sæpissime occulta sua judicia in monstris exercet 4. aberrationem causarum particularium & secundarum ita dirigit, ut sua Omnipotentia, sapientia & justitia non solum illis patefiat, sed hominum etiam emendatio & salus promoveatur.

XI. Prodigia & Ostenta Naturæ non evertunt Dei Providentiam, nisi probetur, qvod eveniant, Deo nec *sciente*, nec *permittente* nec ad bonos fines *dirigente*.

XII. *Casum* & *fortunam* non concedunt Theologi in *respectu ad Deum* præscientem omnia, & ad *causam Universalem*; sed *respectu Causarum*

secundarum, qvarum præcognitionem & intentionem sæpe fugiunt ea, qvæ eveniunt.

XIII. Non valet hæc Consequentia: *Si Deus permittit peccatum, qvod sibi adversatur, non regit mundum, sed potius regitur à mundo*; Distinguendum enim 1. inter permissionem *libeam* & *coactam*. 2. inter permissionem *otiosam* & *negociosam* 3. inter permissionem *prudentem* & *imprudentem*. Deus permittit peccata 1. non *coacte* sed *libere*, cum sit liberrimum agens. 2. non ut *otiosus* spectator, sed *negociosus gubernator*, cum pravam hominis voluntatem avocet à peccatis interdictis, minis, exemplis pœnarum, &c. qvibus qvando retragatur voluntas hominis, manum Deus subtrahit, peccatum severe punit & ad bonum finem dirigit. 3. non *imprudenter*, sed *prudenter*, qvatenus non evertit, qvod condidit, tollendo liberum arbitrium, nec violento raptu trahit ut inanimata, truncos & stipites, eas creaturas, qvas condidit rationales.

XIV. Uti dictum *Syrac.* 15. *v.* 14. de homine in statu *integritatis*, sic dicta *Ps.* 81. *v.* 13. *Actor* 14. *v.* 15. de hominibus in statu *Corruptionis* loqvuntur, & non probant divinæ gubernationis *defectum*, sed *illud* potius Creatoris *beneficium*; *hæc* Judicis *justum supplicium* designant. Qvemadmodum enim Deus excellenti munere donavit primum hominem, qvando liberum ipsi arbitrium concessit; ita impios & contumaces Verbi sui contemptores per subtractionem gratiolæ suæ vocationis merito punivit.

XV. Verba Apostoli 1. *Corinth.* 9. *v.* 9. 10. ultimum finem Providentiæ divinæ respiciunt, qvi est Salus hominum & Dei gloria. Omnia enim qvæ Providentia divina operatur in Creaturis, propter hominem operatur, ut ex hominum vel interitu vel salute divina elucescat gloria: De Bobus itaqve curam esse Deo, non negat Apostolus, qvi scivit, qvalem boum & jumentorum curam Spiritus S. doceat *Deut.* 25. 4. *Ps.* 36. 7. *Ps.* 147. *v.* 9. &c. In solis autem bobus Dei Curam *acqvie scere* recte negat Apostolus, qvia ideo de sua Cura pro bobus scripturam extare voluit, ut cognosceremus ipsius voluntatem, de alimentis dandis, seminanti & triturantis ministro Christi in agro Ecclesiæ, qvæ ne bovi qvidem trituranti denegari voluit.

Q. II. *An non constat ex S. Scriptura, qvalis sit Concursus DEi ceu Causæ Primæ cum Creaturis ceu causis Secundis?*

THESES.

SUbtiles agitant Scholastici & Metaphysici discursus de Concursu

curiuCauſæ primæ cum cauſis ſecundis, qvosexprimunt *Suaretz. diſp. 21. Metaph: ſect. 2. ſeqq. & in opuſc. Theol. lib. 1. & 2. de Concurſu, motione & auxilio DEi. Schiebl. l. 2. Metaphyſ. c. 3. p. 696. J. Mart. l. 1. Partit. Metaph. ſect.* 11. &c.

II. In Eccleſia nota eſſe debet uſitata diſtinctio Actionis *DEI Generalis* & *Specialis*, uti monet *Chemnit. part. 1. L. de Cauſ. pecc. c. 5. Illa* eſt Concurſus Dei ut cauſæ primæ, qvo omnes Creaturæ in Eſſe conſervantur, & motus â Creatore inditos exerunt, qvos Deus adjuvat qvatenus uſitatum Naturæ Curſum & ordinem â ſe inſtitutum fovet, tuetur atqve gubernat.

III. *S.* Scriptura Influxum Cauſæ primæ in ſecundas, qvo dependent Creaturæ ſuis viribus ac motibus â *Deo* Creatore ὀφθαλμοφανεῶς proponit: Docet enim; *Deum dare* πᾶσι ζωὴν καὶ πνοὴν καὶ τὰ πάντα Actor. XVII. 25. *ex DEi lege dependere tempus ſementis ac meſſis, frigus, æſtum, æſtatem, hyemem, noctem & diem.* Geneſ. IX. 22. *Deum noſſe ordinem cæli & ponere dominium ejus in terra.* Job. XXXVIII. 33. *Deum certa lege & gyro vallaſſe abyſſum* Prov. VIII. 27. *Deum dare Solem in lumen Dieiordinem lunæ & ſtellarum in lumen noctis.* Jerem. XXXI. 35. ſeqq. *Deum facere oriri Solem & pluere.* Matth. V. 45. Adde his alia dicta qvæſt. præc. allegata, & non dubitabis ſcripturæ congruere doctrinam de Concurſu generali cauſæ primæ cum cauſis ſecundis.

IV. Deus concurſu ſuo generali non tollit proprios motus Cauſarum ſecundarum, ſed concurrit cum his juxta naturam in prima Creatione illis inditam, nempe cum liberis libere, cum contingentibus contingenter cum neceſſariis neceſſario, cum debilibus debiliter, cum fortibus fortiter pro ſua ſvaviſſima diſpoſitione; Sic cum Homine hominem, cum leone leonem gignit, cum Sole lucet, cum Igne calefacit, cum aqva humectat &c. Summatim, *omnia, qvacunq; agunt aliqvid, Vi ac virtute primi agentis agunt*, uti loqvitur Scalig. Exerc. 77. ſect. 5.

V. Comprobat hanc theſin Scriptura omnibus dictis, qvibus hominibus ratiocinationem, diſcurſus, ſermonem & alias operationes, Soli illuminationem, Igni Calefactionem, Leoni rugitum, terræ productionem frugum, avibus volatum, plantis vegetationem, Vino lætificationem Cordis, pani alimentationem aliisqve Creaturis proprias operationes aſſignat. Niſi in his omnibus, falſa pronunciata velis carpere, concedendum erit, agentia creata vere, ac proprie efficere

Effectus connaturales & proportionatos, qvos Concursus Causæ primæ non tollit, sed influxu suo sustentat. Philosophorum argumenta, qvibus idem adstruitur, vide in *Partit. Metaph. J. Martini lib. 1. sect. 9. q. 9. sect. 11. q. 8.*

VI. Qvoties S. Scriptura Creatorem distinguit â Creaturis, toties subindicat, *illum* independenter, *has* dependenter agere; uti enim se res habet in Esse, ita in operari. Modum, qvo causa prima concurrit cum secundis, Scholastici & Metaphysici gnaviter scrutantur, desudantes in qvæstionibus de Concursu, qvi fit immediatione vel suppositi, vel Virtutis, de Concursu Dei immediato in Effectum & actionem causæ secundæ, qvi non admittit alium influxum in causam &c. De his dum tacuit S. Scriptura, & Fidei ἀνυποκρίτῳ æqve ac sincero DEi cultui parum afferunt subsidii, inqvimus hæc disqvirenda, qvi Ingenium gaudent acuere

ANTITHESES.

I. *Biel lib. 3. distinct. 1. q. 1. &* 3. omnem causis secundis actionem subtraxit, ac si Causæ secundæ revera nihil efficerent, cum moventur â prima. *Vide Svar. disp. 18. Metaph. sect. 1.*

II. *Nicol. Taurellus* in Alpibus Cæsis, qvibus monstrosa Dogmata *Andr. Casalpini Itali* excussit, negat, Deum Concurrere ad omnia agentia naturalia, affirmat autem divino regimine opus esse in actionibus humanis, ob summam earum varietatem. Verba ejus in præf. pag. 30. hæc sunt: *Earum rerum curam DEO non adscribimus, qvas ipse naturæ commisit, iis sc. munitæ viribus, ut ejus mandata probè posset exeqvi.* Paulo post: *De cæteris, qvæ nulla naturæ necessitate, sed libero Voluntatis arbitrio geruntur, aliter sentimus: Hic enim ob summam actionum humanarum varietatem divine est opus regimine & Providentia.* Item lib. 2. q. 6. p. 241. *Deum nostrum profitemur naturam effeciisse, cui sc rerum curam committeret naturaliter & producendarum & conservandarum.* Vide ejus Synops. Metaph. pag. 129. seqq. & lib. 1. de Rer. ætern. p. 254.

HYPOTHESES.

I. Cum Causis secundis operatur Deus non ex *necessitate naturæ* vel *Infirmitate potentiæ*, sed *libertate Voluntatis suæ*, nec concipienda hic est ulla imperfectio in Deo, ac si infirmior esset Fabro lignario, qvi domum exstructam non amplius sua manu sustentat. Posset sane Deus

Deus Opera condere & iis communicare virtutem, qva sustinerentur, absqve Concursu suo generali: sed aliter placuit benignæ ejus Voluntati, qva æqvum duxit, *Creatoris* affectum præferre affectui *artificis* vel Architecti: Hic qvia adeo impotens est, ut exstructo Operi neqveat semper adesse ejusqve stabilitati prospicere, opus suum cogitur deserere. *Deus* autem qvia Omnipotens & Omnipræsens, potest suæ Creaturæ semper adesse, & qvia summa bonitate ac misericordia propendet in Opera sua, nunqvam ab illis ita vult recedere, ut generaliter conservando, sustentando ac gubernando ipsis non sit præsentissimus.

II. Qvemadmodum opera artificialia non *simpliciter qvoad Esse* suum dependent ab Artifice, sed duntaxat *secundum qvid*, qvatenus *Entia artificialia*; ita Creaturæ â Deo dependent, *Simpliciter* qvatenus sunt *Entia*: Domus si ruat, non statim resolvitur in nihilum, sed in lapides, cæmenta, trabes, ligna &c. qvæ retinent adhuc rationem Entis. Creaturæ autem resolverentur omnino in Non-Entia vel in nihilum, nisi influeret in eas Causa prima, qvæ dedit Entitatem. Si igitur opus artificiale carere potest sustentante Virtute *Artificis*, non statim seqvitur, qvod & Entia creata carere qveant influxu conservante sui Creatoris.

III. *Divinæ* Beatitudini, ut Creaturarum *Creatio*, ita nec *Conservatio* qvicqvam detrahit: Qvies ab opere Creationis non seqvitur fatigationem laborantis, & continuus concursus non infert molestiam laboris: Sicuti igitur ab æterno *Deus* expers fuit molesti laboris, ita in æternum in tranqvillo sanctissimoqve manet otio, qvod operatione ejus non minuitur, sed perficitur. Proinde argumenta delumpta ab operibus, qvæ *laboriosa, tædiosa, molesta & lassitudinem afferunt*, ad opera Dei qvæ *jucunda, facillima, eminentissima & qviete juncta*, non valet Conseq. August. l. 12. de C. D. cap. 17. *Non cogitetur in Dei vacatione Ignavia, desidia, inertia; sicut nec in ejus labore conatus industria: Novit qviescens agere, & agens qviescere.*

IV. Efficacia causarum secundarum tantum abest, ut deroget divinæ Efficacitati vel authoritati, ut illam potius maxime commendet & declaret. Qvia enim Deus bonus est, ita suam bonitatem rebus creatis communicavit, ut etiam dederit inclinationem & virtutem ad communicandum cum aliis id, qvod de Bonitate ipsius Dei participant, unicuiqve impertiendo, juxta suam bonitatem.

Qv. III. *Num Deus in Gubernatione mundi alligat se ad causas secundas?*

THESES.

I. D. *Chemnit. part. 1. L. Theol. pag. 150.* hanc profert Thesin: *Scriptura tradit, DEum in Actione Providentiæ esse agens liberrimum, qui ut plurimum quidem ordinem sui operis servet, illi tamen Ordini non sit alligatus, sed 1. quicquid facit per causas secundas, illud possit etiam sine illis per se solum facere 2. quod ex causis secundis possit alium effectum producere, quam ipsarum fert Natura & Dispositio 3. quod positis causis secundis in actu, DEus tamen Effectum possit impedire, mutare, mitigare, exasperare.*

II. Omnia qvæ B. *Chemnitius* professus est, ex perspicuis S. Scripturæ Dictis sunt derivata. PRIMO gravissimæ extant Admonitiones de agnoscenda divina Providentia, qvæ liberrime gubernat Creaturas, qvando transfert montes, commovet terram, nubibus obducit Solem & claudit Stellas. *Job. IX. 5. 6. 7.* facit qvodcunqve vult. *Job. XVIII. 13. Dan. IV. 32.*

III. SECUNDO monstrat S. Scriptura miracula, qvibus *sine causis secundis productis Effectus, ordinarie producendi per causas secundas.* E. g. Moyses per 40. dies & 40. noctes sine cibo & potu sustentatur. *Exod. XXXIV. Deuteron. IX 9. 18.* tempore Elisæi fossa repletur aqva in terra arida, sine vento & pluvia 2. *Reg. III. 17. 20.* Æthiopum Exercitum millies millium militum parva fundit ac prosternit manus. 2. *Paralip. XIV. 11. seqq.* morbi sanantur sine pharmacis *Sap. XVI. 11. 12. Matth. VIII. 3. 13. 15.* &c.

IV. TERTIO passim in Bibliis legimus, *causas secundas esse operatas, supra naturales vires.* In senectute profunda homines genuerunt liberos. *Genes. XXI. 1. 2. Luc. I. 36.* Sol & Luna steterunt & non progressi *Jos. X. 13. 14.* Sol retrogessus, ut umbra retracta sit. *Esa. XXXVIII. 8.* Ferrum natavitin aqvis 2. *Reg. VI. 6. 7.* arida virga germinavit *Num. XVII. 8.* Asinam verba facientem audivit Bileam. *Num. XXII. 28. 2. Pet. II. 16.* Panem ê nubibus demissum comederunt Israelitæ *Ps. LXXVIII. 23.* Petra aqvam profudit *Ps. LXXVIII. 20.*

V. QUARTO aliis in Exemplis offeruntur *Causæ secundæ positæ in actu, quarum Effectus impediuntur*: Nulla decidit pluvia tempore Eliæ

Eliæ, naturalibus pluviæ causis in actu positis. 1. *Reg.* XVII. 1. Sedente Daniele inter famelicos Leones, non nocent hi ipsi *Dan.* VI. 22. Corpus Christi grave, non mergitur, cum inambulat aqvis. *Matth.* XIV. 24. Ignis ab aqva non extingvitur 1. *Reg.* XVIII. 38. nec admoto ustibili urit. *Dan. III.* 94. Aqvæ fluxum mutarunt *Exod.* XIV. 21. *Jos. III.* 16.

VI. QUINTO *Natura qvarundam Creaturarum miraculose legitur immutata.* Aqva mutata in sangvinem. *Ps. CV.* 29. & in Vinum *Joh. II.* 9. Dies mutatur in tenebras. *Exod. X.* 22. *Sap.* XVII. 1. *seqq.* Pugillus farinæ & paululum aqvæ alimentum dat per aliqvot dies. 1. *Reg. XVII.* 14. Parum olei multa replet vasa 2 *Reg. IV.* 3. Viginti panes hordeacei centum alunt viros *d. l. v.* 43. 44. Paucis panibus & piscibus aliqvot Hominum millia saturantur. *Matth.* XV. 35. *Joh.* VI. 9. *seqq.*

VII. Hæc miracula & similia si trutinemus, â Spiritu S. doceri, intelligimus, Deum non esse alligatum causis secundis, sed liberrime iis interdum uti, interdum non uti, nonnunqvam vires superaddere extraordinarias, nonnunqvam vires naturales inhibere & pro suo beneplacito eas moderari.

ANTITHESES.

I. *Stoicis* assignatur hæc assertio: *In causis essentialiter ordinatis, secunda agente, necessario agit prima, neqve qvicqvam potest prima agere absqve secundis, nec aliter qvam Natura & Dispositio secundarum permittit.* Chemnit. d. l. p. 130. Philip. Melanch. tom. 1. op. p. 405.

II. Qvidam dictitarunt, *primam applicationem causarum â DEo esse, postqvam autem facta sit applicatio, & immutabiliter consequi Effectum.* Horum Præceptor videtur fuisse *Chrysippus*, de qvo *A. Gell. l. 6. Noct. cap. 2.*

III. Poëtæ tres finxerunt Parcas Jovi assidentes, qvibus Filum ceu ordinis causarum Consequentiam trahentibus ipse Jupiter sit subjectus. Hinc introducunt Jovem, qvi Filium Sarpedona ob inevitabilem Fati necessitatem non potuit subducere morti, & Neptunum, cui per fata non licuit Ulyssem prohibere â reditu in patriam. *Homerus Iliad. lib. π. v.* 431. *seqq. & Odyss. ε. v.* 288.

HYPOTHESES.

I. Actiones Dei *communes* & *Ordinariæ* non sunt opponendæ actionibus *singularibus* & *Extraordinariis*, qvia utrasqve esse â Deo, sacris

lacris ex literis dispaleſcit? Uti autem *illis* cauſæ ſecundæ â Deo adjuvantur & conſervantur; ita in *his* ſuſpenduntur, impediuntur vel mutantur, ut non liceat, negare Dei concurſum cum cauſis ſecundis, qvando non concurrit *modo communi & ordinario*.

II. Qvomodo Dei Providentia concurrat cum Cauſis Secundis non ex diſcurſu noſtri Intellectus, ſed ex patefactione S. Spiritus abſqve Errore agnoſcimus. Lux Rationis humanæ in dilucidanda Dei Providentia ut plurimum deficit, ideo luce per Spiritum S. in Verbo accenſa eſt illuſtranda, adeoqve non tolerandæ ſpeculationes Humanæ mentis, qvæ Deum cauſis ſecundis adſtringunt.

CAP. II.

DE PRÆSCIENTIA, QVA DEUS CONTUETUR FUTURA.

ANgelorum & Hominum actiones, qvam ſint liberæ vel contingentes, cum infallibili & immutabili Dei Præſcientiæ ſubſint, maxime eſt controverſum. Facem nobis, in veſtiganda Veritate, præferat hæc B. Chemnitii Regula de caut. pecc. cap. 6, pag. 161. *Poſtqvam ex certis S. Scripturæ teſtimoniis conſtituta eſt vera ſententia, qvæ Deo grata, Conſcientiis utilis, Eccleſiæ neceſſaria, etiamſi non poſſumus omnes argutias, qvæ ex præſcientia nectuntur, ſolvere, ſufficere nobis debet.* 1. *qvod ſententia de cauſa peccati ſun tata ſit in certis & perſpicuis Scripturæ teſtimoniis* 2. *qvod arcanam præſcientiam in hujus Vitæ caligine non poſſimus plene pervidere* 3. *qvod non mandatum nobis ſit ſcrutari & inqvirere, qvomodo Deus præſciat peccata & tamen dicat, Eſa. LXV. 12. Qvæ nolui elegiſtis. Ita qvæ non poſſunt Dialectica ſubtilitate diſſolvi, piſcatoria ſimplicitate prædicantur.* His B. Chemnitii monitis e ſcholis Theologorum relegatas credimus, ſubtiles Scholaſticorum Diſputationes de *modo*, qvo Deus præcognoſcit futura Contingentia? *An in cauſis proximis ea videat? An per ideas? Qvid determinet divinam Præſcientiam, ut hoc potius qvam illud præcognoſcat futurum? Qvomodo determinetur Divina præſcientia ut Conditionate futura prævideat?* &c. Videatur de his *Thom. part. 1. q. 14. art. 13. Biel. l. 1. Sent. diſt. 38. Bonavent. lib. 1 Sent. diſt. 38. Svaretz. in opuſc. lib. 1. & 2. de ſcient. Dei.* Ab inqvirendo modo Divinæ Præſcientiæ ut abſtinemus, ita Fidei & pietati ducimus conducere placidas

συζητήσεις

συζητήσεως de 1. *Objectis, circa qvæ versatur Dei Præscientia* 2. de *Contingentia in actionibus Creaturæ Intelligentis, consistente cum immutabili & infallibili DEi Præscientia.*

Qv. I. *Annon Deus omnes prævidit & Præscivit, qvæ futuræ sunt & fuerunt Angelorum atqve Hominum actiones?*

THESES.

I. DE *Dei* Omniscientia & Præscientia qvæ sit S. Scripturæ Doctrina, supra *Libr.* 2. notificavimus. Ut constet autem evidentius, qvalis sit Dei Præscientia in gubernatione Creaturæ rationalis, aliqvanto accuratius in Præscientiæ divinæ *objecta* inqvirendum.

II. Ab his non posse eximi *singularia*, Dicta q. 2. præced. Cap. collecta luculenter probant, nec facile nostro tempore, qvis hoc negare audet. Vide *Thom. par. 1. q. 14. art. 11. Zanch. l. 3. de N. DEi cap. 2. q. 2. 3. Schiebl. l. 2. Metaph. cap. 3. n. 418.*

III. Deum præscire *futura Contingentia*, discimus 1. ex prædictionibus, de afflictione Filiorum Abrahami in Ægypto *Genes.* XV. 13. de Inobedientia Pharaonis *Exod.* III. 19. de Idololatria populi Israelitici in terra Chanaan. *Deuteron.* XXXI. 16. de Incredulitate populi Judaici, respuentis Messiam *Esa. VIII.* 14. *c. LIII.* 1. de seductione & abominabilibus actibus Anti Christi *Dan.* XI. 36 *seqq.* 2. *Thess.* 2. v. 3. *seqq.* de peccatis in fine mundi futuris. *Matth.* XXIV. 39. *Luc.* XVII 26 *sqq.* 2. *Timoth.* III. 12. *seqq.* qvæ omnia & similia Deus qvod decreverit & approbarit, Sanctitas ejus vetat credere. 2. ex voce תקרינה qvæ Deus præscivit *Esa.* XLI. 22. Notat autem hæc vox Accidentia futura. *Genes.* XLII. 29. *c.* XLIV. 29. *Esa.* XXVI. 13. 3. ex confessione Dei, de futuris Abrahami actibus, qvi fuerunt contingentes *Genes.* XVIII. 18. 4. ex Verbis Davidis de sua sessione, resurrectione & accubitu *Ps.* CXXX. 2. 3.

IV. Exceptiones *Socinianorum*: qvibus blaterant, futura eatenus saltem in Scripturis definiri, qvatenus *Causæ extent, qvæ ejusmodi Effectus portendant*, vel Deum, hominum more, ea futura dicere, qvæ *plane verisimilia*, flammis internalibus vindicandæ, qvia Deum æqviparant Hominibus, ac si ille horum more conjecturis utatur, & prædicat ea, qvorum de Eventu dubius sit ac incertus. Hujusmodi certe effata adversantur divinæ 1. *Perfectioni*, qvæ nullam admittit Ignorantiam 2. *Veracitati*, qvæ labefactatur, si dubius est de iis qvæ prædixit, &

vult, ut ea indubitata fide recipiamus. 3. *Sapientia*, qvæ omnis Conjecturæ ac Dubitationis expers. Confer *Svaretz in Opus. l. 1. de Scient. Dei cap. 2. 3. Calov. par. 2 Instit. pag 264. seqq.*

V. Respectu Objectorum distinguunt Scholastici Dei Scientiam in *Naturalem*, *liberam* & *mediam*: *Ista* novit Deus seipsum & omnia possibilia: *Illa* novit seipsum & omnia, qvæ sunt, fuerunt & erunt: *Hac* novit aliqvod futurum, *posita certa conditione*. *Ista* præcedit omnem liberum Voluntatis actum; *Illa* hunc seqvitur: *Hac* participat de utraqve, qvia existit ante actum liberum Voluntatis, qvatenus est naturalis *Dei* scientia, & versatur circa Objectum contingenter eveniens ex causa creata & libera, suppositio, qvod illam Deus creare & constituere voluit certo in ordine & certis Circumstantiis. *Calov. d. l. pag.* 260. De hac distinctione dubitamus, anne magis acuta, qvam necessaria: Mediam scientiam non differre â Naturali statuere videtur *D Hulsem. in suppl. Brev. cap* 6. *de Provid th.* 7. 8.

VI. *Præscientiam*, qva Deus prævidet, qvæ futura sunt, *posita certa conditione*, in *Creaturis intelligentibus*, & non futura, *hac conditione sublata*, in Codice Biblico detectam cognoscimus. Siqvidem futura Contingentia â Deo præscita legimus, qvæ sublata Conditione, non evenerunt; Prævidit Deus, Regnum Saulis confirmandum in æternum, si Saul custodivisset mandata Domini, qvæ dum Saul non custodiit, Regnum ejus confirmatum non est. 1. *Sam.* XIII. 13. 14. Deus præscivit, Davidem tradendum â Kegalitis in manus Saulis si David maneret in Kegila, qva dum egressus Saul, David traditus non est Hosti 1. *Sam.* XXIII. 12. De Incolis in Tyro & Sidon, præscivit Deus, eos pœnitentiam acturos, si in illis factæ virtutes, qvæ factæ in Corazim & Bethsaida, sed non egerunt pœnitentiam, sublatis prædictis virtutibus. *Matth.* XI. 21. Sine hac Conditionata præscientia, non possumus explicare, 1. *qvomodo Deus non sit author peccati*, si absoluto ejus decreto omnia fieri, statuatur. 2. *qvomodo Decreta Dei sint immutabilia*, cum multa fiant, qvæ non decrevit? 3. *qvomodo liberum arbitrium, cum Decretis Divinis & præscientia DEi infallibili consistant.* 4. *qvomodo eligamur ex fide prævisa, & reprobemur propter prævisam incredulitatem*, uti experitur qvilibet, qvi de his qvæstionibus meditatur. Vide *Svar. l. b. 2. de DEi scient. & Calov. d. l. p.* 273.

ANTITHESES.

I. Uti *Avenrhoes* negavit, Deum cognoscere singularia, ita de Cicerone

Cicerone refert *August. l. 5. de C. D. c. 9. tom. 5. p. 194.* qvod negarit, esse in Deo scientiam futurorum.

II. *Vorstius tract. de Attrib. div. p. 323.* scribit; Deum *magis vel minus clarius vel obscurius* cognoscere ea, qvæ mediam qs. naturam habent inter Ens perfectum & nihilum, prout magis vel minus ad hoc vel illud accedunt.

III. *Sociniani* negant, Deum determinate & infallibiliter præscire futura Contingentia, anteqvam fiant, cum de futuris Contingentibus non sit determinata Veritas. Crell. de Deo & attrib. div. c. 24. pag. 201. *Inconsiderate illi faciunt, qvi futura Contingentia Deum determinate scire ajunt, qvia alias non esset Omniscius, cum potius ideo illa determinate futura non concipiat, qvia est Omniscius & in rebus cognoscendis nunqvam errat.* Confer *Socin in prælect. cap. 8. 9. seqq.*

IV. Qvidam ex *Calvinianis* præscientiam Dei, cui innituntur conditionata Dei Decreta oppugnant, ut absolutum Decretum Dei, de reprobanda maxima parte humani generis, stabiliant. *Maccov. in πρωτ. Ψευδ. Armin. cap. 1. p. 101. Colleg. Theol. 1. disp. 9. p. 25. Giesbertus Voetius, Gvilelm. Twissius de Scient. DEi med.*

V. Qvosdam ex *Scholasticis* & *Jesuitis* negasse Præscientiam Dei mediam, ut *Pererium, Patres Colonienses, Toletum, Azorium* &c. ex thesibus qvibusdam Apologeticis Ao. 1645. divulgatis, refert *D. Calovius part. 2. Instit. Theolog. p. 289.*

HYPOTHESES.

I. Deum cognoscere Contingentia, ut Contingentia, concedimus. Fallere autem statuimus hanc Consequentiam: *Si Deus cognoscit Contingentia & necessaria, hæc* ut *certa, illa* ut *incerta; hæc* ut *evidentia, illa* ut *obscurè* agnoscit, qvia Res cognitæ non possunt imprimere hujusmodi Differentiam immutabili menti divinæ, ut qvædam cognoscat confuse, obscure & probabiliter, cum Cognitio Dei semper *distinctissima, certissima, perfectissima.*

II. Dictitat Ratio nostra, fugere scientiam divinam, qvæ *nondum sunt, qvæ impossibilia*, & *qvæ Contradictionem involvunt*, sed vehementer errat, qvando & nos homines ex *Entibus* intelligimus, *qvæ non sunt*, ex *possibilibus*, qvæ *impossibilia*, & ex *una parte Con-*

tradictoria Propositionis *alteram* : Absit igitur, ut denegemus Deo, qvod nostro deprehendimus Intellectui ab ipso Deo communicatum.

III. De futuris Contingentibus, *qvoad nos*, non est determinata Veritas, *qvoad DEum* autem determinata est Contingentium veritas, qvia Deo nihil est ignotum: *Cognita* si in se considerentur, hæc vel futura vel non futura, vel necessaria vel contingentia; *Cognitionem* DEi autem si attendas, illa semper infallibilis est & determinata, utcunqve contingentia ut determinate vel necessario futura non concipiat: Siqvidem Præscientia non tantum *res* cognoscit; sed etiam *modum* rerum, qvomodo sc. futuræ sint, nec res conformes essent divinæ Præscientiæ, si hæc faceret, ut ê re contingente fieret necessaria.

IV. Qvanqvam Infinitas divini Intellectus non efficiat, ut *illud fit*, qvod non est; hoc enim est Infinitæ potentiæ, *Rom. IV.* 17. tamen efficit, ut *distincte & perfecte sit cognitum*, qvod finito Intellectui plane incertum est. E. g. Petrum negaturum, se nosse Christum; nullus cognovit finitus intellectus, anteqvam negavit; Infinitus autem Christi Intellectus illam abnegationem prævidit, cum eam finitus Petri Intellectus judicavit impossibilem. *Matth.* XXVI. 34. 35. *Marc.* XIV. 30. 31.

V. Certitudo determinata Cognitionis divinæ, qvæ præcognoscit Contingentia, non dependet â causis jam determinatis actu existentibus, sed â *Vi divini Intellectus* penetrantis omnia ab æterno & prospicientis qvomodo effectus ê Causis prodituri? Non igitur necesse ut vel effectus vel eorum causæ determinatæ ab æterno existant, sed sufficit, Intellectum æternum ea pollere perspicacia qva ab æterno prospicit, qvæcunqve futura in Tempore. Confer *Boeth. l. 5. de Consol. pros. 4. p. m. 1106.* ubi erudite declarat; qvomodo Omne, qvod cognoscitur, non secundum *sui vim*, sed secundum *cognoscentium comprehenditur facultatem*, aliter â visu, aliter â phantasia, aliter ab Intellectu. &c.

VI. Si inqviratur causa, ob qvam in actione contingente, qvæ fieri vel non fieri potest, hoc potius qvam illud præsciatur, ex *parte Creaturæ* est liberi arbitrii usus causa, ob qvam non fit, qvod fieri potest, & vice versa fit, qvod potest non fieri. Ex *parte DEi præscientiæ* autem non est inqvirenda ratio, qvia ejus lumen de se indifferens est ad sciendum qvicqvid in re sit futurum vel non futurum, &, qvia intuetur omnes rerum complexiones ac compositiones possibiles, simul, intuetur, qvæ sint vel essent futuræ, qvæ non? Confer Svar. l. 2. de Scient. Dei. cap. 7. 8.

VII

VII. Multæ argutiæ in mente noſtra erumpunt, ſi de Intellectu *divino* judicare præſumimus ex *noſtro humano*: Has ut ſupprimamus, notandum 1. Intellectum divinum 1. non eſſe *mutabilem*, ut humanum, qvi ex Ignorante mutatur in ſcientem, qvia qvæ in tempore fiunt, Deus ab æterno præſcivit, & non exiſtit alia in eo ſcientia, qvando fiunt in tempore, qvæ ab æterno cognovit. 2. *non dependere à Creaturis*, ut Intellectum humanum: qvia Dei Intellectus eſt menſura rerum, qvarum Ideæ extiterunt in mente divina, anteqvam creatæ ſunt; Humanum autem intellectum menſurant res cognitæ, & Veritatem cognoſcit, qvando res apprehendit, ut revera ſunt vel fiunt. 3. non indigere ſpecie intelligibili, ſucceſſu temporis, &c. ejusqve eſt actus ſimpliciſſimus & viſio, intuitiva, nullis indigens accidentibus.

VIII. *Scientia* præteritorum, præſentium ac futurorum, bene diſtinguenda eſt à *Rebus ipſis* præteritis, præſentibus & futuris: *Illa* poteſt eſſe in Inſtanti, etiam in mente humana, cum res extra Intellectum ſub diverſis temporum diſtinctionibus exiſtant. Deus ergo intuetur omnia ut præſentia ſuo intuitu, cui *objective* ἐν τῷ νῦν absqve ſucceſſu & fluxu temporis omnia ſiſtuntur præſentia, & tamen extra Dei intellectum futura & præterita non exiſtunt ut præſentia, Mille enim anni Deo apparent unus dies *Pſ.* XC. *ſ.* 2. *Pet.* III. 8. *Sine* XVIII. 8

IX. *Deus* interdum ſuam præſcientiam abſcondit, ut *Homines* erudiat, ſibi nunqvam placuiſſe, qvæ fiunt: Sic ἀνθρωποπαθῶς dolet de Hominum Iniqvitate, cum ea in tempore exiſtit. *Geneſ.* VI. 6. 7. de Iſraelitis rebellantibus in deſerto dicit, qvod juraverit, illis dare terram promiſſam *Num.* XIV. 30. ac ſi neſciviſſet, eos rebellaturos, ut teſtaretur, ſibi nunqvam placuiſſe rebellionem, qvæ ipſi ab æterno fuit nota. *Eſa. V.* v. 4. & 7. expectaſſe legimus Deum fructus de vinea ſua, judicium & juſtitiam, cum tamen tulerit Vitis labruſcas, & ſeqvuta ſit in populo plaga ac dolor. Qvæ & ſimilia ſi de *Præſcientiæ defectu*, & non *diſplicentia divina* accipias, non intelligis θεοπρεπῶς, qvæ dicta ſunt ἀνθρωπίνως & evertis Dei immutabilem ſcientiam, qvæ non minus atqve immutabilis ejus *Eſſentia*, Fidei eſt analoga.

X. Loqvitur interdum *Deus* de *Eventu* phraſibus *dubitativis*, ac ſi non præſciret pœnitentiam Judæorum. *Jerem.* XXXVI. 2. 3. *Ezech. XII.* 7. *Luc. XII.* v. 2. è qvibus non inferendum, Deum ignoraſſe, num pœnitentia vel impœnitentia ſeqvutura? Siqvidem

Deus *arcanam* suam *præscientiam* non semper patefacit, ut qvando Ezechiæ prænunciat mortem, qvem novit victurum *Esa.* XXXVII. & Ninevitis prædicit per Jonam *Everſionem*, qvam pœnitentia declinaram iri, novit. Ita etiam Deus non patefecit suam præscientiam de Judæorum pœnitentia, adeoqve dubitative de ea loqvitur, ut Homines intelligant, se non velle revelare, qvid futurum, anteqvam ipsa seqvatur pœnitentia, qvæ Hominum vitio sæpe differtur vel auffertur, cum *Deus* ad eam hortatur. *Revelata* igitur nobis Præscientia Dei attendenda, qvam aperuit *Jerem. XVIII.* 7. 8. 11. Ex *abscondita* autem ejus præscientia non sunt nectendæ argutiæ, qvæ blasphemæ in Deum & pernicioſæ bonis moribus. *Chemnit d. l. pag. m.* 164.

XI. Ut ab arbitrio DEi pendet, qvod creatura sit, moveatur ac operetur, qvæ posito motu Dei, suosmet motus speciſicos sic vel aliter potest determinare; ita ab *Essentia* ejus pendet, ut ab æterno sciat, qvam Speciem motus creatura qvæqve, etiam posita divina influentia, hic & nunc determinare possit, velit, certo determinatura sit vel non sit. Oritur enim ejus præscientia s. Visio intuitiva non ex Rerum resplendescentia, sed ex infinita ejus sapientia, potentia & præscientia, qva facultates â se creaturis inditas æterno intuitu non solum contuetur, sed etiam potens ac præsens movet ac dirigit, modis pro diversitate Objectorum, bonorum, malorum vel indifferentium sibi placitis & in verbo suo revelatis. *D. Hulseman. in Supplem. Brev. cap. 4. th. 5.*

XII. Etsi Deus nihil cognoscat invitus, voluntas Dei, tamen ejus Scientiam objective non determinat, ut rem decretam incipiat cognoscere. *Deus* enim ex necessitate suæ *Essentiæ* cognoscit omnia possibilia, & anteqvam absolute decernat, absolute cognoscit decernenda, anteqvam conditionate decernat, cognoscit decernenda cum permissione motuum naturalium, aut sub alia qvadam Conditione. *Hulsem. d. l. th.* 10.

Qv. II. *Num Deus sua Præscientia & Providentia omnem tollit Contingentiam, ut omnia fatali necessitate eveniant?*

THESES.

I. COntingentia non notat in hac qvæst. Casum & Fortunam seu Causas per accidens; sed significat *Indifferentiam Voluntatis in Creatura intelligente, qva potest agere & non agere, & qvan-*

qvando elegit vel aversata fuit hoc vel illud, libere aliqvando potuit illud vel non eligere vel non aversari.

II. Hujusmodi Contingentiam qvæ est libera Voluntas in Creatura intelligente, non subverti per Dei Præscientiam ac Providentiam, certis dant probatum argumentis Theologi, cum adstruunt liberum Arbitrium in Angelis & Hominibus. Vide *Hutter in L. Theol. p. 254. Bellarm. l. 4. de Grat. & lib. arbitr. cap. 7. S. Suar. disp. 19. Metaph. sect. 2. Jun. de lapsu pr. Hom. cap. 1. & 2.*

III. Obvia sunt in Bibliis Exempla & Dicta qvæ proferunt hanc Thesin: *Cum DEi Providentia consistit Contingentia.* Diaboli lapsus fuit Contingens *Joban. VIII. 44.* & tamen â Deo punitus 2. Pet. II. 4. *Ep. Judæ* v. 6. Hominis lapsum Deus præscivit, punivit & ad bonum finem direxit, uti suo loco probatur, & tamen libere Homo lapsus est & peccavit *Eccles. VII. 2c. Genes.* III. 6. Venditio Josephi in Ægyptum divinæ Providentiæ notas exhibet splendidissimas, cum tamen venditio fuit contingens & libere fratres Josephi peccarunt, uti ipsimet fatentur *Genes.* 42 v. 21. 22. Zedekia qvando capitur & horribili pœna â Rege Babyloniorum afficitur, Providentiam Dei non effugit, & tamen potuisset evitare hujusmodi pœnas, si voluisset, uti legitur *Jerem.* 21. v. 8. 9. c. 38. v. 17. & hujus farinæ Exempla multa sunt in sacris literis.

IV. Scripturæ dicta leguntur, in qvibus homini datur optio, ut eligat, qvod velit *Deut. 30. v. 19.* 20. *Jos. 24. 15. 2. Sam. 24, 12. 1. Reg. 3. 5.* Hæc qvia non tollunt Dei Providentiam, iis, qvæ divinæ Providentiæ subjacent, Contingentiam inesse, solide evincent.

V. Deus interdum conqveritur, qvod facta sint ab Angelis & hominibus, qvæ ipse voluit non fieri. *Genes. 3. v. 14.*

VI. Præscientiam Dei actionibus præscitis Rationalis Creaturæ, nullam afferre necessitatem fatalem, indicat 1. scriptura, qvæ testatur qvædam esse prævisa negocia, qvæ non existunt, neqve extiterunt Matth. 3. v. 10. cap. 1. v. 22, 23. 1. Sam. 13. v. 13. &c. 2. malitia prævisa â Deo in Angelis & hominibus, qvæ non potest â Deo dici effecta, qvi ab illo præcognita. 3. scripturæ silentium de hac Conclusione Actionibus qvibusdam Creaturæ Rationalis Deus sua præscientia necessitatem attulit. 4. in scripturis & Dei Præscientia & Actionum Contingentia docetur: Hæcitaqve illi non ἐναντίως opponenda; sed ὑπαλλήλως subjicienda, utcunqve omnia dubia non possint

tolli

tolli, qvæ Intellectui nostro ex præscientia Dei infallibili & Contingentia obveniunt. Vide *Scaffmann. lib. 1. de causa Peccat. c. 9. Meisn. Part. 1, Philos. sobr. Sect. 4. cap. 9. q. 4, Hutter. in L. Th. p. 256.*

VII. Etsi Dei præscientia omnium rerum existentiam antecedat, tamen non aliam Existentibus Naturam conciliat, qvam talem, qvalem in tempore habent: Uti igitur ut necessaria præscita, qvæ ut necessaria existunt: Ita ut Contingentia præscita, qvæ ut Contingentia existunt.

VIII. *Præscientia* Dei est Infallibilis & qvicqvid Deus futurum prævidit, illud evenit, sed non seqvitur illatio hæc. *Si præscientia non fallitur, omnibus futuris affert fatalem necessitatem*: Nam præscientia non solum causas Eventuum, sed ipsum Eventum futurum, ut præsentem prægnoscit. Uti ergo effectus qvando existit, non potest non existere, licet in causis sit contingentia, ut potuerit non existere; ita Infallibilis *Dei* Præscientia, ob effectus existentiam prævisam. Contingens nihilominus effectus ob libere agentem causam. E. g. Absalon libere parentem Davidem persequitur: Prævidit hanc persequutionem *Deus* ut extitit, ideoqve falli non potuit, nihilominus contingens fuit hæc persequutio in sua causa videlicet libero arbitrio Absalonis, qvod *Deus* non everit sua præscientia, sed conservavit illud in suo esse, qvo potuit persequi & non persequi parentem, anteqvam ipse persequutionis actus extitit. Sic video ego, studiosos qvosdam disputantes, & visio mea non fallitur, non enim possunt non disputare, cum disputant; Interim mea visio non tollit eorum liberum arbitrium, qvo potuerunt disputare & non disputare, anteqvam disputarunt.

IX. Similia â Præscientia Humana in *Astrologo*, præsciente Eclipsin, *Politico* prævidente seditiones, *Medico*, prægnoscente ægroti mortem, *Paulo* prænuncianti naufragium &c. non afferuntur, ut æqviparent Scientiam humanam divinæ, sed potius ut illustrent *Scientiæ & potentiæ distinctionem*, cum *illa* præscita non efficiat, qvæ sunt Effectus *potentiæ*.

ANTITHESES.

I, *August. l. 5. de C. D. cap. 9. tom. 5. col. 259.* de Ciceronе scribit; qvod Præscientiam Dei Contingentiæ & libero Hominum arbitrio oppoluerit, cum ita sit ratiocinatus: *Si præscita sunt omnia futura*

futurâ, hoc ordine evenient, qvo ventura esse, præscita sunt. Et si hoc ordine venient, certus est ordo rerum, præscienti Deo: & si certus est Ordo rerum, certus est Ordo causarum; Non enim aliqvid fieri potest, qvod non aliqva efficiens causa præcesserit. Si autem certus est Ordo causarum, qvo fit omne, qvod fit, fato fiunt omnia qvæ fiunt; Qvod si ita est, nihil est in nostra potestate, nullumqve est arbitrium Voluntatis. Paulo post: *Sic est præscientia futurorum sequuntur illa omnia, qvæ connexa sunt, donec eo perveniatur ut nihil sit in nostra voluntate.*

II. De Esseis scribit *Zonar. tom. 1. Annal. pag.* 155. qvod Fatum rerum omnium Dominum constituerint, & Hominibus omnia fato contingere censuerint.

III. *Calviniani* Præscientiæ divinæ substernunt Decretum, & ideo res præscire, statuunt, qvia eas decrevit. *Johan. Maccov in Theol. Polem. cap. 4. qu. 5. Omnia*, qvæcunqve eveniunt, futura s. ventura erant ex Dei decreto in πρωτ. ψευδ. *Armin. cap. 1. pag.* 103. Res sunt, qvia Deus scit non vero Deus scit, qvia res sunt. *Calvin. l. 3. Instit. cap. 23. sect.* 6. Deus non alia ratione, qvæ futura sunt, prævidet, nisi qvia ita ut fierent, decrevit. Confer *Gerh. L. de Provid. §. 41. Chamier tom. 2. Panstrat. lib. 2. c. 5.* Confer Syllab. testim. à Remonst. collect. ad th. 11, Artic. II. & *IV.*

IV. Qvidam ex Scholasticis & Pontificiis statuunt; Deum certo & infallibiliter cognoscere omnia futura contingentia in decreto, eoqve absoluto & Efficaci vel prædeterminatione Voluntatis suæ sive futura illa sint naturalia, sive libera, sive bona sive mala. *Medina in 1. 2. q.* 105. *art.* 10. *Estius in 2. dist.* 16 *n.* 3 *&c.*

HYPOTHESES.

I. Qvomodo infallibilis Divinæ præscientiæ certitudo consistat cum Contingentia, difficulter mens humana assequitur: Hinc *Senecanus l. 5. Provid. c.* 10. *&* 11. liberum arbitrium æqve credendum censet, ut divinam Providentiam credimus, utcunqve non comprehendat ratio, qvomodo hæc cum illo consistat. *Boeth. lib. 5. de Consol. prof. 6. pag. m.* 1115. ex Doctrina B. *Augustini l. 5. de C. D. cap.* 9, & 10. hausit distinctionem duplicis Necessitatis, unam *simplicem*, alteram *conditionatam*: *Illa* non *hæc* repugnat Contingentiæ vel libero arbitrio. Deus ea futura Contuetur ut præsentia, qvæ ex arbitrii libertate proveniunt; Hæc ad intuitum relata divinum, necessaria sunt per conditionem divinæ notionis: per

se vero considerata, ab absoluta naturæ suæ libertate non deficiunt, uti loqvitur Boethius. Recentiores Theologi Necessitatem conditionatam vocant *Consequentiæ*, & absolutam *Consequentiæ* necessitatem, *Hæc* oritur ex necessaria Cohæsione effectus cum sua causa: *Illa* est ex actu Existentiæ & fluit ex causis, qvæ non mutantur, cum per naturam mutari potuissent. *Hæc* non *illa* intelligenda, cum asseritur, Qvicqvid Deus præscivit, necessario evenit.

II. Contingentia vel liberum arbitrium non tollitur, sed interdum impeditur: Siqvidem 1. Diabolus ad mala opera instigat 2. Vehementia Affectuum sæpe libertatem in agendo constringit. 3. Deus ipse justis de causis nonnunqvam Voluntates Hominum ita regit, ut in effectum deducere neqveant, qvæ libere elegerunt. *Roman. I. 13.*

III. Qvatenus Causa hujus vel illius Effectus impedibilis & qvatenus non impedibilis, non fugit Dei Scientiam, qvia tam Dispositionem causæ proximæ in se, qvam actualem concursum causæ ad Effectum prævidet. Insuper Præscientia non est in causis *proximis & secundis*, sed in causa *prima*, *remota & universali*, qvæ independens: Sicuti autem causa prima, secundarum causarum motum non tollit, sed regit; ita etiam Præscientia, qvæ est in causa prima, Contingentiam causarum particularium non evertit, sed intuetur atqve cognoscit.

IV. Testimonia Scripturæ, qvibus hoc vel illud legitur factum, *ut impleretur id, qvod à Spiritu S. prædictum* ad infallibilem Dei Præscientiam respiciunt, cui illud ut præsens apparet, qvod in tempore futurum, & ideo prædictum, qvia certissime eventurum: Accurate autem distinguenda causa *conclusionis, illationis s. cognoscendi*, à causa *productionis, Rei seu essendi*. Ex prædictionibus divinis per optimam consequentiam infero: *Hoc vel illud eveniet, qvia Deus qvi ipsa Veritas, & mentiri nescit, illud eventurum prædixit*; sed particula *qvia* non notat *causam productionis*, sed *illationis*, ut in his Exemplis: *Sol ortus est, qvia dies est*: *Homo vivit, qvia ambulat. Homo est rationale animal, qvia disputat* &c. Sicuti enim dies Solis ortum, ambulatio vitam, disputatio facultatem ratiocinativam non *efficit*, sed *evincit*, non *producit*, sed *ostendit*: sic prædictiones divinæ qvæ fluunt ex divina præscientia Eventus futuros, qvos Deus ut præsentes præcognovit, non *causaliter* producunt, sed à Deo *prævisos* evincunt, In dictis ergo *Johan. 12. v. 37. Act. 1. v. 16.* &c. voces ἀνάγκη, ὅτι, γὰρ &c. non αἰτιολογικῶς, sed συλλογιστικῶς accipiendæ sunt.

V. Qvan-

V. Qvando in *Dictis* Biblicis Consilio tum, Eventus ac successus Deo ejusqve Regimini fertur acceptus, non tollitur Libertas Hominis in Voluntate & Electione; sed Consilium Voluntatis propositum & Actionum Scopus divinæ Gubernationi subjicitur. *Aliud* autem est, *libere agere, eligere, proponere*: Aliud, *libere collimare suis actionibus ad præfixum scopum, Hoc*, non *illud* negant hæc S. Scripturæ *Dicta Prov. XVI* 1. 9. *Jerem. X.* 23.

VI. De Necessitate *Hypothetica* ſ *Consequentiæ* haud raro Spiritus S. loqvitur; Sic, præsupposita Mundi malitia, necesse est, venire scandala *Matth. XVIII.* 7. posita Testamenti Confirmatione, necesse est intervenire mortem testatoris Hebr. IX. 16. Oportet hæreses esse, qvia indigent fideles probatione 1. *Corinth. XI.* 19, positis divinis prædictionibus, necesse est, sequi Complementum *Matth.* XXVI. 54. *Luc.* XXIV. 44. *Act.* I. 16. &c.

VII. Non tollit Contingentiam Necessitas *obligatoria*, qva qvis divino præcepto vel alio jure ad hoc vel illud est obligatus: *Non* enim ad *actionem*, sed certam actionis *qvalitatem* hæc astringit, de qva sermo est *Matth. XVIII.* 33. *cap. XXIII.* 23. *Luc.* II. 49. *cap. XXII.* 17. *Roman.* XIII. 5. 1. *Corinth.* IX. 16.

VIII. Non adversatur libere agentibus Necessitas 1. *Physica*, in causis naturalibus. 2. *Logica* qvæ in cohæsione Subjecti & prædicati necessaria. 3. *Externa*, qvæ est afflictorum *Luc.* XXI. 23. 1. *Corinth. VII.* 26. 4. *Privativa*, qvando ea necessaria, qvorum privatio vel damnum infert vel vituperium *Luc. XIV.* 18. 1. *Corinth. VII.* 37. *Hebr. VII.* 27 *Philip. I.* 24. 5. *Impulsiva*, qvæ persvadet vel impellit argumentis. *Matth. XIV.* 22. *Actor. XXVI.* 11. 2. *Corinth. XII.* 11. *Galat. VI.* 12. 6. *Ethica* in iis, qvæ Conformia legibus, cum necessaria dicuntur, qvæ pia, sancta, vera honesta & justa sunt. *Luc.* XII. 12. *c.* XIII. 16. *Act.* XXV. 10. *Cap.* XXVII. 21 *Roman.* XII. 3. 1. *Thessal. IV.* 1. Hæc & similia Necessaria dum conservat Dei Providentia, non tollit Contingentiam Intelligentis Creaturæ, & conservando Contingentiam, non tollit omnem necessitatem. Unde futilis arguitur hæc Conseq. *Si præscientia DEi nullam affert fatalem necessitatem, nulla datur Necessitas.*

IX. Actualia peccata sunt vel *Interna*, qvibus Voluntas assentitur pravis desideriis, iisqve delectatur; vel *Externa*, qvibus vitiosi actus perficiuntur: *Hæc* in Renatis & Non-Renatis sunt Contingentia, qvia utriqve habent liberum arbitrium in præstanda externa

Legis Obedientia, & cavendis enormioribus *Delictis*. Hoc liberum arbitrium in Renatis non evellitur sed perficitur per gratiam regenerantem ac renovantem. *Interna* autem peccata, in *Renatis* & *non Renatis Conditionate* & ex hypothesi sunt necessaria, qvando *illi* resistunt Spiritui S. ejusqve ductum aversantur, *bi* autem carent gratia S. Spiritus qva desideria prava reprimuntur. Confer *Scaffman. l. 1. de Caus. Peccat. cap.* 11. *Chemnit. Part.* 1. *Loc. p.* 162. *D. Hunn. t.* 1, *op. col.* 704, *Hutt. in L. p.* 56. *Gerh. L. de Prov. §.* 37. *seqq.*

CAP. III.

DE PECCATIS ET VITIOSIS ACTIBUS â DEI PROVIDENTIA NON EXIMENDIS.

CUbernationi divinæ subesse bonas Angelorum & Hominum actiones, sacra πνευματολογία & ἀνθρωπολογία abunde edocet. Circa mala prædictorum opera occupatam esse κυβέρνησιν divinam, non otioso intuitu, sed 1. *præsciendo*, 2. *prænunciando*. 3. *permittendo*. 4. *Naturam sustentando*. 5. *peccantes deserendo*. 6. *Sathanæ eosdem tradendo*. 7. *Metas prævaricationibus præfiniendo* & 8. *Bonum ex malis actibus eliciendo*, Dictis & Exemplis S. Scripturæ nostri Theologi dilucide demonstrarunt, nec occurrit, qvibus audeat Contradicere. Vide *Hutter. L. 5. Cap.* 1. *pag.* 235. *& in Iren. pag.* 92. *Winckelm. tom.* 7. *Disp. Gies.* 1 *th.* 46. *D. Hunn. tom.* 5. *Op. disp.* 23, *th.* 114. *Gerhard. L. de Provid.* §. 68. Postqvam qvidam in explicando Dei concursu ad malas actiones scandalosis & inconsideratis usi sunt phrasibus, mota sunt certamina fervida de certis modis, qvibus *Deus* versatur circa peccata; An iis congruat Doctrina S. Spiritus, & an non ex iis recte inferatur, Deum esse *Authorem* & Causam peccati. Receptui ut caneretur, qvidam consuluerunt tolerandam esse thesin, qva asseritur, *DEum esse causam peccati per accidens*. Cum enim unanimis videbatur sententia, Deum non esse peccati causam, uti docent nostrates Theologi *Chemnit. Part.* 1. *L. Th. pag.* 147. *Scaffman. duobus libris de causis peccati, Hutter in L. Th. p.* 233. item Pontificii *Lomb. l.* 2. *sent. dist.* 37. *& Sententionarii h. l. Bellarm. l.* 2. *de amiss. Grat. cap.* 8. 9. 10. *Greg. de Valent. tom.* 2. *Disp.* 6, *q.* 9. & Calviniani *P. Mart.*

Mart. in Loc. Classe 1. *cap.* 14. *Zanch. l.* 3. *de N. DEI. cap.* 4. *q.* 4. *th.* 7. *Jun. tom.* 1. *Op. col.* 146. *Chamier. tom.* 2. *Panstrat. lib.* 3. *cap.* 12. *seqq. Masson. tom.* 1. *Anatom. cap.* 30. 31. *seqq. tom.* 3. *cap.* 12. duriores phrases qvorundam Theologorum excusare vel emollire qvidam sunt conati, asserendo, His non doceri, Deum esse causam peccati *per se*, sed duntaxat, *per accidens*. Verum hoc pronunciato non tam finita qvam renovata fuit pugna, qvibusdam illi applaudentibus, aliis illud condemnantibus. Hinc Ecclesia Orthodoxa nondum qviescere potest â Conflictu cum illis, qvi docent 1. *Deum peccata velle, approbare, præcipere atqve decernere.* 2. *Deum peccata excitare, promovere adjuvare efficere & ad ea vel occasionem subministrare, vel etiam impellere.* 3. *Calvinianos non esse accusandos qvod doceant, Deum esse causam vel Authorem peccatorum.* 4. *Lutheranos Theologos talem profiteri concursum Dei cum peccatis, qvo DEus asseratur vel causa vel otiosus spectator peccati.* 5. *tolerandam esse thesin, qvæ docetur*; Deum esse causam peccati per accidens. Scrutabimur de his thesesS. Spiritus in sacris literis prostantes, & Antithesium qvæ sint fulcra methodo solita manifestabimus.

Qv. I. *Num consonæ sacris literis phrases de DEo lapsum Hominis & peccata ex eo orta Volente, approbante, præcipiente ac decernente?*

THESES.

I. QUod Deus nec Hominem ea intentione creaverit, ut laberetur & peccaret, nec primum ejus peccatum voluerit, approbarit præceperit vel decreverit, Scripturæ dictis, Rationibus & Patrum Testimoniis probarunt nostri Theologi. *Hutterus in L. Th. p.* 242. *Eckhard. tom.* 2. *Gies. disp.* 10. *th.* 21. *Winckelm. tom.* 5. *Gies. disp.* 12. *th.* 24. *Meisn. Dec.* 1. *Anthropol. disp.* 4. *q.* 2. Consentit *Bellarm. l.* 2 *de amiss. grat.* c. 8, & *F. Jun. lib. de Pecc. primi Hom. q.* 1. *cap.* 5.

II. Scripturam si consulamus, hæc testatur, πρωτοπλάστος esse lapsos: Deo nec *invito* nec *otioso*, nec *volente*, nec *approbante*, nec *præcipiente* nec *decernente*.

III. *Invito* Deo, si peccassent, Divinæ voluntati aliqvis posset resistere, qvod negant omnia dicta de Dei Omnipotentia, qvasi Deus velit uti, nihil fieri potest, qvod ille per absolutam Omnipotentiam vult impedire.

IV. *Otiosum* fuisse Deum spectatorem primi peccati, ab Homine com-

commissi, non admittunt dicta de ejus Omniscientia, universali gubernatione & sustentatione, e qvibus constat, Homines πρωτοπλάστους peccasse, Deo præsciente, permittente, naturam conservante & lapsum ad bonum finem dirigente.

V. Eo ipso, cum Moyses refert, qvod Deus lapsum prohibuerit sub comminatione mortis *Genes. II.* 16. 17. *cap. III.* 14. 15. & severissima pœna multarit in Sathana, ejus Organo & ipsis Hominibus *Genes. III.* 14. 15. 16. *Rom. V.* 12. asserit hanc Thesin: *DEus nec voluit nec approbavit, nec præcepit nec decrevit Hominis lapsum vel primum peccatum.* Cujus Contradictoriæ oppositæ Moysis relationi aperte contradicit.

VI. Nulla alia peccata ex primo orta Dei Voluntate approbari, indicat S. Scriptura, evehendo Deum, ut non volentem iniqvitatem *Ps. V.* 5. ut odio habentem iniqvitatem. *Ps. XLV.* 8. *Zach. VIII.* 18. & serio expetentem, ut homines devitent peccata, & ab illis se ad pietatem convertant. *Deut. V.* 29. *Esa. XLVIII.* 18. 19. *cap. LV.* 7. *Jerem. XVIII.* 1. *Ezech. XVIII.* 21. 2. *Pet. III.* 9.

VII. Deum non *præcipere*, sed *prohibere* peccata, una cum Decalogo omnes libri biblici contestantur. Imo protestatur Deus, se non præcipere nec unqvam præcepisse scelera. *Jerem. VII.* 31. *cap. XIV.* 14. *cap. XIX.* 5. *Sirac.* XV. 21.

VIII. Deum *efficaci suo Decreto* neminem cogere ad peccatum, declarat mœror, qvem Θεοπρεπῶς concipit de peccatis *Genes.* VI. 6. *Judic. X.* 16. *Mich. VII.* 1. *Luc. XIX.* 41. & gravissima in supplicia convertit, uti comminationes bene multæ & Exempla iræ divinæ passim subindicant.

IX. De *Voluntate Signi* & *externa* qvi hæc accipiunt, beneplacitum in Deo sibi imaginantur Verbo patefacto e diametro Contrarium, & Conscientias Dubitationum implicant laqveis, ut nemo Confidere qveat, Deum hoc non velle, non præcipere non decernere, qvod se non velle, non præcipere, non decernere, verbo significat.

X. Mala pœnæ qvod Deus velit, approbet, præcipiat decernat, ipsimet fatemur, qvod autem peccata velit approbet &c. *qvatenus sunt pœna*, Scriptura non tradit, primum Hominis peccatum, qvod non alterius antecedentis potuit esse pœna, respuit, & ratio formalis pœnæ non admittit: Siqvidem peccatum est pœna, non qvatenus ἀνομία & cogitatum, dictum vel factum divinæ legi repugnans; sed qvatenus à Deo ita dirigitur, ut fiat pœna.

ANTI-

ANTITHESES.

I. Omnium peccatorum causam primam constituunt Dei Decretum Calviniani. Calvin. l. 3. Instit. cap. 23. §. 7. fol. 337. b. *Præscivit DEus, quem exitum habiturus Homo, antequam ipsum conderet, & ideo præscivit, quia Decreto suo sic ordinarat.* Zanch. l. 5. de N. D. cap. 2. p. 735. *Fatemur DEi* Ordinatione *Adamum in peccatum fuisse lapsum.* Perkins. de Prædest. p. 38. *DEo non præsciente tantum, sed etiam* volente ac decernente *lapsum Adæ eveniſſe, dicimus.* Beza in Act. Col. Mompel. de Præd. th. 39. pag. m. 434. *Nullum fuit majus peccatum, quam crucifigere Filium DEi, hoc tamen â DEo* decretum, ordinatum & ex ipsius Voluntate *factum est* parte 1. Resp. ad Act. Coll. Mom. p. 102. *primos parentes nativa bonitate non nisi ex DEi* sic volentis decreto *se privasse,* scribit. Zanch. de Reprobat. col. 743. 744. *Damus, Reprobos necessitate peccandi, eoque & pereundi ex hac DEi* Ordinatione *constringi, atque ita constringi ut nequeant non peccare atque perire.* Confer. *Syllab. Testimon. in Defens. I, & IV. artic. quem exhibuerunt Remonstrantes.*

II. Deum velle peccata, asseruntCalviniani cum dictitant: Deo volente *omnia fieri, ut quicquid accidisse viderimus, non nisi* DEi decreto, eoque justo, arcano ac immutabili *accidisse dicamus,* teste Beza cont. Castell. Vol. 1. op. p. 551. Dei Voluntate *universos Filios Adam in hanc, qua nunc illigati sunt, conditionis Miseriam incidisse,* uti tradit Calvin. lib. 3. Instit. cap. 23. sect. 4. *Adamum necessario lapsum esse necessitate Providentiæ divinæ* & Deo sic præcise volente, uti scribit Piscat. Cont. Schaffm. p. 6. *Deum non modo passum esse, ut Homo tentaretur â Sathana,* sed etiam voluisse; centente Calv. com. in Genes. p. 26. *Deum* voluisse ac velle, *ut multa sint vasa Iræ,* ut docet Zanch. l. 5. de N. D. cap. 2. *Deum* velle atque etiam efficere, *ut impii in Concupiscentiis suis vivant,* quemadmodum loquitur Trigland. in Apolog. pag. 172. *Peccatum fieri,* Deo volente, decernente, ordinante. Item prævolente, prædecernente præordinante, ita ut non possit non evenire juxta doctrinam *Piscat, in Resp. ad Apolog. Bertii p.* 111.

III. *Deum creasse & adhuc creare* quosdam Homines ad peccata fatetur *Beza in Colloq. Mompelg. th.* 30. *de Prædest. Piscat. cont. Scafman th.* 24. *Zanch. l. 5. de N. DEi c. 2. q. 1.* &c. Vide infra Controvers. de Hominis Creat. Si autem Deus creat homines, ut peccent, haud dubie peccatum ap-

probat & præcipit, uti approbat & præcipit omnes alios fines, ad qvos opera sua condidit.

HYPOTHESES.

I. Calviniani opponunt plerumqve, qvæ Spiritus S. conjungit. Deum non impediviſſe lapſum primorum Hominum, nec otioſum fuiſſe ejus Spectatorem, evidenter ut docet Spiritus S. ita æqve evidenter docet, Deum nec voluiſſe nec approbaſſe nec decreviſſe hunc lapſum, ut non ex S. Spiritus informatione, ſed cæcæ Rationis dictamine prodeat hæc illatio. *Si Deus lapſum primorum Hominum nec impedivit, nec otioſe aſpexit, cum voluit, approbavit atqve decrevit.*

II. In argumento, qvo concluditur; *Deum, ob declarandam juſtitiam & miſericordiam, voluiſſe ac decreviſſe lapſum primorum Parentum, & creaſſe Hominem, ut laberetur*, vana latent figmenta: Præſupponitur enim abſqve S. Scripturæ Inſtitutione 1. Eam declarationem Juſtitiæ ac Miſericordiæ divinæ, qvæ lapſum Adami ac Evæ inſeqvuta, fuiſſe ſimpliciter neceſſariam. 2. nullo modo fuiſſe Juſtitiam ac Miſericordiam Dei declaratam, anteqvam Homo peccavit; Cum *hanc* Creatio, *illam* Angelorum, qvi peccarunt condemnatio manifeſtarit. 3. nullis aliis mediis potuiſſe declarari divinam miſericordiam ac Juſtitiam, niſi iis qvibus ea declarata per reparationem Humani generis Exitio æterno per peccatum traditi. 4. Eum eſſe juſtum, qvi punit peccatum, qvod voluit approbavit & decrevit: Eumqve eſſe miſericordem, qvi vult interitum & æternum exitium plurimorum, ut paucorum miſereatur. De his ne γϱ῀ extat in Codice Biblico.

III. Phraſes æqvipollentes qvi credit: Τὸ *Velle lapſum primorum Hominum*, & Τὸ *non impedire lapſum*; in erroris peditat cæno: Duplici enim modo actio qvædam poteſt impediri, *legitimo vel rationabili*, & *illegitimo vel irrationabili*. Qvi *priori* modo non impedit peccatum, haud dubie vult illud, uti Aaron voluit Idololatriam populi Iſraelitici, qvam legitime impedire potuiſſet, ſi voluiſſet *Exod. XXXII, 15.* Qvi autem *poſteriori* modo non impedit peccatum, non ſtatim illud vult, vel approbat, licet permittat. Ut Eliſæus non vult Tyrannidem Hazael, qvam prævidet, & illegitime impedire potuiſſet ſi Hazael enecandum curaſſet 2. *Reg. VIII 12. ſeqq.* Magiſtratus non vult Ebrietatem & alia ſcelera ſubditorum, qvæ illegitimo modo non impedit, omnem potum interdicendo & catenis omnes adſtringendo. Non itaqve ſufficit, probaſſe; Deum non impediviſſe peccatum; ſed probandum

Deum

Disp. XII. Resp. GEORG. HENR. HELL. MICH. Dabera. Pomer.

Deum *eo modo* non impediviſſe, qvi Sapientiæ divinæ congruus, IV. Qvis modus ſit legitimus in impedienda πρωτοπλάστων ἀποστασίᾳ, non ex Rationis noſtræ judicio innoteſcit: Summo itaqve in periculo verſamur, ſi noſtris Conceptibus fidamus, & æqvum, congruum atqve neceſſarium cenſeamus, Impedimentum, qvo Deus vel liberum arbitrium denegaſſet, vel repente, poſt Creationem, Hominem in ſtatu Integritatis confirmaſſet, vel legem non dediſſet, vel tentationem Sathanæ non permiſiſſet &c. Unde enim nobis conſtare poteſt: Hos modos impediendi divinæ Sapientiæ conformes fuiſſe; Qvia Deus nihil imprudenter & ſtolide agit, procul dubio hi modi impediendi ſunt maxime ſtolidi & imprudentes, qvibus Deus uti noluit. Certe nulla ratione obligatus fuit, ut præter Ordinarium Auxilium, concomitans ſtatum Integritatis, qvo potuit homo devitare peccatum & ſuperare omnes Sathanæ tentationes, majus concederet, nec ſuæ Sapientiæ habuiſſet rationem, ſi rationale animal deſtitutum libero arbitrio condidiſſet, vel in ſtatum gloriæ abſqve præcedente Certamine hominem tranſtuliſſet, vel ſibi copulaſſet nullo Obedientiæ jugo ſubjugatum. Confer *Baſil. in orat. qvod Deus non ſit cauſa Pecc. p. m.* 164. *Aug. l.* 11. *de Gen. ad lit. Cap.* 7. *ſeqq. Brent t.* 1. *op. p.* 43. *Hutt. in L. Th. p* 243. *ſeqq. Gerh. tom.* 2. *L. de pecc. Orig. §.* 35. *ſeqq. D Meiſn. Dec.* 1. *Anthrop. S. diſp.* 4. *q.* 2. *Morn. de V. Relig. cap.* 12. *§.* 16.

V. Qvemcunqve Finem Deus *abſolute & ſimpliciter* intendit, illum ſemper conſeqvitur: Perſeverantiam autem primitus conditorum Hominum in Statu integritatis non intendit Deus *abſolute* & ſine ulla conditione, ſed *poſita Hominum obedientia*. Hæc itaqve fuit Dei Intentio: Homines confirmandi in ſtatu Integritatis, ſi tentationem Sathanæ ſuperabunt, cui reſiſtere per concreatas vires poterunt, ſi autem Sathanæ Voluntatem ſubmiſerint, ruent in peccatum & mortem: Hac certe Intentione ſua Deus non eſt fruſtratus. Nec fuit pœna peccati ſubtractio majoris auxilii, ſed ex juſta liberaqve Dei moderatione ordinario auxilio acqvieſcere Homo debuit, juxta monitum Paulo repoſitum, Sufficit tibi gratia mea &c. 2. *Corinth.* XII. 9.

VI. Alius eſt *lapſus Phyſicus*, de qvo *Matth.* X. 29. alius *Ethicus*, qvi fit delinqvendo, vel deficiendo â bonis legibus: *Ille* non contingit abſqve Voluntate Dei: *Hic* Deo ſemper diſplicet.

VII. Axiomata ſunt diverſa: 1. *Qvicqvid DEus facere vult, illud facit.* 2. *Qvicqvid DEus fieri vult, illud fit.* *Primum* approbatur. *Pſ. CXV.* 3. *Poſterius* verum duntaxat de Voluntate Dei abſoluta, non conditionata, qva Deus multa vult, qvæ non fiunt. *Prov. I.* 28. *Eſa. LXV.* 12. *Matth. XXIII.* 37 2. *Pet. III.* 9.

IIX. Creaturæ, qvibus jam indigemus, introducto peccato, non evincunt Deum lapsum decrevisse: Qvamvis enim Deus prævidens lapsum eas condidit, ut lapso humano generi prodessent, tamen non ideo voluit labi Hominem, ut his Creaturis frueretur: Siqvidem pharmaca, vestes, metalla & alia, qvorum maximus est usus post peccatum, non minor potuisset esse usus, si homo non peccasset; Et licet non eo modo profuissent Homini in statu Integritatis, qvo prosunt hodie in statu Corruptionis; tamen non sequitur, qvod non profuissent alio modo, ut infallibiliter liceat inferre: *Qvi condidit creaturas, qvibus indigent peccatores, ille etiam voluit peccatum, propter qvod condita.* Negamus enim unice propter peccatum, à Deo qvædam esse creata: Omnia certe Deus propter Hominem fecit, cui omnia, peccato absente, emolumento fuissent, & non nisi, prævisso peccato, ad peccatorum usum destinata.

IX. In Davidis Eloqviis 2. *Sam.* XVI. 10. non Simei *factum*, sed Dei commendatur *Judicium*: Factum enim & Deus prohibuit *Exod.* XXII. 28. & David puniendum duxit 1. *Reg.* II. 8. 9. *Judicium divinum* David retegit v. 12. qvo fatetur, maledictis Simei se fuisse afflictum: Non igitur Deus præcepit, ut Simei Regi suo malediceret, sed ut ei dolorem & mœrorem incuteret vel meritam pœnam de eo sumeret. Ad hanc respicit David, cum inqvit: *Qvis est, qvi audeat dicere, qvare sic fecerit?* h. e. Si Simei delinqvens unice attendendus, merito reprehenderetur ejus protervia, qvia autem & Deus puniens hic concurrit, qvatenus ejus maledicentia meum fit supplicium, illud non fastuose repellendum, sed modeste & humillime ferendum.

X. In Historia Achab, decepti à Spiritu mendaci 2. *Reg.* XXII. 21. *seqq.* enodanda 1. Verba anunciata *ito, facita.* 2. *Acta DEi judicialia Dedit Jehova Spiritum mendacem.* *Illa* sunt *permittentis*; non *præcipientis*, qvia Diabolo, seipsum offerenti ad seducendum, potestas datur, ut perficiat, qvod perficere aveat. Verba imperativa si diriguntur ad id, qvod Sponte sua alius eligit, non præcipientis sed permittentis sunt indicia ut *Num.* XXII 12. 20. 2. *Sam.* XVIII. 22. 23. 2. *Reg.* II. 16. 17. *Matth.* VIII. 32. Confer *Luc. VIII.* 32. *Hæc* non de *mendacio in abstracto*, sed de *mendaci Spiritu*, in *Concreto*, accipienda: Hujus missio non probat missionem ipsius mendacii, uti missio Carnificis vel lictoris non probat missionem neqvitiæ vel sceleris.

XI. De Amazia Rege Juda legitur, qvod Dei ex Consilio perierit, 2. *Paralip.* XXV. 16. 20. Ast Consilium hoc fuisse Voluntatis *Consequentis* non *Antecedentis* in Deo, Historia hujus Regis comprobat; Qvia enim hor-

horrenda scelera commisit, & increpantes Prophetæ Voces contumeliose sprevit, Dei Consilium fuit, eum perire, qvi gratiam Dei oblatam stolli fecerat.

XII. Præcepta non bona *Ezech.* XX 25. non notant leges de Vitiis & peccatis latas, sed Leges Nebucadnezaris de Tributis, contributionibus & aliis Oneribus, qvibus victos subjicere solent Victores, uti patet ex v. 24. Hujusmodi Leges in Comparat. cum divinis LL. vocantur non bonæ.

XIII. De *Propheta Osea*, qvem jubet Dominus ducere Mulierem fornicariam *Os.* I. 2. hæc sunt notanda 1. *Lutherus* putat, Uxori Prophetæ Nomen Scorti fuisse impositum, cum non revera fuerit fornicaria. Consentit *Calvinus Comm. in Os.* 2. *Zanchius* & *Pareus* meram Parabolam hic describi, existimant. *Tremell Junius & Polanus* rem Spiritualiter in Visione contigisse, arbitrantur. 3. Non probatur ex hoc textu; A Deo præceptam esse Fornicationem; qvia Propheta non *genuit*, sed *assumpsit* Filios fornicationum, mulier c. III. 1. vocatur *adultera*, igitur fuit legitima Uxor, & scopus Prophetæ non admitti Fornicationem. Siqvidem præfiguranda erat Spiritualis fornicatio Israelitarum & Propheta Personam Dei repræsentabat, cui opponitur populus Idololatriens ut mulier fornicaria. Qvemadmodum jam Populus fornicatus est non cum Deo sed cum Idolis; ita mulier fornicata fuit cum aliis non cum Osea, alias Typum hic Dei gerere, non potuisset. Duxit igitur Propheta fœminam, qvæ ante cum aliis fornicata fuerat, uti Deus sibi desponsavit populum, qvi ante Idolis servierat, iisqve adhærere non desierat. 4. Fornicatricem & meretricem ducere, non est peccatum, in Lege morali prohibitum, licet in foro Ecclesiæ minus sit decorum ac Civile. Prophetæ autem sæpissima ex speciali Dei mandato ea patrarunt, qvæ ab externa Civilitate ac Honestate fuerunt aliena. Legitur de Propheta, qvod alii se percutiendum obtulerit. 1. *Reg.* XX. 37. Esaias nudus & discalceatus prodiit in publicum *Esa.* XX. 1. 3. Jeremias totondit Capillum ac projecit *Jerem.* VII. 29. Ezechiel comedit fimum hominis vel merdam *Ezech. IV.* 12. In qvibus omnibus non exteriorem formam sed potius interiorem significationem & latentia mysteria Deus respexit.

XIV. In Passione Christi, qvæ Dei Decreto conformis legitur *Act. II.* 23. *cap.* III. 18. *cap. IV.* 28. *peccata*, qvæ commiserunt Christi Hostes, bene distinguenda ab eorum *Eventu*, qvem exhibuit Satisfactio pro totius mundi peccatis & Generis humani Redemptio. *Hunc Eventum* Deus

voluit, approbavit atqve decrevit; *Illa* nec voluit, nec approbavit, sed prævidens ea prosilientia ex perversa Sathanæ & Hominum Voluntate, decrevit permittere, determinavit & bonum ex iis elicuit. Hinc prorsus alia Intentio Dei, alia Intentio Hostium, qvi Christum persequti sunt. Deus permittens Hostium crudelitatem, intendit Christi Exaltationem & Hominum æternam salutem. Hostes autem cogitant de Christo extirpando, & temporali felicitate & vindicta exercenda. Ad Dei intentionem respiciunt Apostoli & peccata Hostium Christi non *in se* vel *Hostium Intentione* describunt, sed in *divina determinatione, correctione ac Gubernatione*, qva factum, qvod decrevit manus & Consilium Dei, qvatenus ad Finem, qvem Hostes ipsi non intenderunt â Deo sunt determinata illorum scelerata opera.

Qv. II. *Num Scriptura nos docet de Deo excitante, efficiente vel adjuvante peccata & ad ea instigante, impellente vel occasionem subministrante?*

THESES.

I. DE peccatis cum hæc movetur qvæstio, intelligitur tam *primum* qvod evenit in Paradiso, qvam *Ortum*, qvod vel *Originale* vel *Actuale*, cujus variæ sunt Species, prout alibi docetur.

II. Qvod Deus nullum peccatum *excitet, adjuvet & efficiat*, non solum severâ probant Interdicta, qvibus â peccatis avocat, sed etiam summa ejus Bonitas in Verbo patefacta cogit, ut negemus, eum excitare efficere & adjuvare peccata: qvia *opera ejus perfecta, omnes viæ ejus Judicia; Deus fidelis & absqve ulla Iniqvitate, justus & rectus* Deut. XXXIII 4. *Justus est in omnibus operibus, qvæ fecit.* Dan. IX. 14. *Dominus justus non faciens Iniqvitatem* Zephan. III, 5. *Mundi sunt oculi ejus ne videant malum & respicere Iniqvitatem non possunt.* Habac. I. 13. *Deus lux est, & tenebræ in illo non sunt* 1 Johan. I. 6. *omnis qvi peccatum committit, ex Diabolo est.* 1. Joh. III. 10. *Deus neminem tentat ad malum* Jacob. I, 13. *Deus neminem implanat, non enim illi sunt Necessarii Peccatores.* Sirac. XV. 11, 12.

III. Deus in verbo suo inficiatur, se *incitare & impellere* ad peccata qvia monet, ut Homines *Diabolo ad peccata instiganti resistant* Ephes. V. 27. 1. Pet. V 9. Jacob. IV. 7. Diabolum, qvi seduxit mundum, *graviter punit.* Genes. III. 15. Apocal. XX. 9. 10. comminatur pœnas eis, *qvi*

alios

alios incitant ad peccata 1. Reg. XVI. 2. Jerem. XXIII. 15. Ezech. XIII. 20. *pœnas sumit ab iis, qui alios ad scelera allexerunt* Numer. XXXI. 15. 16. seqq. Hinc Homines peccando non obsequuntur Deo ut impellenti, sed potius ut *avocanti resistunt* Ps. XCV. 10. Prov. I. 24. Esa. LXV. 1. Zachar. VII. 11. Act. VII. 51. Luc. VII. 30.

IV. Nullibi S. Scriptura tradit, Deum Homini ad peccandum *ullam subministrasse Occasionem*; Severe autem prohibuisse Deum, ne dentur Scandala & occasiones ad peccandum, frequenter legimus in Bibliis. *Es.* L. *VII.* 14. *Matth. XVIII.* 9. *Galat. V.* 13. 1. *Timoth. V.* 14. *Romã XVI.* 17. 1. *Pet. II.* 8.

V. Multa Dei opera fieri peccatorum occasiones non imus inficias, fiunt autem *per accidens*, propter Sathanæ & Hominum malitiam, quemadmodum Vasa ad honorem efformata â Figulo, quorundam ex vitio & perversitate fiunt vasa Ignominiæ.

VI. Nulla ratione Deum cooperari peccatis, ut sunt peccata non solum ab Apostolo expresse traditum. 2. *Corinth. VI.* 14. 15. sed attestantur etiam omnia dicta, quæ â peccantibus Deum recedere significant *Prov.* XVI. 29. *Esa.* LIX. 2 Ps. CXXV. 5. *Osea* IX. 12.

ANTITHESES.

I. Deum peccati causam esse, inferre sunt olim conati Valentiniani teste *Iren. lib. 4. adv. Hæres. c.* 47.

II. Quidam ex Calvinianis Doctoribus expressis verbis audent asserere, Deum esse causam peccatorum, ut *P. Mart. in* 1. *Sam. c.* 16. *n.* 17. Deum *peccati causam esse*, quatenus hominem in utero matris condit, cum perversita eIngenii, scribit *Bucer comm. in c.* 1. *Ep. ad Rom. Piscatoris in tract. Orth. de Prædest.* hæc sunt verba: *Si eum intelligas authorem, qui suadet aliquid, hortatur, incitat, impellit aut quocunque modo occasionem ad aliquid faciendum præbet*, Deum sane peccati authorem *dicere poteris. Stephe Szeged in Lor. p.* 230. non quidem proprie & simpliciter, sed *impropri. Deum posse dici causam eorum, quæ male fiunt*, concedit, quatenus volens punire peccata, tollit gratiam. *Zwingl. lib de Provid. cap.* 5. *t.* 1. *op. fol.* 364. non exhorruit, scribere; *Numen ipsum esse authorem ejus, quod nobis est Injustitia.*

III. *Deum excitare, efficere & adjuvare peccata*, his asseritur pronunciatis. Calvin. l. 1 Instit. cap. 18. sect 2, *Sathan excæcat Infidelium mentes, sed à Deo ipso* manat efficacia erroris, *ut mendacio credant, qui renuunt parere veritati.* Beza cont. Castell. Vol. 1. p. 380. *Neque dicimus, Idololatriam Deo gratam esse, quamvis justo suo judicio* velit ac etiam efficiat per *Sathanam & quæcunque libuit Instrumenta.* P. Mart. in cap. 3. Judic. *Deus non tantum*

permittit, sed etiam agendo qvo qvomodo mala in nobis operatur Zwingl. d.l. *DEo non est lex posita, idcirco nec peccat,* dum hoc ipsum agit in Homine, qvod Homini peccatum est, *sibi v. non est.* Zanch. t.7.op.p.206. *Deus operatur omnia in omnibus:* Vult ergo & facit, *ut in suis desideriis Impii vivant* p.208. *Deus indurat, excœcat, in desideria cordis & prava flagitia trudit, non tantum permittendo, nec tantum gratiam subtrahendo,* sed etiam interna qvædam particulari, sed ineffabili actione, eaqve vel immediate per se, *vel mediate per ministerium Sathanæ.* Piscat. in Resp. ad Apologet. Bert. pag. 461. *Cum DEus opera Hominum procuret* (*qvippe per qvem vivimus & movemur Act.* 17.) procurat etiam opera illorum stulta & crudelia & insana.

IV. Qvod *Deus instiget, incitet atqve impellat ad peccata,* non eruburunt asserere Calviniani Beza de prædest. adv. Castal. vol. 1. op. pag. 373. *Sic Deus agit per illa Instrumenta* (Sathanam sc. & Impios) *ut non tantum* sinat illa agere, *nec tantum moderetur Eventum, sed etiam* excitet, impellat, moveat, regat *atqve adeo, qvod omnium est maximum,* etiam creet, ut per illa agat, qvod constituit, qvæ omnia recte facit Deus, & sine ulla injustitia. Zwingl. de Prov. cap. 6. scriptitat, *Adamum* coactum *ad peccandum* Bucer. Comm in cap. 1. Ep. ad Rom. pag. 101. *Huc amentia & furoris agi non potuissent, nisi* ipse Deus exercandis istis morbis eos addixisset P. Martyr in Ep. ad Rom. p. 36. *Neqve Deus accusari debet Injustitiæ,* etiamsi velit, inclinet, aut impellat *Voluntatem Impiorum ad gravia peccata.* Zanch. l. 5. de Nat. Dei cap. 2. col. 714. *DEus* excitavit *Pharaonem ad omnia illa, qvæ egit,* mala. Piscat. in Resp. ad Apolog. Bertii pag. 144. *Deum ad peccata, quæ palam prohibet, occulta ratione* Homines impellere, *docet Scriptura.*

V. Deus *qvod ad peccata subministret occasionem,* non dubitarunt qvidam ex Calvini Discipulis. Pet. Mart. in cap. 1. Ep. ad Rom. p. 40. *Negare non possumus à Deo* multas occasiones proponi, *qvæ videntur in Hominibus gratia & Spiritu destitutis malas cupiditates irritare eaq; in ruinam esse.* Atqve tales occasiones à *DEo* suppeditari, *extra Controversiam est.* Piscat. in Resp. ad Apolog. Bertii pag. 50. *Deus homini* mandatum dedit, *ut illud transgrederetur homo, atqve ipse hoc modo* occasionem nanciscereturt *puniendi illum* Zanch. l. 5. de N. Dei, cap. 2. p. 736. Occasionem illi dedit peccandi, *dum legem tulit, qvam sciebat, ipsum non servaturum.*

HYPOTHESES.

Eloqvia hactenus recitata stabilire conantur Authores variis *S.* Scripturæ dictis & Exemplis, qvorum Vindicationem à perversis Glossis nostri Theologi accurate & nervose adornarunt. Vide *Chemnit. p. 1. L. Theol. pag.* 148. *D. Hunn. tom. 1. Op. p. 729. tom. 5. p. 198. Scaffman. l. 1. de caus. peoc.*

pecc. cap. 7. seqq. lib. 2. cap. 3. seqq. D. Mylium disp. 2 in Form. Conc. cap. 3. Hutter. in L. Theol. p. 239. & in Iren. p. 87. D. Meisn. Dec. 1. Anthrop. disp. 6. q. 5. 6. 7. parte 1. Ph. Sob. 5. Sect. 1. q. 4. Grammat. Sect. 2. c. 12. q. 1. Sect. IV. c. 9. q. 10. Gerhard. t. 2. L. de Provid. §. 113. seqq. Ab his scuta & Clypeos adepti sumus, qvibus theses nostras feliciter ac fortiter possumus tueri: Idcirco obvertimus objectionibus hac ἀντιθέσεις.

I. Unica actio, ut *Induratio, Excœcatio seductio*, &c. in sacris literis interdum vendicatur *Deo, Sathanæ* & *Hominibus*: Cum autem Analogia Fidei non admittat, ut eo modo operetur *Deus*, qvo operantur *Sathanas* & *homines*, qvippe *hi* peccato corrupti, *ille* sanctissimus, tota Scriptura convellitur, si vitiosa *illa ratione* dicatur Indurare, excœcare &c. Deus, qva indurat atqve excœcat Sathanas vel Homo.

II. *Mala pœnæ* accurate distinguenda â *malis culpæ*: *Illa* Deus vult, approbat, decernit, excitat procurat, qvia Justitiam suam in illis exerit. *Hæc* autem nec vult, nec approbat, nec decernit, uti liqvet ex dictis.

III. *Actiones* sæpe *iniqvæ* deprehenduntur, cum *passiones sunt sanctæ, bonæ* & *justæ*: sic pessime egit Absalon rebellionem movens adversus Regium Parentem, incestum committens cum Patris concubinis, ipsius Patris Vitæ insidias struens. Qvicqvid autem ab his actionibus David patitur: justo Dei judicio patitur, qvia suis peccatis hujusmodi passiones fuerat meritus.

IV. Verba *activa* non semper significant *actionem Efficacem*, sed vel *permissionem* ut 1. Sam. XIV. 36. cap XXV. 22. Exod. I. 17. Jos. II. 3. cap IX. 15. 20. Job. XXIV. 7. Prov. X. 3. vel *Declarationem* Levit. XIII. 13. 2. Sam. XV. 4. Job X. 2. Ps. XXXIV. 4. Ps. LXXII. 17. Prov. XVII. 1. vel *Imputationem* Exod. II. 7. Job. XXXII. 2. Proinde ex verbis activis efficax Concursus & directa Efficientia non evincitur.

V. Commoda in scripturis est qværenda Διάνοια, qvando proprietas literæ in Textu Scripturæ manifestos impingit fideiqve analogiam infringit; Cum itaqve Analogia fidei non admittat, *Deum Excitare, efficere & adjuvare* peccata, vel, *ad ea instigare, impellere ac destinare*, Dicta, qvæ κατὰ τὸ γράμμα hoc asserere videntur, commoda διανοίᾳ sunt dilucidanda.

VI. Cœcitas illa, de qva Christus loqvitur, *Joan.* IX. 1. non Vitium fuit *Ethicum*, sed *Physicum*, qvod intrinsece non est *malum culpæ*, sed *malum pœnæ*. Hoc cum nec Cœcum nec ejus Parentes peccatis suis provocasse, Christus negat, respicit ad suorum Discipulorum mentem qvi nullum alium concipiebant Cœcitatis finem, qvam Justitiæ divinæ

in

in puniendis peccatis declarationem, cum & Deus Cæcitatem immittat, ut pios in fide & patientia exerceat, suiqve Nominis gloriam manifestet

VII. Textus *Rom.* IX. 17. si in primitiva sua sede inspicitur *Exod* IX. 16. non probat, Pharaonem esse excitatum, ut Deo contumaciter sese opponeret; sed *sustentatio* Pharaonis in variis plagis & Tribulationibus â Moyse indicatur, ut appareat, Deum non continuo omni Ira in Pharaonem sæviisse, sed â mortuis qvasi eundem aliqvoties suscitasse & ab Interitu præservasse; ut suam declararet potentiam. Aliud igitur est; *Excitare ad Inobedientiam*; aliud, *excitare ad declarandam potentiam*: *Illud* nec Moyses nec Apostolus asserit: *Hoc* uterqve affirmat: *Ille* per Naturæ in variis plagis sustentationem: *Hic* per Naturæ depressæ resuscitationem vel corroborationem.

VIII. A *negata una alterave Dei operatione ad negationem Omnis Actionis non valet Conseq.* Uti ergo non licet inferre: *DEus non damnat pios atqve pœnitentes*; E. *nulla actione circa eos est occupatus*; ita & Cadaver est hæc Conf. *Deus non excitat peccatum, non instigat nec impellit ad peccata.* E. *est otiosus peccatorum Spectator, & nulla actione circa illa versatur.*

IX. Abyssum Consiliorum Dei nos ipsi cum Apostolo *Rom.* IX. v. 20. admiramur. Qvando autem Ratio sibi fingit mysteria, Consilia & Decreta, qvæ perspicuis *S. Scripturæ* Dictis non innituntur, truſtra abyssus Consiliorum Dei prætenditur prius probandum, tale Consilium Dei esse patefactum, qvo placuerit destinare qvosdam ad peccata, vel hæc excitare &c deinde de ejus profunditate disserendum.

X. *Genes.* 45. v. 8. Pessima Fratrum Josephi Actio neqvaqvam Deo ut *decernenti & excitanti*, sed ut *dirigenti* attribuitur: Aliud enim est *Venditio Fratris*: aliud est: *missio & constitutio Josephi, ut sit Pater Pharaonis & conservet vitam multorum hominum*: *Illa* est actio Diaboli & prævæ voluntatis humanæ; *hæc* solius Dei: *illa* iniqvitas; *hæc* ejusdem Directio; *illa* ex Intentione mala; *hæc* ex eventu Intentioni illi prorsus contraria, uti legitur *Genes.* 50. v. 20.

XI. Mendacium obstetricum Ægyptiacarum qvod compensatum legitur â Deo *Exod.* I. v. 19, 20 non est *vitium â Deo probibitum*, sed *veritatis licita & bona occultatio*, qvæ commendatur, in illis, qvi Veritatem reticuerunt, cum ejus professio nec necessaria, nec utilis, nec justa, sed potius perniciosa & mali gravissimi causa extitit. Talis veri occultatio est 1. *Heroica*, ut in Rebecca *Genes.* 27. in Jahel. *Judic.* 4. v. 16. Jehu 2. *Reg.* 10. v. 18.

v. 18. Elisæo 2. *Reg.* 6. v. 18. 2. *Officiosa*, ut in *obstetricibus b. l.* Chusai 2. *Sam.* 16. v. 16. Rachab. *Jos.* 2. v. 4. Michol. 1. *Sam.* 19. v. 16. 3. *inevitabilis & necessaria*, ut in Davide, 1. *Sam.* 20. v. 21. *c.* 21. v. 6. Hæc Exempla non adversantur Legi morali, qvæ prohibet 1. falsum testimonium contra proximum *Exod.* 20. v. 16. 2. mendacium perniciosum, qvo proximi vel Vita, vel Fama vel possessio damno afficitur *Exod.* 23. v. 1. *Prov.* 6. v. 18, 19. *Syrac.* 21. v. 31. 3. dogma confictum de Deo ejusqve cultu *Ps.* 4. v. 3. *Ps.* 11. v. 3. *Ps.* 11. v. 3. 2. *Thess.* 2. v. 9, 10. 4. odium simulatione tectum *Ps.* 5. v. 7, 10, 11. *Proverb.* 29, 5. *Jerem.* 9. v. 4. &c. Cum his vitiis nullam habet affinitatem mendacium obstetricum in Ægypto.

XII. Induratio hominum qvæ Deo tribuitur *Exod.* 4. v. 1. *c.* 9. v. 12. *c.* 10. v. 27. *c.* 11. v. 10. *c.* 14. v. 8. *Jos.* 11. v. 20. non infert, vel probat, duritiem cordibus hominum â Deo decernente vel excitante fuisse immissam, qvia 1. Induratio etiam hominibus ipsis vendicatur *Exod.* 7. v. 22, 23. *c.* 8. v. 15, 19, 32. *c.* 9. v. 7, 34. 35. uti autem homo seipsum indurat, malitiam connatam *excitando & adaugendo*; ita necesse est, Deum non *hoc*, sed *alio modo indurare*. Homo enim peccans & Deus puniens nunqvam agunt uno eodemqve modo. 2. phrasis hæc, *Ego Indurabo*, submittitur contumaciæ Pharaonis *Exod.* 5. v. 4. unde patet, Deum duritiem non *excitasse*, sed *invenisse*, qvando induravit. 3. qvomodo Deus induret, ipsa scriptura docet, qvando de Deo asserit, qvod naturam peccantem sustentet *Exod.* 9. v. 16. tradat impœnitentes in sensum reprobum *Rom.* 1. v. 28. deserat sua gratia, ut ambulent secundum desideria cordis sui *Ps.* 81. v. 13. *Actor.* 14. v. 15. & tradat Diabolo excœcandos 1. *Sam.* 16. v. 14. 4. Deum interiori beneplacito detestatum fuisse Pharaonis duritiem, patet ex seria adhortatione ad pœnitentiam *Exod.* 10. v. 4, 5. ex miraculorum multiplicatione & insequuta pœna 5. si vel maxime singularis judicii divini actus voce Indurationis innuitur, ille cum multis aliis judicii actibus nostram fugere potest notitiam, ut prorsus siculnea sit illa sequela, qvæ ex *activo verbo* infert Dei *decretum*, *impulsum*, *cooperationem &c.*

XIII. In *Furto*, qvod commiserunt Israelitæ, uti legitur *Exod.* 3. v. 21. *c.* 12. v. 35. neqve Deus neqve Israelitæ culpam peccati incurrerunt: Nam 1. Deus ut auri & argenti Dominus *Hag.* 2. v. 9. bona terrena ex justo judicio possessoribus injustis eripere potest. *Genes.* 31. v. 9. 4. præceptum de auferendis bonis Ægyptiorum non magis pugnat cum septimo præcepto Decalogi, atqve præceptum Magistratus Carnifici datum de occidendo Homicida, pugnat cum qvinto præcepto. 3. Israelitæ qvidem petebant vasa, sub prætextu mutui, sed Deus inclinabat corda Ægyptiorum,

rum, ut petitionibus eorum locum relinqverent. Qvod igitur respectu Israelitarum erat verum mutuum, illud ex dispositione Dei fiebat merces exantlatorum hactenus laborum.

XIV. Qvando *Deut.2.v.30.* de Deo legitur, qvod aggravaverit Spiritum & obfirmarit cor Regis Amorrhæorum, iterum judicialis actus Dei describitur, qvi continet retractionem sani judicii & consilii, qvibus remotis, Spiritus hominis revera aggravatur & cor obfirmatur, ut salutares cogitationes & ratiocinationes erumpere neqvaqvam possint. Sic de Struthione legitur *Job.39.v.19.* qvod Durus sit ad Filios suos, qvia *Deus privavit eum sapientia, nec dedit illi intelligentiam.*

XV. *Judic 9.v.23.* per רוח רעה intelligitur malus Spiritus, qvi Diabolus, qvem Deus mittit ut Judex mittit carnificem vel lictorem; licet autem Spiritus malus Deo displiceat, qvatenus rixas & seditiones excitat, tamen pœna, qva fontes puniuntur, Deo est grata. Confer in textu *v.56.*

XVI. Qvod vox כי vel qvia in dicto *1.Sam.2.v.25.* sit ἀιτιολογικὴ & causam antecedentis significet, non potest probari. συλλογιστικῶς hæc particula accipitur *Genes. XXII.16.17. Ps.CXVI.10. Luc. VII.47.* &c. Similiter citato loco partic. כי causam notat argumenti s. Conseq. ut sit sensus: qvia non auscultarunt vocem Patris sui, voluit eos Dominus occidere.

XVII. Cum David Sauli dicit; *Si Jehova incitat te 1.Sam.26.v.19.* non hic est sensus: Si Jehova te incitat, ut me innocentem persequaris; qvia si de innocentis persequutione loqveretur, non meminisset in seqventibus sacrificii: Sensus ergo dicti hic est: *Si ego peccavi & tibi Dominus tanqvam supremo Magistratui istum indidit animum, ut de me pœnas sumas promeritas*, fiat, qvæso, Domino oblatio, ut mihi condonet peccata.

XVIII. In textu *2.Sam.12.v.11.12.* tres phrases evolvendæ: prima hæc est; *Excitabo super te malum*; qvæ intelligenda de *malo pœnæ*: Altera talis est; *Accipiam Uxores tuas & dabo proximo tuo*: qvæ verba à seqventibus diligenter distinguenda, in qvibus obscœnus Absaloni actus describitur, de qvo fusius *c.16.v.28.* Traditio enim Mulierum Dei justi judicis fuit actio, ad *Absalonis autem nefandam actionem* nec decreto nec incitamento Deus concurrit. Tertia phrasis his inclusa est verbis: *Ego faciam hoc negocium*, sc. qvatenus illud tuum erit *Supplicium*, non v. qvatenus Absalonis *flagitium.*

XIX. Cum dicto *2.Sam.24.v.1.* conferendum illud, qvod legitur, *1Paralip.21.v.1.* ubi *Sathan* tribuitur actio, qvæ in illo *furori Domini* at-

attribuitur. Nisi ergo Deo & Sathanæ unum agendi modum blasphemæ velimus vendicare, *Judicem* ab *Exeqvutore* ut distinguamus, necesse est: *Ille* decernit, dictitat & præcipit pœnam: *Hic* infligit eandem. Ira Dei incitans Davidem, nihil aliud fuit qvam justa Traditio, qva David Sathanæ incitanti ad peccata fuit traditus.

XX. Qvando decem tribus defecerunt â Rechabeam, causa hæc dicitur esse â Deo 1. *Reg.* 12, *v.* 15, 24. 2. *Paralip.* 10. *v* 15. *cap.* 11. v. 4. qvatenus *Regnum Israelis fuit mutatum*; Aliud autem est *mutatio alicujus Regni*: Aliud *modus & processus istius mutationis*; *Illa* erat justa & 1. *Reg.* 11. v. 11. 31, 35. assignatur *Deo* ut justo Judici, cujus etiam proprium est transferre regna, dans illa, cui vult *Dan.* 2. *v.* 21. *c.* 4. v. 25. *Hic* erat vitiosus, qvatenus Rechabeam dementatus â junioribus Consiliariis Subditorum rebellionem provocavit: Hæc dementia Regis & rebellio subditorum nec præcepta nec approbata nec excitata fuit â Deo: Nam 1. vox סבה derivatur â סבב & annotante *Forstero in Lexico pag* 536. significat *revolutionem*, ut rectissime vertatur textus Originalis hoc modo. *Hæc revolutio seu circuitio regni* est â Domino. 2. in consequentibus verbis remittit nos Dominus ad Prophetiam Ahiæ, qvæ legitur præced. *c* 11. v. 15. & non nisi mutationem Regni, ut pœnam comminatur 3. non legitur in textu, qvod Dominus per Semejam prohibuerit, ut puniantur rebelles, sed *restauratio regni in pristinum statum*, qvam bello Rechaheam intendebat 2. *Paral.* 11. v. 1. Dominus per Prophetam impedivit, cum addita declaratione, divisionem regni sibi non displicere.

XXI Dicta scripturæ, in qvibus legitur, Deum excitare homines ad suscipienda bella 1. *Reg.* 11. *v.* 14, 23. 2. *Paral.* 21. *v.* 16. *Ezech.* 30. *v.* 24. *&c.* exhibent Deum ut *Judicem vindicantem scelera*, cujus *actio* ab *hominum vitiis* accurate distinguenda: *Illa* in bello interimit & punit horribili modo contumaces peccatores: *Hæc* â Deo non excitantur vel approbantur. *Illa* Tyrannis in concreto sumptis ut lictoribus utitur; *Hæc* Tyrannorum vitia in abstracto comprehendunt. *Illa* bellum *in se* intendit, qvatenus est purgatio mundi & Cædes justa impiorum: *Hæc* belli *accidentia* involvunt: *Illa* Tyrannis ut judicii divini Exeqvutoribus præmia distribuit *Ezech.* 29. *v.* 19, 20. *Hæc* â Deo gravissime puniuntur *Esa.* 10. v. 12, 13. *c.* 47. *a*, 6 Fundamentum hujus distinctionis solidum jactum est *Esa.* 10. *v.* 5. *seqq.*

XXII. In *Ps.* 105. v. 25. verbum הפך absqve ulla absurditate vel impietate intransitive vel neutraliter potest accipi, ut sensus sit. *Immutatum est cor illorum*; qvia sic non solum vertit Interpres Chaldæus, sed sæpe

alias in significatione intransitiva hoc verbum reperitur. *Levit.* 13. v. 56. 2. *Reg.* 15. v. 26. *Psal.* 77. v. 9. 1. *Sam.* 25. v. 12. Posito autem qvod in Psalmo 105. vox חמך transitiva significatione gaudeat: tamen nihil obtinent amplius Calviniani, sqvam *mutationem Cordis*, *Deo adscriptam*, qvod autem *immittendo odium*, & non potius *subtrahendo gratiam* & sana consilia, Deus immutarit Corda Ægyptiorum, nunqvam demonstrabunt. Mutatio ergo Cordis Deo attributa legitur, de *mutationis modo* nihil certi ex adducto psalmo colligitur.

XXIII. Excæcatio impœnitentium tribuitur Deo *Esa.* 6. v. 10, 11. ministris Verbi *Johann.* 12. v. 40. *Rom.* 11. v. 8. Diabolo 2. *Corinth.* 4 v. 4. & ipsis infidelibus *Matth.* 13. v. 14, 15. *Actor.* 28. v. 26. Hæ causæ qvia diversissimæ uno eodemqve modo qvod agant, prorsus est impossibile; Cavendum igitur, ne *modus agendi Diabolo & impiis proprius* Deo & Ecclesiæ ministris tribuatur: Deo tribuenda Excæcatio ut *Judici punienti & gratiam suam subtrahenti*, Ministris verbi *objective & per accidens*, uti enim Lex operatur iniqvitatem, & Solis radii excæcant lippientium oculos, ob vitiositatem objecti, ita Cor impiorum cinctum Ministrorum verbi Concionibus, dehortationibus & objurgationibus vires intendit & fortius resistit. Diabolo autem & pravæ hominum voluntati *effective* tribuitur excæcatio, uti tota scriptura docet.

XXIV. Simile, qvod proponit Esaias c. 10. v. 15. *ex v.* 13. est dijudicandum, qvo *fini & scopus*, qvem intendit Propheta, designatur, ut intelligatur facile, Securi vel serræ conferri Nebucadnezarem, non ideo, ut causa instrumentalis principali subordinetur, sed ea potius Intentione, ut Regis Assyriorum vana gloriatio compescatur: Qvemadmodum enim securi, serræ baculo &c. non nisi inepte successus tribueretur, si qvis homo illis bene fuisset usus: ita stolide & impie Rex Assyriorum sibi vendicabat Victoriam & successum suorum bellorum, cum tamen ad illum *successum* nihil magis attulerat, atqve securis vel serra vires movendi & trahendi impertit homini.

XXV. Oraculum *Esa.* c. 29. v. 10. qvod repetit Apostolus *Rom.* 11. v. 8. omnium optime explicatur ab ipso Propheta d. l. v. 14. qvo describitur modus, qvo Deus immittit Spiritum Soporis, *auferendo*, scilicet, *intellectum*, & *sapientiam*, qvibus donis qvando privati sunt impii nec oculis vident, nec auribus audiunt, sed Spiritu vertiginis abripiuntur, ut suæ impœnitentiæ pœnas luant.

XXVI. Qvo sensu Deus errare fecit homines, teste *Esa.* c. 63. v. 17. ab ipso Esaia explicatur, qvi d. l. petit, ut Deus ad se suosqve Judæos re-

revertatur; Qvatenus igitur â Judæis faciem gratiæ averti, eatenus fecit eos errare & induravit, qvod etiam ex *v. prec.* 15. rectius eluceſcit, in qvo conqveritur Propheta, qvod Deus viſcera ſuarum miſerationum fortiter repreſſerit, h. e. gratiam ſuam Eccleſiæ ſubtraxerit.

XXVII. Jeremias c. 20. v. 7. ſcribit; *Dominum ſeduxiſſe ſe*, qvod tamen non de ſeductione *illegali* & *vitioſa*; ſed *perſvaſione prudenti & gravi* intelligit: Nam vox פתה ſignificat blandam perſvaſionem, qva qvis vel firmiſſimis argumentis vel aliis verborum blandimentis impellitur, teſte *Forſt. in Lex. fol.* 670.

XXVIII. Qvando Deus de ſeipſo fatetur, qvod *deceperit Prophetam* Ezech. 14. v. 9. actum ſuum judicialem depingit, uti patet ex v. 10. *ſeq.* Error autem ipſe non eſt â Deo, uti legitur aperte *Jerem.* 23. v. 16. c. 27. v. 15. c. 29. v. 9. Erroris determinatio ad pœnam qva Deus mittit ἐνέργειαν πλάνης 2. *Theſ.* 2. v. 11. non eſt Erroris *Excitatio & productio*, ſed *mirabilis erroris gubernatio*, qvod enim Deus mittere dicitur, illud jam exiſtit, anteqvam mittitur, neqve mittendo demum producitur.

Qv. III. *Num Calvinianis fit Injuria, cum dicitur, eorum ex Hypotheſibus & Enunciatis ſeqvi, DEum eſſe Cauſam, vel authorem peccati* §.

THESES.

I. BOnorum Operum Deum eſſe Authorem & Efficientem cauſam nobiſcum Calviniani Theologi adſtruunt, allegando S. S. dict. qvibus de Deo legitur, qvod bona opera velit *Oſeæ. VI. 6.* approbet 1 a *Reg. XIV. 8.* præcipiat *Mich. VI. 8. decernat* 1. Reg. VIII. 16. *excitet Eſa* XLV. 13. *efficiat* Philipp. I. 13. *adjuvet* Act. XXVI. 22. *ad ea inſtiget.* Jerem. XX. 7. *impellat* 2. Pet. I. v. 21. & *occaſionem ſubminiſtret*, 1. Sam. XXV. 32.

II. Concluſio ex his & ſimilibus Dictis ſi eruenda, admittenda hæc erit Propoſitio; *Qvicqvid Deus vult, approbat, præcipit &c. illius eſt Author & Cauſa Efficiens*: Ratio igitur, *medius Terminus* & *argumentum*, ob qvod Bonorum Operum Deus eſt author vel cauſa, Dei agnoſcitur Voluntas, approbatio, præceptum, Decretum &c.

III. Hunc medium terminum ſi connectes cum peccatis, talis fit Demonſtratio: *Qvicunqve docent, Deum velle approbare, præcipere, decernere, excitare, efficere & adjuvare peccata*, nec non affirmat, *Deum ad peccata inſtigare, impellere & occaſionem ſubminiſtrare*, illi docent, *Deum eſſe cauſam & Authorem peccatorum.* At *Calviniani Doctores docent, Deum velle, approbare, præcipere, decernere, excitare, efficere*

& adjuvare peccata, nec non affirmant, *Deum ad peccata instigare, impellere, & occasionem subministrare.* E.

IV. *Major* si ad bona opera restringitur, & de malis operibus vel peccatis negatur, infringitur Universalitas hujus Propositionis. *Qvæ Deus vult, approbat* &c *eorum est author & Causa Efficiens.* Hujus propositionis Universalis si perit Veritas, nunqvam evinces, qvæ opera sint â Deo, & qvæ sint vere bona Deoqve grata vel accepta opera. *Minor* confirmata est Antithesibus q. 1, & 2. Conter *Scaffmann. l. 1, de Peccat. caus. cap. 1. Hunn. tom 1. op. pag. 720. Hutter. in Iren. Evang. c. 28. art. 2. & 3 D. Nicol. Hunn. in Διατυπώσει §. 609. seqq. D. Himmel. in Colleg. Iren. disp. 3. pag. 51. & disp. 4 Anti Calvin. pag. 15.*

V. Hypotheses & pronunciata Antecessorum, qvando recentiores qvidam Calviniani vel emollire vel excusare vel propugnare annituntur subinde produnt, se vel Antecessorum eloqvia animitus approbare, vel Lutherana lingva palliare mentem Calvinianam. *Negant*: Deum velle peccata, qvatenus in se formaliter considerantur sed adduntur; *Deum velle peccata, qvatenus ex iis cogitat elicere Bonum*, Palatini im kurtzen Anhang p. 178. 179. p. 156. Negant, Deum ordinasse Hominem ad peccata, ea ratione, ut hæc efficerer; Affirmant autem *Deum ordinasse qvosdam Homines ad peccata, ut justam suam Iram adversus peccata in illis declararet* Palat. d. l. p. 149. *malas actiones ἐνεργῶς â Deo esse* Cham. t 2 Panstr. l. 3 c. 2. §. 4. *destinare Deum ad malum, qvatenus ad unum potius malum qvam ad alterum ordinat, & excitare malum, qvatenus præsidet, gubernat, regit, torqvet, flectit, qvo vult* Chamier d. l. c. 5. §. 14. *â Deo efficaciter volente duos esse gradus peccati incipientem &, & perseverantem*, Cham. d. l. c. 6. §. 10. Negant; Homines primos â Deo impulsos, ut laberentur vel peccarent. Affirmant autem *aliqvo modo voluisse Deum, ut lapsus fieret*. Palat. d. l. p. 151. 152. *peccata fieri necessario, qvatenus pendent â Decreto permittente & Fine bono* Syn. Dordr. in Judic. Exc. p. 201. *Deum voluisse, ordinasse & rexisse lapsum, qvatenus consideratur in Dei Providentia & medium est, qvo Dei majestas & gloria manifestatur* Maslon. tom. 3. Anatom. c. 12. p. 310. Negant, Deum approbare peccata; sed asserere non dubitant; *Deum decrevisse, qvod velit permittere lapsum* Palatini im Ausführl. Bericht. c. 7. p. 349. *Deum voluisse, ut Judas Christum proderet & Judæi eum interficerent* Cham. d. l. c. 4. *Deum permittere fieri malum, ut ex Decreto suæ Providentiæ velit illud fieri* Cham. d. l. c. 5. *ab æterno decrevisse Deum, ut fiant mala opera* Cham. d. l. c. 7. §. 10. *Efficacem esse Dei Voluntatem, ubi justa desertio & justa punitio.* Cham. d. l. c. 6. §. 7. Negant, Deum operari peccatum, & tamen asserunt; *Scripturam*

qvæ

qvæ utitur Verbis activis excæcandi, indurand. , voluisse Deo tribuere actionem Efficaciamq; Excæcationis & Indurationis, non tantum nudam permissionem aut desertionem. Cham. d. l cap. 6. §. 8.

ANTITHESES.

I. Deum non esse Authorem peccati & tamen juste Ordinare, qvicqvid Diaboli & Homines male agunt, fatetur *Confes. Gall. art.* 8. Similem Doctrinam dum Calviniani publicis scriptis promulgarint, de atrocissima Calumnia & Accusatione nec non Convitiis, qvibus innocentes Viri lacerentur, qveritur *Chamier tom.* 2. *Panstrat. l.* 3. *c* 1. qvia Doctoribus Catholicis (qvos Calvinianos æstimat) imputetur, qvod doceant; Deum esse Causam & Authorem Peccatorum. Confer *Masson. tom.* 1. *Anatom. Univ. cap.* 30. *p.* 1066.

II. Ex Hypothesibus & Enunciatis Calvinianorum seqvi, Deum esse Causam Peccati negat *Calvin. tr. de æt. DEi prædestinat. Beza de Prædestinat. adv. Castell. Cham. d. l. cap* 9. *Masson. d. l. cap.* 30. 31. 32. *seqq. tom.* 3. *cap.* 12. Vide etiam *Palatin.* im kurtzen Anhang und Ausführl. Bericht. *Stabilim. Iren. pag.* 57. *seqq.*

HYPOTHESES.

Crimen falsi ut nostris Theologis Calviniani impingant, suasqve Ecclesias immunes ab abominanda Blasphemia statuant, objiciunt

I. *Confessiones suarum Ecclesiarum, & publicas Protestationes voce & Calamo à suis Theologis interpositas, qvibus solennissime & frequentissime indicarunt, se non credere, nec docere*; DEum esse Peccatorum Causam. Verum qvæstio nostra si attendatur, fallacia ἑτεροζητήσεως nemini non est obvia. Siqvidem non disceptatur de eo, qvod Θετικῶς & *directe* Calviniani docent; sed de eo, qvod *indirecte* & per *Hypotheses certas* approbant. Pontificii itidem simili prorsus ratione directe & aperte non docent; R. Pontificem esse Anti-Christum; Cum tamen ex illorum pronunciatis & Hypothesibus de R. Pontifice, ipsi Calviniani evincant: R. Pontificem esse Anti-Christum.

II. *Defectum Catholici Consensus, qvo rata habeantur ea Dogmata, qvæ ab uno alterove Doctore* suarum Ecclesiarum *divulgata.* Hic defectus nondum absolvit Adversarios ab Accusatione, qva petuntur: Qvamvis enim qvidam Orthodoxe de Peccati Causa scribant, & dissensum suum à formulis duriusculis loqvendi profiteantur; tamen pronunciata & φορτικὰ ἀκούσματα aliorum Theologorum tamdiu agnoscunt sua, qvamdiu 1. ea publice non damnant, 2. palliant & excusant, 3. nostrorum

ſtrorum Theologorum Scripta, qvibus Calvini Bezæ, Martyris, Piſcatoris & aliorum Effata damnantur, rejiciunt atqve arrodunt. 4. Abſolutum Decretum de reprobatione Hominum plurimorum ex mero beneplacito Dei, interpolant ſ. eos Anathemate feriunt, qvi Eloqvia & dogmata Calvini, Bezæ, & aliorum Doctorum in Eccleſiis Calvinianis, averſantur; qvales fuerunt Arminiani in Syn. Dordrac. damnati. Vide *ſeſſ.* 138 *Syn. Dordr pag.* 383. *& Præfat. Illuſtriſ. Ordinum.* Confer de hac *Controv.* ſuo loco.

III. *Enunciationes, qvibus de Cauſa peccati prorſus eadem tradunt Theologi Calviniani, qvæ à noſtris tradita ſunt* : Tales obvenire multas, non imus inficias, qvod autem 1. his omnes Eccleſiæ Calvinianæ adſtipulentur, 2. cum his aliæ phraſes ſuperius eliminatæ conſiſtere qveant, ſimpliciter negamus; Idcirco aut Univerſaliter omnes Eccleſiæ, qvæ Reformatæ audiunt noſtrorum Theologorum doctrinam ſincere recipiant, *aut* de injuria ſibi illata conqveri deſinant, cum *vel* qvidam adhuc tolerentur, qvi fermento depurgando fermentati, *vel* qvidam noſtras & Calviniſticas phraſes ſimul approbent, adeoqve inevitabili Contradictionis ſica ſuam doctrinam confodiant.

IV. *Intentionem Boni Finis, qvæ ſufficiat, ut Deus ſit Sanctus vel Juſtus, ſi maxime Decreto ſuo ad peccatum inſtiget.* Ratio humana ſic colligit· ἄτερ γραφῆς : Eſſe facienda mala, ut eveniant bona, nullibi Spiritus S. inculcat. Contrariũ potius docet, cum reprimit eos qvi dicunt Evangelicam eſſe Regulam: ποιήσωμεν τὰ κακὰ, ἵνα ἔλθῃ τὰ ἀγαθά. *Rom. III.* 8. Vitioſa actio non corrigitur à bona intentione, qvæ nullam illi conciliat ὀρθότητα : Extrinſecum enim qvid eſt Finis, adeoqve Actionis neqvit mutare Eſſentiam: Unde multi Dei iram in ſe concitarunt, qvi peccarunt, ut bonum obtinerent, ſcil. Saul Sacrificans, ut populum haberet propitium 1. *Sam. XIII.* 13. Idem parcens Amalechitis, ut ſacrificia offerret 1. *Sam. XV.* 19. &c. Intentio mala malitiam inducit operi, qvia qvilibet defectus parit peccatum, at non ſtatim bonum, cujus una cauſa eſt bona; ſed requiritur omnium cauſarum rectitudo, uti ad integrum perfectum numerum omnes unitates neceſſariæ, qvarum una deficiente numerus fit imperfectus. Alia ratio eſt *mali phyſici*, qvod ſæpe eligendum, ob bonum finem: uti bene agit mercator, ejiciens merces, ut ſervet Vitam; Viator bona tradens latroni, ut tueatur ſanitatem, Confeſſor Veritatis, qvi eligit martyrium & mortem, ut Veritati det teſtimonium &c. De *malo Ethico* autem, non *phyſico* intelligenda Exceptio Calviniana, qva dicitur, Deum decernere malum, ut eveniat Bonum. Vide *D. Meiſn. Part.* 1. *Philoſ. Sobr. ſect.* 2. *c.* 2. *q.* 15.

V.

V. *Dei libertatem, qva est exlex, ut non possit peccare, cum operetur malum.* Scriptura qvidem patefacit Deum, qvi nullius superioris legi subjectus; qvod autem Deus sanctissimus ita sit exlex, ut efficiendo vel impellendo possit concurrere ad peccata, Ratio occæcata fingit, Scriptura non tradit. Vide *Melsi. Part. 1. Phil. sob. sect. 4. cap. 9. q. 10.*

VI. *Necessitatem lapsus, qvæ fluit ex Dei Præscientia.* Hujusmodi Necessitas est *Consequentiæ vel Hypothetica*, qvatenus Deus ea prævidet, qvæ dum sunt, non possunt non esse. Qvod autem necessarius fuerit lapsus ex Dei decreto, præcurrente ejus præscientiam, non concedimus: Decretum enim *Permissionis*, non *perfectionis*, locum habet duntaxat in Deo lapsum Hominis præsciente: qvo de non errat *Fr. Junius* cum *lib. de lapsu Hom. q. 2. c. 3. tom. 1. op. col. 1462.* affirmat, *qvod sit decretum non agendi & efficax decretum nuncupari neqveat, sed sit ejusdem Naturæ ac juris ac Permissio.*

VII. *Naturam Contrariorum, qva constare putant, peccatum fuisse necessarium, qvia Virtus absqve Vitio, Veritas absqve mendacio, justitia absqve injustitia neqveat intelligi.* Distinguimus autem nos inter Contrariorum ἕσιν & ὑπαρξιν, qva non semper indiget Intellectus in cognoscendis Contrariis: Ante lapsum Angelorum & Hominum, Deus, Angeli & Homines agnoverunt Veritatem, Virtutem ac justitiam & extra horum Intellectum non extitit vel mendacium, vel Vitium vel Injustitia. Proinde dum Rectum est mensura sui & obliqvi, Intelligi potest qvod à recto deficit, qvoad Essentiam, licet illud qvod deficit, non actu existat.

VIII. *Solem, qvi excitat fœtorem in Cadavere, & tamen non inqvinatur.* Huic si conferatur Deus, fallacia Comparatorum luditur, cum Deus sit agens liberum, Sol vi agens naturale, homo ante lapsum non cadaveri sed viventi Corpori similis, & Cadaver non potest resistere Solaribus radiis ut Homo potest resistere divinæ gratiæ.

IX. *Connexionem mediorum cum Fine, qvem non possit velle Deus, nisi velit & illa.* At Spiritus S. nullibi tradit hanc Regulam. Qvi *vult finem, vult etiam media ad finem ducentia.* Philosophia si Sobria est, hoc Axioma admittit de illis mediis, qvæ per suam naturam & semper ad finem collimant. Peccata autem & mala opera si expendas, hæc *per se & ex sua natura* ad bonos fines non collimant, nec *infallibiliter* sed *contingenter* cum Fine cohærent, ut sine illis Deus finem obtinere qveat. E. g. Declaratio divinæ justitiæ ac misericordiæ, Exaltatio Josephi in Ægypto, Redemptio generis Humani sunt boni fines; Ad hos certe per se non collimat lapsus πρωτοπλάστων, Invidia in fratribus Josephi, & scelera Judæorum, qvi Christum tradiderunt crucifigendum. Qvod autem pec-

cata ad hos fines collimarint, unice ex gubernatione Dei provenit; Deus etiam absqve Peccatis prædictis ad fines hosce pervenire potuisset. Vide *Meisn.* Part. 1. *Phil. sobr. sect.* 4. *cap.* 3. *q.* 3.

X. *Connexionem Causarum secundarum cum causa prima, qva partit hanc illationem*; eus est causa Causæ (scil. liberi Arbitrii in Homine, qvod invexit peccatum, *E.* etiam est causa causati. Hæc Conseqventia vicissim ex Philosophia, non S. Scriptura prosilit: Insuper non sobrie & ad ductum rectæ Rationis Regula Philosophica applicatur: Siqvidem hæc respicit Causas *Essentialiter subordinatas*, qvæ influunt & agunt. Voluntas autem Angelorum & Hominum cum peccat, in agendo deficit, adeoqve ejus non amplius est causa Creator, uti Anima non est causa claudicationis qvæ â fractatibia, Philosophus non est Causa Hæreseos, qvam abusu Philosophiæ introducit Discipulus &c. Vide *Meisn. Part.* 1. *Phil. sobr. sect.* 4. *c.* 3. *q.* 1.

Qv. IV. *Num Lutherani Theologi talem profiteantur Concursum DEi cum peccatis, qvo Deus vel otiosus spectator vel causa peccatorum constituitur?*

THESES.

I. QUemadmodum supra confessi sumus, Deum concurrere ad Naturam peccantem, generali suo concursu eam sustentando, peccata præsciendo ac permittendo, subtrahendo gratiam suam specialem & scelera puniendo; ita de modo gubernationis divinæ, in nominatis modo actibus, qvando qværitur, respondemus simpliciter, Deum nec actione generali, nec Præscientia nec permissione, nec subtractione gratiæ, nec puniendo, peccata vel mala opera, velle excitare adjuvare aut decernere.

II. Natura peccatorum, describitur ut ἀτοπία, qva homo deficit â lege 1. *Johann.* 3. v. 4. inclinatur ad malum *Genes.* 6. *v.* 5. *c* 8. v. 21. operatur malum *Rom.* 7. *v.* 17. 21. & concupiscit adversus Spiritum *Galat.* 5. v. 17. 19. N. autem Causa perfecta in agendo deficit. At Generalis Dei actio, est causa perfecta, ob perfectionem agentis *E.* Generalis Dei Actio non deficit in agendo, & per conseqvens ad peccata non concurrit.

III. De Præscientia dictum est c. 2. permittere Deus dicitur ea, qvæ odit & sibi molesta sunt *Esa.* 1. v. 14. non accepta *Jerem.* 6. v. 20. & qvæ ex se non fuerunt *Osea* 9. v. 4. Jam v. Qvi qvid Deus adjuvat, illud vult, & ex se esse fatetur. At ea, qvæ fieri Deus permittit, non vult & ex se esse non fatetur. E.

IV. Subtractionem gratiæ divinæ scriptura revelat, ut peccatorum regnantium conseqvens, cum Deus neminem deserat, nisi deseratur. Omnis enim subtractio gratiæ divinæ est vel *negativa*, vel *privativa*. *Illam*

ex-

experiuntur Non-Renati, qvando mali iote Spiritui S. ponunt obicem, & media conversionis reipuunt, de qvibus vide *Genes.* 19. v. 9, 14. *Exod.* 5 v. 2, c. 10, v. 28. *Hiob.* 21, v. 14. 15. *Jerem.* 7. v. 26. *cap.* 25. v. 4. *cap.* 44. v. 15. *Luc.* 4. v. 28. *cap.* 9. v. 30 *Actor.* 2. v. 13. *cap.* 13. v. 45. *Hac* Deus punit renatos, qvi Spiritum S. per peccata regnantia ejiciunt, & sic privantur gratia Dei, qvam obtinuerunt, uti legitur *Genes.* 6. v. 3. 1. *Sam.* 16. v 14. *cap.* 8. v. 15 1. *Paral.* 24, 19. *Esa.* 1, 13. *Ezech.* 20, v. 40. 2. *Pet.* 2. v. 20. Neutra subtractio gratiæ adjuvat peccata, qvia Omnis subtractio gratiæ Dei est consequens peccatorum effectus. At causa adjuvans peccata non est consequens peccatorum effectus E.

V. Judicando & puniendo cum Deus suum odium adversus peccata luculentissime exprimat, haud qvendam adeo stolidum fore, credimus, qvi ex actibus ejus judicialibus inferat, Deum velle, excitare adjuvare &c. peccata.

ANTITHESES.

I. Calviniani qvidam cavillantur nostratium Theologorum terminos, Actionem Dei generalem, permissionem & desertionem explanantes. Vide *Calvin. lib.* 1. *Instit. cap.* 18. *sect.* 2 *Bezam part* 2. *Resp. ad Acta Colloq. Mompelg. pag.* 182. 183. *Volum.* 1. *Oper p.* 358. 390. &c.

II. *Massonius parte* 1. *Anatom. cap.* 31. *pag.* 1074. Die Zulassung und Verhängung dessen / der es mit Fuge wehren kan / ja der alles in seinen Händen hat / ist ein Wille.

III. Passionem posse esse justam, cum Actio est injusta, negat Cham. *tom.* 2. *Panstrat. lib.* 3. *cap.* 4. §. 4. & 5.

IV. *Balthasar Hagerus in Collat. A. Confess. cum Concil. Trid. artic.* 19 pungit nos, scriptitans, qvosdam ab A. Confessione ad Horribile Calvini Dogma de Authore peccati defecisse.

HYPOTHESES.

I. Qvamvis causa *secunda* non possit aliqvid producere *positivi* sine concursu causæ *primæ*; tamen sine *hac* illa potest in agendo deficere & aberrare, imprimis si est causa secunda libere agens, qvæ se potest avertere ab eo ordine in agendo, ad qvem prima Causa tendit Qvando plures causæ concurrunt ad aliqvam actionem, in qva est malignitas omnes qvidem causæ sunt illius *actionis*, sed non sunt omnes causæ *malignitatis*, cujus causa ea duntaxat est, qvæ deficit.

II. Deus neqvaqvam accusandus, sed potius celebrandus, qvod peccantem naturam sustentet, qvia 1. invitat sua μακροθυμίᾳ ad pœnitentiam *Rom.* 2. *v.* 4. 2. *Pet.* 3. v. 9. 2 ob peccatum non statim perdit substantiam, qvam condidit & 3. Diaboli opera sapienter destruit, qvatenus vel conversione tollit, vel in Impœnitentibus ad majores cruciatus reservat.

III. In Concursu causæ *primæ* & *secundæ* distinguendæ Actiones ab Actionis ἀταξίᾳ & *determinatione*. Ad *hanc* non semper concurrit causa prima. E.g. qvatenus fur extendit manum, eatenus Deus concurrit, sine qvo movere manum non posset. At qvando extensa manu Fur rapit bona proximi, eatenus determinatio & ἀταξία actionis non est â Deo.

IV. Gratiæ subtractio non significat *generalis* & *communis*, sed *specialis* & *sanctificantis* gratiæ vel *negationem* vel *privationem*. Nam *generali* sustentationis gratia & Diaboli fruuntur, & in temporalibus bonis gratiam Dei impii, sæpe piis sentiunt abundantiorem.

V. Sicuti Medicus in contumaci ægroto sua desertione non efficit pravos humores in corpore, sed ab insitis in corpore, sua cura recedit, unde mors acceleratur, non culpa Medici deserentis, sed ægroti pharmaca contemnentis: ita Deus deserens peccatores, malitiam non excitat, sed ab ea, qvæ in peccatore adest, suam spiritualem curam retrahit, qvia peccator incorrigibilis & curam aspernatur, adeoqve in suis peccatis moritur.

VI. Permissio divina non est dijudicanda ex permissione humana, cui plerumqve adjuncta est vel conveniens approbatio vel otiosa negligentia. Deus autem ita permittit peccata, ut nec convenienter ea approbet, nec tamen otiose eadem negligat, sed multis modis circa illa sua gubernatione est satis negocios us.

VII. Permissionis *actus* diligenter est distinguendus â Permissionis *objecto* vel *re permissa*; *Ille* est Dei *voluntis*, *hac* Deo sæpissime *non placet*: Non igitur valet hæc Conseq. *Deus volens permittit peccata* E. *ipsa permissa vult peccata*; fit enim fallacia compositionis & divisionis, dum voluntas pertinens ad *permissionem* ipsam etiam conjungitur cum *re permissa*, cui non erat conjungenda: His observatis, tollitur Dilemma, qvo multi sibi placent, cum ita ratiocinantur. *Aut* volente Deo fiunt peccata: *Aut* nolente: *Si hoc*; invito & coacto Deo fiunt peccata: *Si illud*, Deus vult peccata *Cham. tom. 2. p. 76.* Resp. ad hoc posterius membrum, in illo Confundi peccata cum permissione ipsa peccatorum: *Volente Deo* fiunt peccata, qvatenus vult Deus permittere peccata, sed non statim sequitur, qvi vult *permissionem*, ille vult etiam *rem permissam*: Aliud est permissive velle, aliud volenter permittere. Hoc orthodoxum; Illud ἑτερόδοξον. Scholastici distinguunt inter τὸ *velle*, *nolle* & *non velle*, ut discrimen ostendant inter *Voluntatem eligentem*, *coactam* & *permittentem*: *Ista* enim appetit & approbat; *Illa* appetit & repugnat; *hæc* apperit per-

permissionem, non appetit rem permissam, Simplicitas Christiana contenta est, qvando ex scripturis docetur: Deum haud invitum permittere peccata, & tamen odisse peccata, licet non intelligat, qvo modo hæc duo conciliari possint.

VIII. Nimium in divinæ gubernationis modo aberrant â fide piscatoria, qvi ita argutantur: *Si Deus potest impedire peccata & non vult, approbat peccata. Si non potest impedire, haud erit amplius Omnipotens.* Prima illatio in rationis nostræ judicio est fundata, cui non est fidendum, qvando divinæ actiones dijudicandæ: Scriptura enim revelat Deum, qvi 1. Omnipotens & peccata etiam possit impedire, 2. non vult peccata & 3. permittit nihilominus peccata. Licet hæc tria in Voluntate finita non possint simul esse vera, in voluntate tamen infinita qvod simul vera sint, scripturæ cogit credere authoritas. Fr. Jun. de lapsi. Hom. q. 2. Cap. 2. t. 1. col. 1459. *Quisqvis agit, qvod non debet aut non agit, qvod debet, peccat; Deus permissione in neutrum incidit: Non igitur peccat. Certe si permittit, qvis eum jure possit convincere peccati: Nihil enim debet cuiqvam. Iniqve ergo dicatur agere, qvod non debet, aut illud, qvod debet non agere, Adamum permisit peccare, non debuit impedire.*

IX. Ipsam naturam ad vindictam Deus convocat *Sap.* 5. *v.* 18. adducens aqvas *Diluvii Genes.* 6. v. 17. pluens super Sodomam & Gomorrham *Sulphurem* & ignem *Genes.* 19. v. 24. puniens Pharaonem Ranis & muscis *Exod.* 8. *v.* 21. seqq. grandine, tonitru & fulgure horribili *Exod.* 9. Locustis & tenebris cap. 10. pugnans contra Sisseram stellis Jud. 5. v. 20. &c. Uti autem non peccat Magistratus, qvando subditos suos conscribit, ut bellum gerant contra sceleratos & seditiosos, ita nulla ap. Deum iniqvitas, qvando Creaturas armat adversus suos hostes.

X. Deus inhibet & corrigit sæpe causas secundas, ut impii puniantur, multiplicat mulieri dolores in partu & viro molestias laboris *Genes.* 3. v. 16. 17. Confundit lingvas *Genes.* 20. v. 18. aqvam vertit in sangvinem *Exod.* 7. *v.* 20. dividit aqvas in mari rubro *Exod.* 14. &c. qvibus in actibus nulla rursus ἀνωμία est conspicua.

XI. Deus immittit varias plagas, de qvibus vide *Levit.* 26. v. 14 *seqq. Deut.* 28. *v.* 20. *seqq.* Deus flagellavit Pharaonem plagis maximis *Genes.* 12. *v.* 17. Peste afflixit Davidem 2. *Sam.* 24. *v.* 15. famem advocat 2. *Reg.* 8. *v.* 1. &c. Hæ plagæ qvia sunt justa supplicia, itidem Legi morali non adversantur.

XII. Deus interdum Diabolo ut Exeqvutore suæ vindicatoriæ Justitiæ utitur, sed fræna saltem laxando ipsius cupiditati ad nocendum, non autem impellendo ad malitiam: Nam 1. in scriptura nullibi legitur,

Diabolum impelli à Deo, ut noceat hominibus. 2. Historia Job. cap. 1. & 2. aperte testatur, Diabolum veniam â *Deo* petere, anteqvam animi libidines expleat. 3. Scriptura testatur; *Diabolum* omni tempore desiderio ingenti flagrare, ut homini detrimentum afferat, qvia offert se ad decipiendos Homines 1. *Reg.* 22. v. 21. commovet *Dominum* ut affligat Jobum *Job.* 2. *v.* 3. revertitur ad hominem â qvo fuit ejectus *Luc.* 11. *v.* 24. expetit Christi *Discipulos* cribrare sicut triticum *Luc* 22. v. 31. tentat cor hominum *Actor.* 5. v. 3. continet peccatores sub sua potestate *Actor.* 26. v. 28. operatur in Filiis *Diffidentiæ* *Ephes.* 2. v. 3. insidiatur Christianis *Ephes.* 6. *v.* 11. qværit ut Leo rugiens, qvem devoret 1. *Pet.* 5. *v.* 8. Non ergo necesse est, ut impellatur Diabolus ad nocendum, cum ipse sitiat hominum exitium, accusans nos die & nocte *Apocal.* 12. *v.* 10. Punit autem Deus per Diabolum homines, qvia Diabolo fræna laxat, & homines puniendos tradit, ut Ægyptii fuerunt traditi percussori, qvem Deus non sivit ingredi in ædes Israelitarum *Exod.* 12. *v.* 23. Hinc Deo, ut Diaboli Domino, sine cujus Concessione *Diabolus* libidinem ad inferen da mala explere neqvit, pœnæ tribuuntur qvas Diabolus provocat ex permissione Dei. Confer *Exod.* 12. *v.* 12. *&* *v.* 23. *Job.* 2. *v.* 7. *&* *v.* 10. 2. *Sam.* 24. *v.* 1. *&* 1. *Paral.* 21. *v.* 1.

XIII. Per Impios & sceleratos Homines Deus aliqvando exerit actum judicialem, & tamen sceleribus impiorum sese non admiscet, sed justitiam suam exercet, qvatenus 1. Homines in potestatem Tyrannorum & flagitiosorum tradit; Sic transgressores legis tradit corruentes ante suos hostes *Deut.* 28. v. 25. Cum male agerent Filii Israel confortavit contra illos Eglon *Judic.* 3. *v.* 12. tradidit eosdem in manus Jabin *Judic* 4. *v.* 2. in manum Midian *c.* 6. *v.* 8. &c. 2 passionem ut justam approbat ut Simei maledictio â Deo fuit præcepta, qvatenus fuit afflictio Davidis 2. *Sam.* 16. *v* 11. 12. Hostium Christi facinora implevit Deus, qvatenus prædixit passionem Christi *Actor.* 3. *v.* 18. &c. 3 *Iræ* & indignationis suæ sensum in impiis excitat; Qvod enim impii sentiunt, Tyrannorum sævitiam ab irato Deo provenire, non est ab ipsis Tyrannis, neqve â Diabolo; sed â justo Deo, qvi scelera Tyrannorum ita dirigit, ut iis excitetur in cordibus aliorum iræ suæ timor: Dominus enim percutit suum populum *Es.* 5. *v.* 25. sagittas suas infigit hominibus & manum suam *super* eos confirmat *Ps.* 58. v. 2. mittit ex excelso ignem in ossa *Thren* 1. v. 13. *c.* 3, 13. 4. toti mundo iram atqve potentiam suam revelat *Rom.* 1. *v.* 18. *c.* 9. *v.* 22. 2. *Pet.* 2. *v.* 5. *Jeqq.*

XIV. Peccatis Deus punit peccata, qvatenus recedit ab homine in peccatis corrupto, qvi â Deo desertus in horrenda incidit peccata, qvibus

bus pœnas æternas & præsentes accersit. Hinc de Deo frato legitur, qvod abscondat faciem â peccatoribus. *Deut.*32.v.20. auferat eos â conspectu suo 2 *Reg.*17.v.18. dimittat eos secundum desideria cordis eorum *Ps.*82.v.13. tradat in desideria cordis eorum *Rom.*1.v.24,26,28. Qvalem iram deprecantur pii, cum expetunt, ne Deus faciem suam â se avertat *Ps.*27.v.9. nec se â facie sua projiciat *Ps.*51.v.13.

XV. Qvamvis unus sit Terminus in qvem desinit *actio*, & â qvo incipit *passio*; tamen ob actionis modum diversum sæpe *passio justa* est, cum *injusta sit actio*. Sic Joseph mittitur â Deo & Fratribus in Ægyptum sed non *eo modo* mittit Deus, qvo Fratres, unde passio in respectu ad *Fratres* & *Deum* est justa, sed actio *Fratrum* crudelis & iniqvissima. Traditur Christus â *Patre suo* & â *Judæis*. At diversissimo traditionis modo, unde passio Christi semper justa, qvoad *Judæos* autem Actio injusta.

XVI. *B. Lutherum* & *Philip. Melanchr.* in Reformationis Exordio, inconvenientes vel duriores phrases *Wiclephi* & *Vallæ* emisisse, non imus inficiar, sed *Calvini*, *Bezæ*, *Zwinglii* & Sociorum Collegio neqvaqvam se junxerunt, nec horum Discipuli ad Luth. & Philippum ceu Præceptores Calvini, Bezæ &c. provocare possunt: Nam 1. *B.* Lutherus & Philippus ê scholis Monachorum progressi, in Initio non statim concursum Dei ad peccata, & connexionem Liberi arbitrii cum Necessitate ex Dei Providentia emergente perspexerunt. Augustini Doctrina & Scholasticorum Institutio multis Erroribus fuit inqvinata, ut condonationem & veniam mereantur, si hallucinati sunt, qvam certe non merentur, qvi sæpius moniti & rectius informati inconvenientes phrases non abjecerunt. 2. Lutherus de Necessitate non *absoluta*, sed *immutabilitatis* & *Consequentiæ* loqvitur, respicitqve internam Hominis corrupti conditionem, qva non potest non peccare. Vide *lib. de Serv. Arbit. cap.*44. *cap.*49. & *cap.*87. 3. B. Luth. non tantum attendit necessitatem *immutabilitatis in corrupta Hominum Natura*, sed insimul respicit *generalem Dei Actionem*, qva conservat Naturam peccantem, & rapit Voluntatem, ut velit & faciat, sive sint bona, sive mala *lib. de Ser. arb. cap.* 196 197. 4. Esavum non esse *absoluto odio reprobatum*, ut æterna periret morte, sed corporalia beneficia ipsi denegata, docet *Luth. Comment. in Genes.* qvando Abrahamo & Jacobo eorumqve posteris promissam struit, patefactionem DEi, lineam, ex qva nasciturus Messias, Ecclesiasticam Constitutionem de Externo Dei cultu & Politiam terræ promissæ correspondentem. Hæc licet Ismaeli & Esavo denegata dicat Lutherus, ut beneficia mixta, qvæ partim corporalia, partim spiritualia; tamen

mere

mere spiritualia, qvæ sunt, gratia justificans, Remissio peccatorum & Vita æterna prædictis eorumqve posteris non subtracta, diserte Luth. tradit. Vide *Com. in Cap.* 12. *tom.* 6. *Witt. lat. fol.* 141. *in cap.* 17. *fol.* 193. 209. *in Cap.* 21. *fol.* 261. 266. *seqq.* *in Cap.* 25. *fol.* 327. 335. *in Cap.* 26. *fol.* 489. *in cap.* 47. *fol.* 632. Ab hac doctrina discrepat Dogma Calvinisticum, de Esavo, absoluto ex odio ab æterna salute reprobato 5. Per *Deum absconditum* qvi vult mortem pecatoris & mera sua Voluntate, Homines, deserit intelligit B. Luth. *Deum, qvem sibi Ratio humana imaginatur absque Verbo patefacto*: Siqvidem illationes & assertiones de Deo absconditio, vocat Viam rationis ac carnalis Sapientiæ *Comm. in cap.* 26. *Genes.* Conter *lib. de Serv. arbit. cap.* 108. 109. 116. *tom.* 2. *Ihen. Germ. fol.* 102. *t.* 4. *Ihen. lat. fol* 16. *Absconditus* igitur *Deus* Lutheri, non est ille absolutus, qvia Calviniatnis in Scriptura asseritur patefactus. 6. Qvod Lutherus & Philippus duriores phrases, qvas vel in Certaminis fervore vel in Veritate Evangelica nondum satis confirmati protulerunt, non constanter approbarint vel defenderint, evincimus (1) ex *art.* 18. & 19. A Conf. qvo inconvenientes loqvendi formulæ non repetuntur sed potius abjiciuntur. (2.) ex *testimonio Adversariorum* sc. Jesuitarum, qvi agnoscunt B. Lutherum & Philippum ea retractasse, qvæ Calviniani noluerunt retractare. *Bellarm. l.* 2. *de amis. Grat. cap.* 1. *lib.* 4. *c.* 5. *Greg. de Valent. tom.* 1. *disp.* 6. *q.* 19. *p.* 3. *t.* 2. *disp.* 6. *q.* 9. *p.* 1. (3) *Responso Philippi ad Staphylum* qvem ad publicã Confessionem revocat, qva corrigi vult ea, qvæ â se & aliis parum circumspecte dicta. *t.* 4. *op. pag.* 817. (4) ex *Locis Comm. Philip.* editis, vivente B. *Luth. Anno* 1536. & *Anno* 1543. qvibus Stoicorum, Valliæ Wiclephi & aliorum Errores de absoluta necessitate, absoluto Decreto, causa pecati &c. retundit. Vide *Loc. de Caus. pecc. & Conting. de Lib. arbit. de Promis. Evang.* tom. 1. op. pag. 163. 164. 165. 257. 259. (5) ex *Explicatione Symb. Niceni* tom. 1. op. pag. 407. seqq. tom. 2. pag. 235. seqq. p. 3. 8. seqq. Conter *D. Joh. Behm. in tract. Elenchi. Didact. de libro B. Luth. de Servo arbit. disp.* 13. *seqq.*

XVII. Qvamvis B. Luth. duriores & Stoicas phrases in lib. de S. Arbit. obvias retractarit, emendarit ac correxerit, non tamen statim totum librum & primarium Dogma qvod tuetur, retractavit vel correxit. Proinde â statu qvæst. deflectunt Calviniani cirando dicta, qvibus B. Lutherus vel librum de S. Arbr. vel principale Dogma in illo st. abilitum se constanter amplecti, fatetur: Non enim statim amplectitur *omnes phrases*, qvi approbat *contenta libri*, nec *accessoria & secundaria* laudat, qvi *principale & primarium deprædicat dogma*, qvale est de Viribus liberi arbitrii, plane prostratis in Homipis Conversione & actibus

Spi-

Spiritualibus. Ex hoc dogmate non elici absolutum Decretum, alibi ostenditur. Vide interim *D. Joban. Behm. d. l. disp.* 21.

XVIII. Papicolæ impudenti Cavillo se prostituunt, cum Eloqvia Calviniſtica? nostris Theologis affingunt. Scholasticos illos, qvi affirmant; Deum non duntaxat influxu generali, sed etiam *physica determinatione* concurrere ad Voluntarias actiones, non exire ex schola eorum, qvi Deum peccati causam constituunt, aſſerit *Cajetanus*, *Roffensis*, *Stapletonus*, *Tannerus &c.* Vide *Svaretz. l. 2. de Auxil. div. grat. cap.* 1. 2. & *D. Hulsem. in manuali A. Confess. disp.* 18. *pag.* 736.

Qv. V. *An toleranda Thesis, qva asseritur, Deum esse Causam Peccati per Accidens?*

THESES.

I. NUllo modo DEum esse causam Peccati *per se, proprie & qvacunqve efficientia* producente peccatum, constans est nostratium Theologorum Doctrina, in qva unanimiter perseverant.

II. Deum esse *Causam peccati per accidens*, negat *D. Schilt. disp.* 5. *de Caus. peccat. th.* 25. *D. Hoe in Triumph. Calvinist. pag.* 349. *D. Myl. disp. de Caus. peccat. th.* 23. *D. Mentz. Cont. Apolog. Crocii th.* 12. *D. Meisn. prob. Calvinist.* 2. *cap.* 3. *D. Finck Cent.* 1. *Canon. Theol.* 89. *D. Jac. Mart. tract. pecul. de caus. pecc. disp.* 3. *th.* 49. *Calov. part.* 2. *Instit. Theol. pag.* 233.

III. Enunciationem, qva Deus Causa peccati per accidens pronunciatur, certo in significatu & certis conditionibus, tolerandam, docet *D. Calixtus in Epit. Theol. pag.* 132. *D. Joh. Behm. Disp.* 20. *in Lib. de Ser. Arbit. p.* 422. *D. Andr. Kesler in Qvadr. Discurs. Theolog. discursu* 4. *D. Dreier* in Grundl. Erörterung etl. schwehr. *Theol. Frag. p.* 35. *seqq.*

III. Forte simpliciter qvis non damnaret Explicationem dictæ Enunciationis, si ea in scholis & Disputationibus cum Eruditis vel Adversariis afferatur; At vero nullam vel *Veritatis*, vel *Fidei* vel *Pietatis* vel *Consolationis* metuimus ruinam, si ab ea prorsus abstineamus, & nostram mentem convenientioribus exprimamus vocibus.

IV. *Solatium, sinceram pietatem & Fidem Salvificam* consistere, si nemo aſſerat; Deum esse *Causam peccati per accidens*, non percepimus qvenqvam negare: *Veritatis defensioni* hanc Enunciationem subservire, qvidam opinantur, cum argumenta Adversariorum & difficiliora S. Scripturæ dicta illa enodentur rectius: Nulli autem dubitamus solide refutata esse Adversariorum argumenta, & nervose explicata S. Scripturæ Oracula â Theologis, qvi hac Enunciatione non sunt usi. Proinde qvod æqve commode obtinere possumus phrasibus extra

omnem litem positis, cur pacem Ecclesiæ turbabimus, urgendo necessitatem phraseos litigiosæ, qvum nulla ejus inevitabilis necessitas monstrari possit?

V. Calvinianos qvi sæpius allata Enunciatione reprimere conatur, circumspecte agat, oportet, ne victas porrigat manus Adversariis: Siqvidem hi suam mentem esse dictitant; Deum esse *causam peccati improprie & per accidens*. Vide P. *Mart. in L. Theol. pag 33. Timpl. l. 2. Metaph. cap. 9. Crocium in Apolog. Cont. Mentz. Disp. 8. th. 8.* Expendantur cumprimis verba Chamier tom. 2. Panstrat. lib. 3. §. VI. *Necessario concedendum, aliqvo modo*, hoc est, per accidens, *Deum velle non tantum malum naturæ aut malum pœnæ, sed etiam malum culpæ nimirum qvatenus esse potest malum pœnæ.* Cap. 5. §. 12. addit: *Deus voluit Judam velle male*; per accidens tamen, *non enim per se, sed ut id fieret, qvod primum erat in Intentione.*

VI. Theologi, qvi phrasin, qvæ est in Controversia, κατὰ τὸ tolerandam, arbitrantur, non obscure indicant, tutius esse si ab ea abstineamus. *D. Behm senior* d. l. scribit; *Ab hac phrasi in Homiliticis congressib. esse abstinendum, cum piorum aures offendat. D. Keslerus d. l.* monet; *Aliud esse*, aliqvid posse dici, aliud, debere dici, *cum multa dici qveant, qvæ ut dicantur, non expedit*; aliud, *in foro Philosophico certo sensu affirmare*, aliud, *in foro Theologico affirmatum idem publice usurpare.* Item artic. 3. in fine: *Aliud jam est, qværere; An contra usitatum hactenus loqvendi modum, phrasis illa: Deus est causa peccati per accidens, sit in scenam Theologicam introducenda, negativa, repudianda? Qvod qvi svaserit, erunt prudentes, qvi novitatem non necessariam, simpliciorum perturbationem, adversariorum gloriationem objicient. D. Dreierus* d. l. indicat, ambiguitatem phraseos jam notæ: cum illa notari qveat 1. *Causa Contingenter operans.* 2. *accidentalis causæ applicatio.* 3. *Casualis & fortuita actio.* 4. *Causa, qvæ non agit id, ad qvod agendum est obstricta.* His in significationibus absqve summa impietate non posse dici Deum Causam peccati per accidens, confitetur Dreierus. Cum autem à phrasibus ambiguis & æqvivocis, qvæ facile errores pariunt, extra Controversiam, sit abstinendum, phrasi aliqvoties allatæ ut pertinaciter adhæreamus, ejusqve Necessitatem rigide urgeamus, svadere non possum.

CONTROVERSIA III.

DE MUNDI CONSUMMATIONE.

Ambros. lib. 1. Hexaem. cap. 3. Mundi Creationem ac Consummationem his copulat Verbis: *Qvæ initium habent & finem habent*

& finem habent, & qvibus finis datur, initium datum, constat. Posterius Enunciatum in hac sententia ab omnibus concessum; Prius patitur Instantiam, qvia Angeli & Animæ rationales non intereunt, nec tamen initio destituuntur suo. Præbet igitur Ambrosius Exemplum eorum, qvi fallibili niuntur principio, cum per illationem ac ratiocinationem Mundi consummationem demonstrare attentant. Sacris literis insistentes Contradicentium sine negotio diffiamus nebulas, cum perspicue revelatum sit generale Dei opus, qvo Angelis & Hominibus in esse Conservatis, omnes alias Creaturas destruet. Lucem divinæ Revelationis si argutiæ qvædam Rationis obvelant, exiliores ac tenuiores illæ sunt, qvam ut Solem in Scripturis splendentem qveant ferre. Pauciores igitur de Præsenti Controversia cum Ecclesia Conflictantur, & eorum cohortes duo ad castra se recipiunt: Ex his prodeunt, qvi disceptant de Consummationis Mundi *I. Veritate & Qvantitate. II. Qvalitate ac Tempore.*

CAP. I.

DE CONSUMMATIONIS MUNDI VERITATE AC QVANTITATE.

VOx *Mundus* κατάστημα est, & in præsenti Controv. notat 1. οἰκουμένην s. Orbem terrarum, qvem inhabitant Homines. *Matth. XXVI.* 30. 2. Res mundanas & negocia secularia 1. *Corinth. VII* 31. 3. Desideria mundi vel Voluptates hujus sæculi 1. *Joban. II.* 16. 4. Systema cæli, terræ, Elementorum & omnia, qvæ sunt in mundo, exceptis Angelis & Hominibus. *Matth. XXVIII.* 20. Confer *Gerh. tom.* 9. *L. de Consum. Sec. §. 3. Dan. in Phys. Christ. cap. 3. Polan. l. 5. syntagm. cap. 7. Cent. 1. Magdeb. l. 2. col. 62. cap. 8. Polan. l. 5. syntagm. cap. 7. Cent. 1. Magdeb. l. 2. col. 92.* A nemine nisi â solo Deo totum mundum posse everti largiuntur, hodie omnes, nec Stoicorum sententia ulli amplius arridet, qva opinati sunt, mundi Conflagrationem ex causis naturalibus orituram. Contrarium testantur sacræ literæ *Psal. CII. 27. Esa. LXV.* 17. Confer *Gerh. d. l. §. 19.* Sepositis illis, qvæ extra litem sunt, duo problemata, qvæ hodienum Controversa, succincte resolvemus.

Qv. I. *Annon certissime futura totius Visibilis Mundi Destructio?*

THESES.

I. D. *Gerh. d. l. §. 7.* demonstrat totius mundi Consummationem 1. *dictis Sacris* Moysis, Jobi, Psalmis David & Prophetarum, nec non librorum Apocryphorum. 2. *Dictis N. T.* Evangelistarum & Apostolorum. 3. *Rationibus.* 4. *Suffragio Patriarcharum, Prophetarum,*

Apostolorum, Scriptorum Ecclesiasticorum Judæorum & Gentilium.

II. Sufficiunt nobis Theses Biblicæ, asserentes, 1. futuram esse mundi Consummationem, qvæ notatur voce כלה *Dan. IX. 27.* 2. esse ultimum tempus, qvo עת קץ *Dan. XII. 4.* אחרית הימים *Num. XXIV. 14. Deut. IV. 30. Esa. II, 2. Jerem. XXIII. 20. Ezech. XXXVIII. 8. 16. Dan. II. 28.* ἐσχάτας ἡμέρας *Act. II. 17. 2. Tim. III, 1. Pet. III, 3.* ὕστερος καιρὸς *1. Timoth. IV, 1. & ἐσχάτην ὥραν 1. Joh. II. 18.* 3. futuram συντέλειαν τοῦ κόσμου. *Matth. XIII 29. 40. 49. cap. XXIV. 3. cap. XXVIII. 20. Hebr. IX, 26.* 4. imminere τὸ τέλος *Matth. XXIV. 6. Marc. XIII. 7. Luc. XXI. 9. 1. Corinth. XV. 24.* τὸ τέλος πάντων *1. Pet. IV. 7. &* τὰ τέλη τῶν αἰώνων *1. Corinth. X. 11.*

III. Dicta de Creaturis destruendis, & Consummationis tam *qualitate*, qvam *Tempore* pariunt convenientissime hanc Conclusionem: *Erit aliqvando totius Mundi Consummatio & Finis:*

ANTITHESES.

I. *Philo Judæus* librum scripsit περὶ ἀφθαρσίας τοῦ Κόσμου, qvo contendit, Deum non posse esse causam interitus, qvia non est Causa Confusionis & Inordinationis.

II. *Machumet in Colloq. cum Judæis*, mundum factum, negatur, qvi sit perpetuus *Cent. Magdeb. 7. col. 610.*

III. *Ex gentilibus* multi crediderunt, Mundum præsentem fore æternum & interitus expertem. Vide *Diod. Sic. l. 1. Biblioth. p. 6. lib. 2. p. 116. Plutarch. l. 2. de Plac. Philos. cap. 4. Lactant. l. 7. Instit. cap. 1. Taurell. de Rer. æter. parte 2. pag. 260. Augustin. serm. 143. de Temp. & l. 20. de C. Dei cap. 24. Gerhard. d. l. §. 15.*

IV. In Ecclesia jam olim extitisse ἐμπαίκτας, qvi negarunt, Mundum interiturum, & doctrinam Ecclesiæ dicteriis ad despectum compositis exceperunt, legitur *Esa. LVI. 12. 2. Pet. III, 3. 4.*

V. *August. de Hæresib. cap 67.* mentionem facit Hæreticorum, qvi dictitarunt, mundum in eo statu permansurum, in qvo nunc est.

VI. *Cerinthus* per cæli terræqve Destructionem devastationem Urbis Hierosolymitanæ ac Reip. Judaicæ intellexit: *Origenem* successivam mundorum destructionem ac Creationem statuisse, testatur *Hieron. t. 3. Ep. 59. ad Avitum.* *Felix Manichæus* credidit, omne qvod à Deo factum, esse immutabile, ut ipse Deus, referente *Augst. l. 2. de Actis cum Fel. cap. 19.* *Albienses* contenderunt, mundum semper fuisse & nunqvam habiturum finem, qvemadmodum de illis scribit *Antonin. par. 4. tit. 11. cap. 7. §. 5.*

HY-

HYPOTHESES.

Corruunt Fulcra Antitheſium: ſi afferatur I. Vera διάνοια Dicti *Geneſ.* VIII. 22. qvo non *æterna*, ſed *definiti temporis* promittitur Duratio; *Dies enim terræ* qvod futuri ſint absqve ullo termino, nullibi S. Scriptura affirmat, in theſibus autem ſupra adductis negat.

II. Vera Significatio Hebræarum Vocum ac Phraſium: Vox עולם in ſacris literis non ſemper notat abſolutam & infinitam æternitatem, uti docent Concordantiæ. Dies cæli *Pſ.* LXXXIX. 30. opponuntur diebus terræ & cæleſte regnum in Vita æterna, non a. præſentem mundum reſpiciunt.

III. Diſtinctio inter Deſtructionem *Phyſicam* & *Hyperphyſicam*: *Illa* ex principiis Naturæ fluit & nec Cælo nec terræ totaliter ſumptæ congruit, uti legitur *Pſ.* CIV. 5. *Pſ.* CXLVIII. 6. *Eccleſ.* I. 4. *Hanc* Dei Omnipotentia & Virtus infinita efficit, qvam Dicta jam citata non negant.

IV. Genuina Mens S. Spiritus in Oraculo Prophetico *Jerem.* XXXI. 36. qvo Gratioſa Dei præſentia Eccleſiæ militanti promittitur, donec tollantur Leges Solis & Lunæ, h. e. uſqve ad Conſummationem ſæculi, juxta infallibilem Expoſitionem Chriſti *Matth.* XXVIII. 20.

Qv. II. *Num Omnia Entia à DEo creata in Fine Mundi deſtruenda?*

THESES.

I. DE Objecto Conſummationis in Fine Mundi S. Scriptura accurate nos inſtituit, *recenſendo Creaturas*, qvæ interibunt, & *Excipienda tam Angelos qvam Homines* à totali deſtructione.

II. In Conſummatione ſæculi, teſte S. Scriptura, non permanebit 1. Cælum & Terra *Luc.* XXI. 33. *Apocal.* XX. 11. 2. XXI. 1. 2. Cælum ceu Expanſum, qvo lucent Aſtra *Hiob.* XIV. 12. *Pſ.* CII. 27. *Eſa.* XXXIV. 4. 5. LI. 6. 2. *Pet.* III. 10, 12. (3. Exercitus aſtrorum *Pſ.* LXXII. 7. *Joel.* III. 15. *Apoc.* VI. 13, 14. *ſeqq.* (4. Compages Elementorum 2. *Pet.* III. 10 12. (5. Terra & mare *Pſ.* XCVII. 5. *Zephan.* I. 18. *cap.* III. 8. *Apocal.* VI. 15. *cap.* XXI. 1. (6. Moles ædificiorum 2. *Pet.* III. 10. (7. πᾶσα κτίσις Vanitati ſubjecta. *Rom.* VIII. 19. 20.

III. In novo Cælo & nova Terra non indigebunt Homines 1. Sole & Luna *Apocal.* XXI. 23. (2. Habitaculis terrenis *Apocal.* XXI. 3. (3. Cibo & potu *Apocal.* XII. 16. (4. Omnibus aliis, qvibus vita animalis ſuſtentatur. Erunt enim ἰσάγγελοι *Matth.* XII. 36.

IV. Angelos & Homines una cum aliis Creaturis in totius mundi παλιγγενεσίαν non deſtruendos, illa tradunt S. Scripturæ *Dicta*, qvæ revelant 1. æternam beatorum Angelorum & Hominum Gloriam, qvæ ſuperſtes, cum Mundi gloria tranſiit. 2. *Corinth.* IV. 18. *Apocal.* XXI. 3.

Apocal. VII. 11. 12. Bonorum Angelorum operationem in fine mundi *Matth.* XIII. 40. 41. 3. Diabolorum æternos cruciatus *Matth.* XXV. 41. *ep Jud.* v. 6. *Apocal.* XX. 10. 4. piorum Vitam æternam *Dan.* XII. 2. *Matth.* XIII. 43. *cap.* XXV. 46. 1. *Thessal* IV. 17. 5. Impiorum æternas pœnas. *Dan.* XII. 2. *Matth* XIII. 42. *cap.* XXV. 46. *Apocal.* XIV. 10. 11.

ANTITHESES.

Pontificii qvidam â Mundi conflagratione immunes pronunciant non solum Angelos & Homines; sed etiam 1. cælos stellatos, 2. ignem Elementarem. 3. supremam Aeris Regionem. 4. ipsum mare. Vide *Gregor. de Valent. tom.* 4. *op. col.* 2227. *Blasium de Viega Comm. in cap.* 21. *Apoc. Riberam ibid. Barrad. tom.* 3. *Harmon. lib.* 9. *cap.* 11.

HYPOTHESES.

I. Materia cæli, qvalis sit, si maxime effugit Corruptionem Physicam ex internis resultantem principiis, destrui tamen potest â Dei Omnipotentia, unde materiæ Conditio non impellit, ut â literali significatu Verborum, qvæ Cælos destruendos docent, recedamus.

II. Diluvium confertur cum Mundi totius interitu, in *tantum*, non in *totum*, κατὰ τι non ἁπλῶς. Multa enim fuerunt in *illo*, qvæ non expectamus in *hoc*, & vice versa multa evenient in *hoc*, qvæ non evenerunt in *illo*. Cælos in Diluvio non destructos, in Fine mundi autem destruendos, diserte tradit Petrus 2. *Pet.* III. 5. 6. 7. Confer *Gerh. d. l.* §. 29. *seqq.*

CAP. II.

DE CONSUMMATIONIS MUNDI QVALITATE AC TEMPORE.

QUa ratione, qvo Igne & qvo Tempore Mundus consummandus; Simplicitas Christiana mavult experimento addiscere, qvam operose inqvirere, cum omnium Vaticiniorum exacta & evidens agnitio dependeat ab Eventu, qvem in Vaticiniis de Mundi Consummatione adhuc præstolamur. Hinc Excellentes Theologi in qvæstione de *Modo* qvo mundus interiturus, ample tuntur τὸ ἐπέκτατον. *D. Heerbrand in Comp. Theol cap. de Consumm. sæc.* 7. *ult. Mylius in Expl. A. Confes. art* 17. *Lobech. disp.* 18. *in A. Conf. th.* 48. *Schilter in Disp. de duob. Hom. noviss. Meisnerus parte* 1. *Phil. sobr. sect.* 3. *c.* 3. *q.* 5. Scholastici longas texunt Disputationes, de *Igne*, qvo Mundus evertendus, 1. *Natura* 2. *Origine* 3. *Operatione* 4. *Duratione*; qvarum summam recitat *Gerh. d. l.* §. 21. 22. *seqq.* *Tempus* qvo mundi erit Finis, plurimi definire & prædicere sunt ausi, & inventi sunt fatui, cum se crediderunt sapientes. Ab horum Curiositate ac temeritate ut mentis de-

deflectamus Conceptus, qva ratione de *Modo*, *Igne* & *Tempore*, qvo Mundus interiturus, pie ac fructuose disputandum? edocere studebimus.

Qv. I. *Sunt ne ut Hæretici condemnandi, qvi negant, Mundum κατ' οὐσίαν interiturum?*

THESES.

I. QUemadmodum multi ex antiqvis Ecclesiæ Doctoribus asseruerunt, Mundum qvoad ποιότητα esse renovandum, & negarunt, totius mundi interitum κατ' οὐσίαν; ita multi ex recentioribus Theologis qvidam negant, mundum interiturum κατ' οὐσίαν, qvidam affirmant.

II. Neutra sententia, *directe* vel *indirecte* fidei Fundamentum labefactat, & neutra ut hæretica condemnanda est.

III. Dicta de Mundi Interitu, qvia Eventu nondum sunt dilucidata, fatigant Interpretes, qvorum discrepantes Expositiones tamdiu tolerandæ, donec Eventus verum sensum Dictorum explanarit.

IV. Non deprehendimus sacris literis adversa argumenta eorum, qvi Mundi φθορὰν κατ' οὐσίαν defendunt; Siqvidem phrases de mundi Interitu talem Metaphoram involvant, qvalis interitum κατ' οὐσίαν indicat *Psal.* CII. 27. *Esa.* XXXIV. 4. Voces συντέλεια *Matth.* XIII. 40. c. XXVII. 8. 20. παρελεύσονται *Luc.* XXI. 33. καύσονται, λυθήσονται, κατακαύσεται, πακήσεται 2. *Pet.* III. 7. 10. 12. substantiæ destructionem indicant; Oppositio inter Verbum Dei qvod qvoad substantiam manet, & Cælum & Terram, qvæ peribunt, horum οὐσίαν fore superstitem, non indicat.

V. Novum cælum & novam terram, *Esa.* LXV. 17. *cap.* LXVI. 22. 2. *Pet.* III. 13. *Apoc.* 21. v. 1. esse Renovatum Cælum & renovatam terram, uti Novus Homo novum Cor, & Nova Creatura, renovatum Hominem, renovatum Cor, ac renovatam Creaturam designat, ex eorum Descriptione non apparet.

VI. Qvemadmodum de Spiritu S. dici potest, qvod non sit, cum non per Χαρίσματα miraculosa operatur *Johan.* VII. 39. ita absonum non est, si dicatur Cælum non esse, *Job.* XIV. 2. & Lunam non esse *Ps.* LXXII. 7. cum eo, qvo nunc, non operatur modo, sed præsupponitur id, qvod probandum.

VII. Infirmæ & debiles sunt eorum Hypotheses, qvi Credunt Mundi ἀλλοίωσιν κατὰ ποιότητα: Nam 1. Renovatio terræ, de qva David loqvitur, *Ps.* CIV. 29. 30. Mundi non *Consummationem*, sed *Conservationem* effert,

offert, qva Species per Individuorum multiplicationem ab interitu præservantur. 2. *Esa.* XXX. 20. de Restauratione Ecclesiæ & Politiæ Judaicæ sermo est, qvæ expectanda post Captivitatem Babylonicam 3. Ἀποκατάστασις πάντων *Act. III.* 20. restringitur ad ea, qvæ Deus per Pophetas prædixit. Qvod 4. prædicta Mundi renovatio secundum novas Qvalitates, est τὸ καινούμενον 4. Uti Figura mundi transitura 1. *Corinth.* VII. 31. ita adhuc incertum; An *sola* Figura transitura? 5. Liberatio â servitute Corruptionis *Rom.* VIII. 20, 21. non indissolubiliter cohæret cum Renovatione qvalitatum: Siqvidem & illud liberatur â servitute, qvod penitus Corrumpitur: Nec valida est Conseq. â liberatione â servitute Corruptionis ad liberationem â Corruptione. Nam uti Corpus nostrum per Renovationem â peccati *Servitute* liberatur, & non â *Peccato*; ita etiam mundus liberari poterit â Servitute Corruptionis licet non â Corruptione sit immunis. 6. Verba εἰς ἐλευθερίαν tempus liberationis indicant, non autem infallibiliter probant, Mundi οὐσίαν non destruendam: Eo tempore liberandæ Creaturæ à servitute Corruptionis, qvo libertas Filiorum Dei patefiet; qvod per ἀλλοίωσιν liberandæ, solide ex Apostoli verbis non infertur.

IIX. Qvamvis Apodictice non possit probari mundi ἀλλοίωσις, tamen simpliciter impia improbabilis & sacris literis evidenter Contraria non est, cum dicta pro Interitu κατ' οὐσίαν adducta nondum ita possint esse manifesta, ut omnis dubitatio evanescat. Tolerare igitur possumus Eruditos in Scholis de modo, qvo Mundus destruendus, disqvirentes, si non præfigant Articulum Fidei sub æternæ salutis periculo credendum; sed libere conferant sententias de ἑρμηνείᾳ Oraculorum, qvibus Mundi prænunciatur Consummatio: Nulla Interpretatio ἀναλογίαν Fidei offendit, proinde nulla etiam ferulæ, qva corripimus Hæreses, submittenda videtur. Confer *D. Hunn. tom. 1. op. p. 107. D. Forst. in Thes. Catech. Dec. 2. probl. 2. de Symb. Apost. tom. 7. Disp. Giess. 13. Thes. 124. Gerhard. d. l. §. 37. seqq. D. Affelm. in Heptade Qq. q. 7.*

IX. *Scholastici*, *Pontificii*, & *Calviniani*, qvia nostrorum Theologorum sententiam de mundi Interitu qvoad substantiam, simpliciter interdum damnant, suo intempestivo Zelo imputent, qvod interdum etiam sententia de mundi Renovatione severius aliqvanto redarguatur.

Qv. II. *Num evidenter pateſit ex ſacris literis, qvalis futurus ille Ignis qvo mundus conflagrabit?*

THESES.

I. Ignem qvod mundus destruendus, clarissime liqvet ex sacris literis; cujus

cujusmodi autem ille ignis sit, & in qva mundi parte futurus sit, hominem scire arbitror neminem, nisi forte, cui Spiritus divinus ostendit, uti jam olim scripsit *August. lib. 20. de C. Dei cap. 16.* Disp. XIII. Resp. JOACHIM STEPHAN. KRÜGER. Materia Mecklenb.

II. Scripturæ dictis asseritur Dominum Ignem & Sulphurem & Spiritum procellarum ceu pluviam demissurum in impios *Ps. 11. v. 6.* In conspectu Dei, ignem exar'urum *Ps. 50. v. 3.* ante Dominum Ignem præcessurum & inflammaturum in circuitu inimicos ejus. *Ps. 97. v. 3.* Dominum venturum in Igne & ejus in crepationem fore in flamma Ignis, & dijudicaturum Igne *Esa. 66. v. 15. 16.* Domi ium venturum in flamma Ignis & daturum vindictam his, qvi non noverunt Deum &c *2. Thess 1. v. 7.*

III. Mundum igne esse devorandum, qvando Zeli divini Ignis devorabit omnem terram, prædixit *Zephon. 1. v. 18. c. 3. v. 8.* Petrus adjecit, qvod cælum & terra reserventur igni *2. Pet 3. v. 7.* Igne accendenda Elementa resolvenda terra, & qvæ in ea opera exurenda *v. 10. 13.*

IV. Scholasticorum Disputationes qvibus indagant Naturam, originem & qvalitatem Ignis, qvo mundus totus evertetur, ex speculationibus humanæ Rationis promanant, qvæ qvod sint conformes sacris literis nunqvam solide confirmabunt. Vide *Gerhard. d. l. §. 21. 22.*

Qv. III. *Annon indagare & explorare valemus tempus illud, qvo mundus Consummabitur & interibit?*

THESES.

I. NOn damnamus illorum studium, qvi Vaticinia in scriptis Prophetici & Apostolicis consignata diligenter pervolvunt, cum eventu conferunt & ex illis generaliter colligunt, Mundi interitum & finem esse propinqvum.

II. Si qvis annum, mensem, diem & horam præcise, exacte & infallibiliter determinare præsumat, qvando mundi erit Finis, hunc extreme Judicamus temerarium & curiosum.

III. Apostoli jam suo tempore concionati sunt de fine mundi *1. Pet. 4. v. 7. 1. Joh. 2. v. 18. Jacob. 5. v. 8.* & illi qvi dicunt, nondum vicinum esse mundi finem, reprehenduntur ut servi neqvam *Matth. 24. v. 47. Luc. 12. v. 45. & Empacta 2 Pet. 3. v. 4.*

IV. Signa finem Mundi antecedentia ideo observanda, ut sciamus, qvoniam appropinqvet redemptio nostra & prope sit regnum Dei *Luc. 21. v. 28, 31.*

V. Christus negat, de die & hora extremi sui adventus, qvo mundus finietur, qvenqvam Angelorum vel Hominum qvicqvam scire *Matth. 24. v. 36. Marc. 13. v. 32.* Idcirco prohibet Apostolis temporum illorum inda-

dagationem, qvæ Pater posuit in sua propria potestate Actor. 1. v. 7.

VI. Apostolus minus judicat necessarium, ut de Χρόνοις & καίροις scribatur 1. Thessal. 5. v 1. qvia futurus Dies Domini ut fur in nocte; hoc est in die, qvo hoc non sperat Paterfamilias *Matth.* 24. v. 42. *seqq.*

VII. Fideles in fine mundi viventes nescient, qva hora sit venturus Dominus *Matth.* 24, 42. *Marc.* 13, 33. *seqq.* nescient diem & horam *Matth.* 25. v. 13. adeoqve omni tempore cogentur vigilare *Luc.* 21. v. 36. & qvotidie properare in adventum extremi diei 2 *Pet.* 3. v. 12. Confer Gerh. *tom.* 9. *Loc. de Extr. Iudic.* §. 76.

ANTITHESES.

Omnibus temporibus inventi fuerunt, qvi nimium curiosi fuerunt in inqvirendo, & temerarii in definiendo illo tempore, qvo mundus consummabitur. Vide horum Catalogum ap. *Gerh. d. l.* §. 77. 78. 79. 80.

HYPOTHESES.

I. Ex multis vaticiniis in V. & N. T. extantibus probari posse, mundi finem esse propinqvum, nemo negat: Valde autem infirma hæc est consequentia: Finis mundi futurus, postqvam Evangelium in universo mundo prædicatum, postqvam Anti-Christus revelatus &c. E. statim hoc vel illo anno mense & die mundus finietur.

II. Verba Christi *Matth.* 24. v. 14. præcise & tantum de Reformatione Ecclesiæ per ministerium B. Lutheri expedita intelligi non possunt, cum jam Apostoli Pauli tempore hoc fuit impletum, qvod Christus d. l. prædixit, uti legitur *Rom.* 10. v. 18. *Colos.* 1 v. 6.

III. Vaticinium Ezechielis *cap.* 38. & 39. procul dubio inter alias Ecclesiæ persequtiones eam comprehendit, qvæ sub Anti-Christo pressit Ecclesiam. Ad unam autem certam & determinatam persequtionem verba Prophetæ restringi non possunt absqve insigni temeritate, cum nihil frequentius sit Spiritui S. in describendo statu Ecclesiæ, qvam Unius Actus designatio & multorum continuatorum actuum prædictio E. g. *Apocal.* 12. v. 7. *seqq.* describitur certamen inter Angelos bonos & malos, qvod de unico actu intelligi neqvaqvam potest, sed continuatum certamen inter Christi & Diaboli Cœtum significatur, qvo finito auditur ἐπινίκιον illud, qvod v. 10, 11. describitur.

IV. Persequtionem Ecclesiæ sub Anti-Christo usqve ad mundi finem duraturam, Scriptura profitetur, eam autem sub Urbano VIII, vel alio qvo jam certo Pontifice finiendam nulla scriptura testatur.

V. *Conjecturis*, non *argumentis* pugnant, qvi contendunt, 1. per 1600. stadia *Apocal.* XIV. 20. notari 1600. annos, qvibus gentium Vocatio ad Christi Regnum continuanda. 2. Seniores 24. *Apocal.* IV. 4. repræsentare 24. Periodos ætatis senilis, qvibus terminanda Gentium Vocatio.

catio. 3. Annos 40. qvibus Israelitæ peregrinati sunt in Deserto, continere Periodum Gentium. 4. Tempus N. T. tot comprehendere Jubilæos V. T. qvot annos vixit Christus in terris. 5. Dies 1260. *Apocal.* XI. 3. esse annos vulgares â Solis Cursu mensuratos 6. *Esa.* XXIII. 15. heri sermonem de Fine Persequutionis ultimo sub Anti Christo. 7. Præcise esse determinatam in sacris literis Periodum Regni Turcici. His & similibus Conjecturis qvi meditationes consecrat, non qvidem malo studio vacat, sed facile Erroris cæno se contaminat, si certa ex incertis infallibiliter præsicere præsumat.

FINIS LIBRI IV.

LIBER V.

DE SPIRITIBUS QVI SUNT ANGELI BONI ET MALI.

Controversiis de Creatoris 1. Natura 2. Subsistentia in tribus Personis 3 Persona *Secunda* Incarnata & 4. Operatione Generica, cui subjacet totus Mundus, copulanda Certamina qvæ de Creaturis in Ecclesia sunt mota: In Suprema Creaturarũ Sphæra versantur substantiæ Incorporeæ & Spirituales, qvas Apostolus vocat ἀόρατα κτίσματα *Coloss. I.* 16. Salvator πνεύματα *Luc.* XXIV. 39. Esaias רוחות *Esa.* XXXI. 3. Hinc Deus vocatur אלהי הרוחות *Numer.* XVI. 22. *cap.* XXVII. 16. & πατὴρ τῶν πνευμάτων *Hebr.* XII. 9. Theologi non decertant 1. de *Spiritu materiali*, qvi est Ventus, cujus Ignoramus viam & nescimus unde veniat? vel qvo vadat? *Eccles.* XI. 5. *Joban. III.* 8. 2. de *formis Corporum Naturalium*, qvæ moventes, viventes, & sentientes. Harum ullam esse plene & perfecte notam, earumqve cognitionem esse rudem ac confusam per περιγράσεις, fatetur *Scalig. Exercit.* 301. *sect.* 14. *Exerc.* 307. *s.* 12. Ad Finem SS. Theologiæ qvia Philosophorum Disceptationes de Formis non collimant, & in sacris literis parum de his patefactum, Theologi cum nemine de illis decertant. 3. de *Spiritibus in Corporibus mixtis*, qvi vel *Naturales* vel *animales* vel *vitales*, & Spectant ad Medicorum & Physicorum ἀκροατήρια. In Ecclesia Dei doctrina divinitus tradita vindicanda â Vani loqvis Spiritibus, ut pura sonent Dogmata 1. de *Bonis Angelis* 2 de *Malis Angelis* vel *Diabolis*. Duæ igitur præsentis Libri Controversiæ erunt.

CONTROVERSIA I.

DE BONIS ANGELIS.

D. *Jacob. Mart. l. 2. Exercit. Metaphys. Exerc* 3. *theor.* 1. scribit; mentem

tem noſtram adeo incæcutire in Spiritualibus ſubſtantiis, ut parum admodum ſit, qvod de Spiritibus & Deo intelligamus naturaliter. Vera hæc experimur verba, ſi diſſerendum de 1. *Angelorum Creatione in tempore.* 2. *Angelorum lapſu.* 3. *Bonorum Angelorum Confirmata ſanctitate, & ſimilibus*, qvæ Ratio vel plane non, vel Confuſe & imperfecte ſuis ex principiis veſtigat. Lumen Dei ſi affulget in Eccleſia, multa de Bonis & malis Angelis, pauciſſima de Angelis in genere reteguntur, cum præter Creationem & genus, qvod eſt Spiritus, nulla ferme Affectio de Angelis in Genere prædicetur. Hinc non fatiganda putamus Ingenia Scholaſticorum ac Metaphyſicorum ſubtilitatibus, ex Generica Intelligentiarum Natura depromptis, cum iis nec fides ἀνυπόκριτος roboretur, nec ſincera pietas proveharur, nec afflictis vivum ſolatium affundatur. Videat, qvi vult, *Thom. p. 1. ſum. q. 50. ſeqq. Greg. de Valent. tom. 1. Diſp. q. 1. ſeqq. Schiebl. l. 2. Metaphyſ. n. 28. ſeqq. & Scholaſticos in lib. 2. Sentent. diſtinct. 3.* Qvæ alicujus ponderis & utilitatis ſunt qvæſtiones, de Bonis Angelis, explanant 1. Illorum *Originem & Eſſentiam* 2. Illorum *Scientiam Voluntatem ac potentiam*, 3. Illorum *Officium, Diſtinctionem* atqve *Dignitatem*

CAP. I.

DE BONORUM ANGELORUM ORIGINE ET ESSENTIA.

CReatos eſſe Angelos ad DEi Imaginem, qvando Scholaſtici adſtruunt, admiſcent inutiles Qvæſtiones de Imagine Dei Angelis concreata, qvibus inqvirunt, *qvalis ea ſit? An habuerint eam primo Creationis momento? An ad eam per actus ſe diſpoſuerint? qvomodo per hanc Imaginem aternam Beatitudinem adepti fuerint? An potuerit ereari Creatura, qvæ peccare non valuerit?* &c. In his & ſimilibus (de qvibus *Thom. parte 1. ſum. q. 62. Greg. de Valent. tom. 1. Diſp. 4. q. 13. & Scholaſtici d. l.*) bonarum mentium torturam, nullam autem Eccleſiæ ædificationem perſpicimus, ideo eas ſilentio involvimus, qvia tacet de iis Magiſter ſummus, qvi eſt Spiritus S. Conſimilem ob cauſam removemus Diſputationes de *Fabrica, Unione ac Diſpoſitione Corporum*, qvibus apparuerunt Angeli (Vide *Bonav. in lib. ſent. diſt. 8. n. 5 ſeqq. Greg. de Val. tom. 1. Diſp. 4. q. 1. Becan par. 1. Theol. Schol. tract. 3. cap. 1. q. 16. Zanch. l. 2. de Op. D. C. 8. 9 lib c. 20. Schiebl l. 2. Metaph. c. 4. n. 265.*) & unice inqvirimus, qvid doceant Sacræ literæ de Angelorum *Creatione, Eſſentia ac qvidditate.*

Qv. l. *Qvæ eſt Doctrina* Ὀρθόδοξος *de Angelorum Creatione?*

THESES.

I. ANgelos eſſe creatos, Eccleſiæ Doctores probant verbis *Pſ. CIV.*

4.

4. qvibus Angeli, qvi Spiritus & Spiritus qvi Angeli, vocantur Dei Opera; Sive enim cum Luthero textum vertas: Er macht seine Engele zu Winden: Sive hoc modo, transponas: *Facit Spiritus, ut sint Angeli*, semper â Creatore Angeli distinguuntur, & Creaturis annumerantur.

II. In Psſ. CXLVIII. 2. si conferas παράφρασιν hanc: *Laudate Dominum omnes Angeli*, cum argumento v. 5. resultat hæc Conclusio. *Angeli sunt â Deo facti & creati.* Qvicunqve enim obstringuntur ad Dei laudem, sunt Dei opera. At Angeli obstringuntur ad Dei laudem. E.

III. *Colos. I. 16.* Angeli qvia non possunt non annumerari τὰ ἐξ' αὐτοῦ per Christum factis, Creaturarum è circo neqvaqvam sunt extrudendi *Thom. p. 1 sum. q. 62. Gerh. tom. 2. L. de Creat. §. 35. Greg. de Val. t. 4. disp. 4. q. 12. punct. 1.*

IV. Angelos omnes qvotqvot creati, in initio, sanctos bonos & justos fuisse conditos, asserit 1. *Apostolus*, qvi omnem Dei Creaturam vocat bonam 1 *Timoth. IV.* 4. 2. *Ipse Salvator*, qvi & lapsos Angelos in Veritate fuisse, docet *Johann. VIII.* 44. 3. *Judas*, qvi sua in Epist. attestatur *vers.* 6. lapsos Angelos habuisse ἀρχὴν & ἴδιον οἰκητήριον *Thom. d. l. q.* 64. *D. Forst. in ἐλ. de S. Ang. th.* 113. *Polanus l. 5 Syntagm. c.* 13.

V. Qvamvis κατὰ τὸ χάραγμα in Bibliis non legatur; Angelos esse conditos ad Dei Imaginem; tamen asserit hoc ex nostris Theologis D. *Schacht* in den Fürnehm. Haupt-St. Christl. Lehr. *p.* 127. 28. ex Calvinianis *Zanch. part. 3 de Op. 6. Dier. lib. 3. Cap. I. Casmann. in Ἀγγελολ. Part. 1. c. 9.* & Scholastici plerique in *l. 2. sent. dist. 3. lit. D.* E. Vide *Greg. de Valent. tom. 1. Disp. 7. q. 3. punct. 1. col.* 1492, qvorum sententia eatenus est ἐγγραφος, qvatenus Dei Imagini ad qvam Homo conditus, describitur ut ὁσιότης τῆς ἀληθείας Ephes. IV. 24. Angelos autem esse conditos ἐν ἀληθείᾳ tradit Salvator *Johan. VIII.* 44. Insuper stabilit hanc sententiam Epiphonema Moysaicum de Entibus â Deo creatis, qvæ omnia fuerunt bona *Genes. I.* 31. Lombard. lib. 2. distinct. 3. lit. D. E. ex analogia hdei nectit argumenta, qvæ probant, non nisi bonos, justos & sanctos â Deo esse conditos Angelos. Confer *Bonavent. in l. 2. sent. Dist. 3. n.* 45.

VI. In assertione de Angelis ad Imaginem Dei Conditis declinanda 1. *Curiositas Scholastica*, de qva supra; 2. *Confusio Calvinistica*, qva pars principalis imaginis Dei, qvæ est Sanctitas & justitia, confunditur cum Essentialibus Angelorum proprietatibus, qvæ sunt Spiritualitas, Intellectus & Liberum Arbitrium, qvæ *Zanch. d. l.* ad Imaginem Dei refert 3. *Opinio de perfecta beatitudine* Angelorum; qvæ statim adfuit ab instanti

Creationis; Hanc enim non admittit Conseq. lapsus qvorundam Angelorum: Hinc *Bonav. in l. 2. sent. Dist. 2. punct. 1. q. 1.* recte distinguit inter *Beatitudinem*, qvæ est *plenitudo omnis Boni*, & beatitudinem, qvæ est *privatio omnis mali, tam pœnæ, qvam culpæ*. *Hanc* non *illam* concreatam, docet, Angelis. Alii distinguunt *Bonitatem Creationis*, â *Bonitate Confirmationis*, qvæ affert plenitudinem omnis boni, & non admittit, ut Angeli peccent.

VII. *Angelos esse creatos spatio 6. Dierum*, probare solemus ex scripturæ dictis, qvæ asserunt, omnia creata, sex diebus esse creata. *Exod.* 20. v. 11. *Genes. 2. v. 2, 3. Exod.* 21 17. His universalibus effatis non comprehendi Angelos, nulla solida ratione potest demonstrari.

VIII. Silentium S. scripturæ, de die & loco, qvo creati Angeli confirmatur sententiarum discrepantia, de qva Vide *Gregor. de Valent. tom. 1. disp. 4. q. 12. p. 2. & 3. Gerhard. d. l. §. 38. Polan. lib. 5. Syntagm. cap. 10. Hutter. in Loc. Theolog. p. 203. Alsted. lib. 6. Encyclop. part. 3. cap 1. Reg. 4. Casman. in Κυγελοχ. par 1. cap. 5. q. 3. Zanch. l 2. de op. 6. Die cap. 5.*

ANTITHESES.

I. Lutetiæ Anno Christi 1216 rejecti sunt, qvi docuerunt, omnia separata esse coæterna primo principio *Cent. 13. Mag. col. 573.*

II. *Hermannus* Riswichus Anno 1512. Romæ exultus, qvia negatus fuit, Angelos non esse creatos â Deo, referente *Bernhardo de Lutzenburgo in Chronico.*

III. Scholastici Calviniani & alii sine scriptura audent certi qvid statuere de Loco, tempore & die, qvo Angeli sunt creati. *Junius prælect. in Genes. tom. 1. col. 65.* Confert *Cap. 1. v. 1. Genes.* cum *cap. 2. v. 1.* qvo Exercitus cælorum fit mentio, & infert, Angelos comprehendi in sede sua, sc. Cælo, cum Moyses dicit: In principio Creavit Deus Cælum & terram, Confirmat hanc sententiam ex *Job.* 38. 7.

IV. *Manichæi & Priscillianistæ* delirarunt, Angelis qvibusdam malitiam esse concreatam. qvi damnati sunt in Concil. Bracar. can. 7. Vide *Cent. 5. Magdeb. col. 570. & Cent. 7. col. 133.*

HYPOTHESES.

Ἔλεγχος hodie per Dei gratiam non invenit apertos Adversarios, qvibus cum conflictetur: Antiqvis & occultis hæ possunt resistere Hypotheses. 1. Ex 1. Johan. 3. v. 8. recte infertur, Diabolum peccare 1. ab Initio mundi 2. ante hominem 3. postqvam creatus est: qvod autem in Initio suæ Creationis statim peccaverit, nulla litera in textu evincit,

II. *Matth*

II. *Matth.*18.*v.* 10. Textus non est divellendus, uti solet fieri in paralogismo, παρὰ τὴν σύνθεσιν καὶ διαίρεσιν: Christus enim non loqvitur simpliciter de Angelis, sed relate de Angelis puerorum, qvi semper vident faciem Patris in cælis, qvando pueros custodiunt. Uti autem ab æterno Angeli non fuerunt puerorum custodes; Ita etiam ab æterno faciem Patris cælestis aspicere non potuerunt, adeoqve vox *Semper* notat qvidem *existentia continuationem perpetuam*, non autem *principii negationem, omnimodam.*

III. Illis, qvi locum & diem inqvirunt, qvo Angeli creati, cum Augustino respondemus: *Magis eligo cautam Ignorantiam confiteri, qvam falsam Scientiam profiteri.* tom.2. Epist.78. item cum Origene l. 1. περὶ ἀρχῶν: *Est illud in Ecclesiastica prædicatione, esse Angelos Dei qvosdam & Virtutes bonas, qvæ ei ministrent ad salutem Hominum consummandam; sed qvando isti Creati sint, & qvomodo sint, non satis manifeste distinguitur.*

IV. Qvi qværunt anxie, qvî Deus potuerit ab æterno esse Dominus, cum ab æterno non habuit famulos? ab Augustino, l. 12. de C. D. cap. 15. nervoso hoc repressi sunt Responso: *Vereor, ne facilius judicer affirmare qvod nescio, qvam docere, qvod scio. Redeo igitur ad id, qvod creator noster scire nos voluit: Ille vero qvæ vel sapientioribus in hac vita scire permisit, vel omnino perfectis in alia vita scienda servavit, ultra vires meas esse, profiteor.*

Qv. II. *Num Boni Angeli sunt saltem boni motus & bonæ qualitates?*

THESES.

I. ANgelos esse Spiritus per se subsistentes, hoc est veras substantias & Hypostases, non autem tantum inspirationes, vel motus, affectus & eventus bonos, sacræ literæ aperiunt, recensendo Nomina Bonorum Angelorum Hypostatica, qvibus appellantur *Gabriel Dan.* VIII. 16. c. IX. 21. *Raphael Tob.* XII. 15. Vigiles *Dan.* IV. 10, 20. Custodes Ps. XCI. 11. ministri *Hebr. I. v.* 14. qvæ nomina ut propria & singularia nudis accidentibus attribui neqveunt.

II. Operationes Angelis assignatæ sunt Suppositorum: Legitur enim de bonis Angelis, qvod videant faciem Patris in cælis *Matth.* 18. *v.* 10. sciant *Marc.* 13, 32. gaudeant *Luc.* 15. 10. desiderent 1 *Pet.* 1, 12. evangelizent *Galat.* 1. *v.* 8. adorent Deum Ps. 97. 7. *Ps.* 148. 2. eripiant pios *Ps.* 34. 8. & manibus portent *Ps.* 91. v. 11. animas fidelium deferant in sinum *Abrahæ Luc.* 16. *v.* 22. ministrent Deo & piis *Dan.* 7, 10. *Heb.* 1. *v.* 14. prælientur cum Angelis Sathanæ *Apoc.* 12, 9. Hæ & similes operationes conjunctim sumptæ motibus & qvalitatibus, qvæ non sunt substantiæ, nullibi in scripturis tribuuntur.

III.

III, Apparuerunt boni Angeli ut Personæ, qvam viderunt Abrahamus *Genes.* 18, 2. Lothus *Genes.* 19. v. 1. Jacobus *Genes.* 28. 11. *cap.* 32. v. 1. David 2. *Sam.* 24, 17. Elias 1. *Reg.* 19. v. 6. 2 *Reg.* 1. *v.* 3. Servus Elisæi 2 *Reg.* 6. *v.* 17. Esaias *Es.* 6. *v.* 6. Daniel *Dan.* 8. & 9. Zacharias Propheta *Zach.* 3. *v.* 7. Josephus vir Mariæ *Matth.* 1, 20. *c.* 2. *v.* 13, 19. Zacharias & Maria *Luc.* 1. *v.* 11, 28. Pastores circa Bethlehem *Luc* 29. Christus *cap.* 4, 11. *Luc.* 22. *v.* 43. utraqve Maria *Marc.* 16, 5. Maria Magdalena *Johan.* 20. v. 12. Apostolis *Actor.* 1. *v.* 10. *cap.* 5, *v.* 19. Petrus *Actor.* 12 *v.* 7. *seqq.* Paulus *Actor.* 27. *v.* 23. Johannes Theologus, in Apocalypsi, omnibus ferme capitibus. Hujusmodi apparitiones qvi in timore Domini pensitaverit, haud dubitabit, Angelos esse ὑποστάσεις & substantias vere subsistentes, Confer *Calvin. lib.* 1. *Instit. cap.* 72. *sect.* 9. *Polan. l.* 5. *Syntagm. c.* 10, *Forster. in* ἐλέγχῳ *Error. de Angel. th.* 18. *seqq. Zanch. par.* 1. *de Op.* 6. *Dier. l.* 2. *Cap.* 2. *Casman.* in Ἀγγελογ. *par.* 1. *Cap.* 2.

ANTITHESES.

Ἀντίθεσις enata in scholis *Saducæorum* & provecta â *Libertinis* & *Anabaptistis*, qvi Patrum nostrorum seculo scriptitarunt: Angelos non esse substantias, sed qvalitates, & si qvando Deus nobis benefaciat, illa benefacta vocari Angelos. *Chemnit. parte* 1. *Loc. pag.* 131. Præmissa Ἀντίθεσις qvia nullis solidis est vestita argumentis, in ἐλέγχῳ operæ & tempori haud immerito parcimus.

Qv. III. *Sunt ne boni Angeli incorporeæ & immateriales substantiæ?*

THESES.

I. D*Amascen. lib.* 2. *de Orth. fide cap.* 3. ait Angelos esse οὐσίαν νοερὰν, ἀεὶ κινητὸν, αὐτεξέσιον & ἀσώματον: Cujus sententiæ consona sunt dicta, qvibus Boni Angeli opponuntur corporeis substantiis *Galat.* 1. *v.* 8. *Hebr.* 2. *v.* 16. *Matth.* 26. *v.* 53. Ex his ita inferimus: Angeli præferuntur Hominibus, *aut* qvia substantiæ corporeæ, *aut* qvia simpliciter incorporeæ. Non *illud*, qvia inter substantias materiales, qvandam dari, qvæ Homine sit nobilior, nulla scriptura tradit, nullaqve ratio evincit. *E. Hoc.*

II. Ultima verba in Ep. ad Hebr. cap. 1. collata cum antecedentibus, qvibus Angeli boni describuntur ut Personæ & substantiæ: hanc pariunt conclusionem: *Angeli boni ut Persona vocantur* πνεύματα. *Nulla substantiæ materiales, qvæ describuntur ut Personæ, vocantur* πνεύματα. *E. N. Angeli boni qvi Personæ, sunt substantiæ materiales.*

III. Boni Angeli conspecti In specie virorum Peregrinantium *Genes.* 19. *v.* 1.

19. v. 1, 15, 18, 10. Eqvorum & curruum ignitorum 2. *Reg.* 6. v. 17. Seraphim sex alis instructorum *Esa.* 6. *v.* 2. Cherubim faciem Hominis & faciem *Leonis* præ se ferentium *Ezech.* 41. v. 19 Viri volantis *Dan.* 9. v. 21. Juvenum *Marc.* 16. *v.* 5. *Luc.* 24. *v.* 4. *Actor.* 1. *v.* 10. Virorum in veste candida *Actor.* 1. *v.* 10. *cap.* 10. *v.* 30. Ex his omnibus nectitur tale argumentum. O. *substantiæ corporeæ si videntur, in propriâ figura videntur.* At *Boni Angeli, qvando videntur, in propria figura non videntur.* E. *Boni Angeli non sunt substantiæ corporeæ.* *Propositio* certa est ob naturam corporis, qvod semper suam habet figuram, qvoties videtur: *Assumptionem* qvi negat, ipsas Apparitiones tollit, & Angelos in monstra convertit, si assumptitias formas ipsis Angelis connaturales statuat, fingendo, illos esse viros, Eqvos, Leones aliis instructos & vestibus indutos, qvales si essent Angeli, illorum Forma visibilis adeo cito non effugisset hominum oculos.

III. Verba Christi *Matth.* 22. *v.* 30. *Luc.* 20. v. 36. in futura vita aliqvam differentiam deposcunt inter Angelos & homines: Non enim dicit, qvod Electi homines futuri sint Angeli, sed ὡς ἄγγελοι vel ἰσάγγελοι *erunt Omne autem Simile est dissimile*: *Angelis bonis in altera vita beati homines* Omne autem Simile est dissimile: Angelis bonis in altera vita beati homines erunt *similes.* E. aliqvo modo erunt dissimiles: Qvod si Angeli æqve corporei sunt, atqve Homines erunt corpora πνευματικὰ in resurrectione: 1. Corinth. 15. v. 44. nulla apparebit dissimilitudo inter beatos homines & Angelos, qvod tamen verba Salvatoris non innuunt. Vide *Meisner. part.* 1. *Phil. sob. sect.* 4 *cap.* 8. *q.* 1. *Lomb. lib.* 2. *dist.* 8. *Greg. de Valent. tom.* 1. *disp.* 4. *q.* 1. *p.* 4. *Thom. part.* 1. *sum. q.* 51. 52. *Polan. lib.* 5. *Synt. cap.* 10. *P. Mart. in Loc. Class.* 2. *c.* 12. *Casman. in Ἀγγελογ. par.* 1 *cap.* 2. 3.

ANTITHESES.

I. Qvidam antiqvi Patres *Tatianus*, *Justinus*, *Origenes*, *Tertullianus* & alii Corpora tribuunt Angelis, qvorum tamen saniorem fuisse aliqvando mentem, atqve verba ipsorum sonant, *D. Meisn. a. l.* docet.

II. *Vorstius in Apolog. Exeg.* contra *Becanum* ait: sibi plusqvam verisimile videri, Angelos esse corpora.

III. Scholastici qvidam statuunt, Angelos habere corpora sibi unita & hanc sententiam non esse hæreticam, scribit *Greg. de Val. t.* 1. *disp.* 4. *q.* 2. *p.* 1.

IV. *Ex* Calvinianis qvidam non dubitant Angelis tribuere corpora proprie dicta, corporumqve affectiones, ut locum & motum localem *Zanch parte* 1. *de operib.* 6. *dier. lib.* 2. *cap* 3. *Goclen. in Disqvis.*

HYPOTHESES.

I. Vox σῶμα distincte applicatur Angelis, in Scriptis Patrum. Aliqvan-

do notat *Personam*, aliqvando *corpus ab Angelis assumptum*, aliqvando *veram substantiam*, compositam ex *actu & potentia*, *esse & essentia*, qvæ in comparatione cum simplicissimo Deo, vocari solet σῶμα. Interdum etiam Patres Angelos dicunt σώματα, non ex sua, sed Adversariorum mente.

II. Scriptura per Angelorum Faciem *Actor.* 6. *v.* 15. lingvas 1 *Corinth.* 13. *v.* 1. manus *Ps.* 91. *v.* 11. & pedes *Esa.* 6. *v.* 2. non tam essentiam qvam apparentem illorum formam describit. Siqvidem Facies Angelorum nunqvam conspecta, lingvæ nunqvam auditæ, manus & pedes nunqvam monstrati, nisi in Formis assumptis, qvibus Angeli apparuerunt: Nostræ igitur Infirmitati consuluit Spiritus S. in describendis Angelis, & qvia nos non percipimus, qvomodo Angeli boni videant, loqvantur, agant & moveantur, per figuras Angelorum visibiles repræsentantur nobis attributa eorum invisibilia.

III. Apparitiones bonorum Angelorum in Formis assumptis nullam evincunt corporeitatem: Nisi ex ætherea substantia vel Elementis Angelorum corpora confiata, dicere qvis gestiat: Forma enim in qvibus apparuerunt Angeli, aut æthereæ aut Elementaris fuerunt Naturæ, cum medium non obveniat: Si jam talis fuit Angelorum essentia, qvalis Forma vel Species qva apparuerunt, aut ætherea, aut Elementaris materia Angelorum constituet Essentiam; Ast neutram admittit spiritualis substantia Angelorum, superius evicta, qvam ipsæ apparitiones produnt, qvia in his evanuerunt interdum Angeli ê hominum Conspectu, & non recesserunt more substantiarum, qvæ Corporeæ sunt, ut e. g. *Tob.* XII. 21. *Act.* 12. 10. Considerentur etiam illæ apparitiones Angelorum, qvibus in Somno â dormientibus Conspecti, & ut Dei legati auditi sunt boni Angeli *Matth.* I. 20. *cap.* II. 13. 19 *Actor.* XXVII. 23. *Genes.* XXVIII. 12. His in dictis cum ipsi Angeli depingantur, ut apparentes in somno & ad dormientes verba facientes, qvod corporeæ substantiæ non sint, manifestum est, qvia Substantiarum Corporearum Species, non ipsæ in sua Essentia apparent in Insomniis.

IV. Angelos in assumptis Corporibus ambulasse, comedisse, sedisse surrexisse &c. textus Biblici attestantur, qvod autem hi motus fuerint tales, qvales sunt in Corporibus Hominum vel Animalium, non possumus asserere, qvia Angeli ut extra Corpora existentes describuntur, qvi non ex necessitate Naturæ, sed οἰκονομίᾳ ac libera dispensatione Corporum ad temporis assumptorum subeunt affectiones.

V. In Corporibus Elementaribus apparuisse Bonos Angelos, svadere videntur Dicta S. Scripturæ, qvæ Angelis attribuunt aspectum sicut fulgur

&

& vestimentum sicut nivem *Matth. XXVIII.* 3. stolam candidam *Marc. XVI.* 5. vestem fulgentem *Luc. XXIV.* 4. vestem albam *Act. I.* 10 *cap. X.* 30. quibus in Speciebus Colorem Elementarem oculis obvenisse, negare nemo potest: Qvalis autem fabrica, Unio ac Dispositio assumptorum Corporum, Deus non patefecit, unde melior hoc est loco fidelis Ignorantia, qvam temeraria Scientia, si *Augustino* credimus *serm.* 20. *de Verb. Apost.* Confer *Zanch. part.* 1. *de Op.* 6. *Dier. l.* 2. *cap.* 8, 9. *l.* 3. *c.* 20 *Casmann. in Ἀγγελογ. par.* 1. *c.* 13. *par.* 2. *cap.* 6. *q.* 1. 2. 3. 4.

VI. Filios Dei, qvi commixti cum filiabus Hominum *Genes. VI.* 2. non fuisse Angelos, Christus edocet *Matth. XXII.* 30. Cum aperte testatur, Angelos esse ἀγάμους. Dicuntur autem Filii Dei posteri Seth & Enos, qvi veram Religionem professi & ê Posteris Cain Idololatrico cultu inqvinatis Uxores sibi sociarunt. Non enim *Angelorum*, sed *Hominum* malitia Deum provocavit ad Diluvii immissionem. *Genes. VI.* 5.

VII. Compositionem ex *esse & Essentia, actu & potentia* non denegamus Angelis, nec diffitemur, si Angelorum Simplicitas cum simplicitate Dei conferatur, Angelos συγκριτικῶς esse compositos, cum non sint ita simplices, ut est *Deus* in sua Essentia. Hujusmodi autem Compositionem consistere cum incorporea & immateriali Angelorum Natura Saniores Metaphysici uberius explicant. Vide *Schibl. l.* 2. *Metaph. cap.* 4. *Casman. in Ἀγγελογ. par.* 1. *cap.* 4.

IIX. Esse panem, qvo nutriantur Angeli, non probatur *Pane Angelorum*, cujus meminit Asaph. *Ps. LXXVIII.* 25. Panis enim אבירים ille est, qvi ministerio & virtute Angelorum præparatus atqve demissus: Unde *populus*, non *Angelorum Exercitus* pane Angelorum, legitur nutritus, *Sap. XVI.* 20.

IX. *Apparitiones Angelicæ* distinguendæ â *Visionibus Prophetic*is: *Illæ* oculis corporeis; *hæ* menti duntaxat fuerunt objectæ; in *illis* assumpta in *his* imaginaria Angelorum apparuerunt Corpora. Confer *Scalig. Exercit.* 359. *s.* 13.

Qv. IV. *Sunt ne Boni Angeli finiti, Loco ac Tempori subjecti?*

THESES.

I. CReatam Angelorum Bonorum Essentiam qvia S. Scriptura ostendit, uti patuit q. 1. infallibiliter seqvitur, Angelicam *Essentiam* suæ Essentiæ terminis definiri, adeoqve ab Infinita Creatoris essentia distingui *Casman. in Ἀγγελογ. par.* 1. *cap.* 6. *q.* 1.

II. Finita qvia Bonorum Angelorum est Essentia, non sunt Angeli Omnipræsentes vel ubiqve; Siqvidem nec immensa est eorum Natura, nec

in infinita Hypostasi subsistunt. Spiritus autem & incorporeæ qvia sunt Substantiæ, non sunt in loco *proprie dicto* vel *Physico*; qvando extra Corpora assumpta nec localiter de loco in locum moventur, qvando extra assumpta Corpora moventur: *Scalig. Exercit. 359. sect. 5.* Dicuntur esse in loco æqvivoce, atqve etiam plus qvam æqvivoce, qvia sunt *in suo UBI, non per circumscriptionem, quemadmodum mea manus in Aere, sed per designationem.* Vide *Thom par. 1. q. 52. artic. 1. Scot. 2. sent. dist. 2. q. 6. Biel. 2. sent. dist. 2. q. 2. artic. 4. Bonav. in l. 2. sent. dist 2. art. 2. q. 1.*

II. Sudant Scholastici, ut addiscant; 1. *An unus Angelus in pluribus possit esse locis?* 2. *An in uno loco plures possint esse Angeli?* Scripturam autem qvia non habent præviam, Discursuum fluctibus colluctantur, nec tamen eluctantur. Videatur *Bonav. l. 2. sent. dist. 2. art. 2. q. 2. & 4. Greg. de Valent. tom. 1. disp. 4. q. 3. 4.* Sufficit nobis illud Augustini in Enchirid. cap. 59. *Qvid opus est ut hæc atqve hujusmodi affirmentur, vel negentur vel definiantur, cum sine discrimine ignorentur.*

III. Temporum Differentiis ita mensurari Angelos, ut Homines mortales, qvia vivunt in cælesti Jerusalem Hebr. XII. 22, in qva non lucet Sol vel Luna, nec est vicissitudo noctis ac diei Apocal. XXI 23. 25. Qvidam ex Scholasticis trip icem introducunt durationem 1. Dei, qvæ æternitas 2 Angelorum, qvæ Ævum. 3. Hominum, qvæ tempus. Deo autem ut Enti immenso ac perfecto proprie non competit mensura Durationis, qvia Deus perfectionis mensura est. Angelis qvia non moriuntur ut Animalia, nec existunt ab æterno, ut Deus, ævum competere, ut Hominibus ætatem, S. Scripturæ consonum, qvale autem sit ævum Angelicum, sine Scripturæ ductu scrutantur Scholastici. Vide Bonavent. in l. 2 sent. dist. 2. art. 2. q. 1. 2. 3. Ἀνυπόθετος cum nemo, qvod scirem, nostro sæculo obvertat, earum Hypotheses ut inqviramus, nullum Veritatis periculum cogit.

Qv. V. *Num inter Bonos Angelos possunt esse Dissidia?*

THESES.

I. Dissidiorum fontem in Creatura rationali esse peccatum, evidenter docet Salvator *Johan. VIII. 44.* Paulus 1. *Corinth. III.* 3. & Jacobus *cap. III. 5. 16.* Si jam Angelos consideres in statu qvo Creati, & in statu, qvo confirmati, qvidam ex iis, in Integritate, nulla possunt inter eos esse dissidia, qvia omnes stant in veritate immunes â peccato & eorum Sapientia non est terrena, animalis, diabolica, sed deorsum, adeoqve pacifica, æqva, svadibilis, bonis Consentiens.

II. Uti maxima inter bonos Angelos est Concordia, qvia volunt id, qvod vult Deus. *Matth. VI. 10.* & expediunt Dei jussa unanimiter. *Ps. CIII.*

10 ita maxima inter bonos & malos Angelos est discordia, de qva in Controv. seq. docendum.

ANTITHESES.

I. Disceptare & concertare bonos Angelos, tradidit *Theodoreth. in Dan. p. m. 718.* qvem seqvitur *Greg. M. l. 17. moral. c. 8. Thomas. par. 1. q. 113. art. 7. Carthusianus, Lyra in c. 10. Dan. Pererius l. 12. in Cap. 10. & 11 Dan.*

II. Scholastici contendunt, in Angelis bonis non pôsse esse discordiam Voluntatum, sed diversitatem sententiarum ac Judiciorum, cùm non intelligant, qvid Deus decrevit: Unde unus ita, alter aliter agendum, censet. Hanc sententiam approbat *Zanch. par. 1. de op. 6. Dier. lib. 3. cap. 16. Casm. in Ἀγγελολ. par. 2. cap. 7. q. 3.*

HYPOTHESES.

I. Enata opinio de bonorum Angelorum discordia ac Concertatione, ex depravatione Narrationis Angelicæ *Dan. X. 13. 20. 21.* Non enim Princeps Persarum & Princeps Græcorum fuit bonus Angelus, resistens Gabrieli, qvia bonis Angelis Voluntas Dei de liberando populo Israelitico, ex Captivitate Babylonica, non fuit ignota, sed ex Vaticiniis Propheticis optime perspecta, ut boni Angeli nomen mereri neqveat, qvi impedit, ne Dei Voluntas fiat. Expendantur etiam ea, qvæ Daniel petiit in Oratione sua *Dan. IX.* & eluceſcet, non fuisse bonum Angelum, qvi ea reppulit, qvæ Daniel petit & Gabriel accelerare studuit. Imperantes in Persia & Græcia qvi intelligunt per Principes Gabrieli repugnantes, argumentum pro Angelorum lite deserunt. & non attendunt, in lucta Gabrielis cum Principibus dictis, neminem adstitisse Gabrieli præter Michaelem *Dan. X, 21.* Qvod si soli Homines repugnassent Gabrieli, his qvod multi etiam ex Hominibus sese opposuerint, dubium non est. Iacirco Princeps Persarum & Græcorum Gabrieli adversus Sathanas fuit, qvi Princeps hujus sæculi *Johan. XIV. 30. c. XVI. 11.* operatur in Filiis diffidentiæ. *Ephes. II. 2.* & devincitur cum Angelis suis â Michaele & hujus Angelis *Apocal. XII. 7. 8.*

II. Si haud verisimile apparet, malum Angelum prævaluisse bono, anteqvam advenit Michael, cogitabis, decertasse Gabrielem cum Principe Persarum ac Græcorum, non *immediate*, sed *mediantibus Hominibus*, qvorum plures, qvia obtemperarunt Sathanæ Gabriel parva manu piorum impios superare non potuit, anteqvam advenit Christus, Victor mundi & Sathanæ. Sic adhuc hodie Boni Angeli in pusillo fidelium grege sæpe succumbunt, cum Christus Sathanæ & satellitibus frænа laxat; Superiores autem fiunt, cum Christus ê somno qvasi exsuscitatus Ventum ac mare compescit.

III. De *occultis* Dei Decretis diversa possunt existere judicia, inter bonos Angelos, non autem de Decretis Dei *revelatis*, qvibus accensendum illud, qvo de Gabriel dimicavit cum suis Antagonistis. Uti de occultis Dei Decretis æqvalis est Ignorantia, in Angelis, ita diversa de his judicia non tollunt amicitiam ac Concordiam.

IV. Ex bonis Angelis certis Provinciis Gubernatores ac Præsides esse destinatos, in schola Spiritus S. nondum didicimus. Hominum Speculationes & opiniones ejus non sunt authoritatis, ut mysteria nobis fide digna commendent.

Qv. VI. *Annon Boni Angeli habent substantiam incorruptibilem & immortalem?*

THESES

I. BOnos Angelos nec corrumpi nec mori, scriptura attestatur dictis manifestissimis. *Matth. 18. v. 10. Apocal. 5. v. 11. cap. 7. v. 11.* ex qvibus liqvet; Angelos bonos semper videre faciem Dei in Vitâ æternâ, qvâ mors exulare cogitur *Apocal. 21. v. 4.*

II. In respectu ad Deum, Angelos esse mutabiles Scaliger *Exerc. 307. sect. 12.* hoc in discursu edisserit: *Unum est primum, alia igitur dependent Entia, ergò suâ naturâ omnia propter unum corruptibilia. Tametsi enim sunt absoluta â subjecto & â termino, tamen non sunt absoluta â causâ. Sunt igitur per aliud & ab alio. At omne dependens, ab eo, â qvo dependet, si est voluntarium principium mutari potest. Ergo ipsæ qvoqve mentes immateriales, etsi ponantur â Peripatheticis coæternæ Deo, tamen ut â primo pendent, â primi nutu deponi possunt, ab eâ Entitate, in qua sunt ab illo constitutæ.* Fulcitur hic discursus dictis S. scripturæ de Dei immutabilitate & angelorum Creatione, qvæ edocent: Angelos esse mutabiles qvoad Dei potentiam, qvâ ut ex nihilo potuerunt produci; ita in nihilum vicissim possunt redigi.

III. Angelos in se consideratos, non esse mutabiles vel corruptibiles, docetur. 1. dictis de Spirituali Angelorum essentiâ, in qvâ ob materiæ defectum nulla dispositio ad corruptionem. 2. dictis de Angelorum sanctitate, qvibus causa mortalitatis, qvæ est peccatum, Angelis denegatur. 3. dictis de ἀφθαρσίᾳ Animæ rationalis & corporum glorificatorum, qvibus utrisq; dum Angeli sunt similes, horum etiam naturam incorruptibilem & immortalem esse, evidenter seqvitur. Simplicitatis studioso sufficit, scire de Angelorum Naturâ τὰ γεγραμμένα in Codice Biblico, alia autem qvæ de eâdem Naturâ sunt & manent abscondita, rectius ignorantur, qvam indagantur. Vide interim *Gregor. de Valent. tom. 1. Disp. 4. q. 1. p. 4. Meiss. parte 1. Phil. sob. sect. 4. Cap. 8. q. 4. Schiebl. lib. 2. Metaphys. cap. 3. num. 7.*

AN-

ANTITHESES.

I. *Gabriel Biel. in 2. sent. dist. 2. q. 1.* scripsit: Angelos qvoad naturam suam eodem modo corrumpi posse, atqve possunt res aliæ.

II. *Timplerus lib. 4. Metaphys. cap. 4. q. 18. & Goclenius disqvisit. 41 pag. 13.* Angelos dicunt immortales, qvatenus immunes ab actu, non autem potentiâ moriendi.

HYPOTHESES.

I. Solus *Deus* habet immortalitatem ut Rex regum & Dominus Dominantium 1. *Timoth. 6. v. 15. & 16.* hoc est *independenter & Simpliciter* qvatenus omnino nulli mutationi est obnoxius.

II. Immortalitas & incorruptibilitas Angelorum consideratur vel ratione principii, *â qvo* provenit, & sic est gratuita; vel ratione subjecti *cui inest*, & sic naturalis, qvatenus ipsa Natura Angelorum ita â DEO condita, ut sit immortalis & incorruptibilis.

III. Patres aliqvando vocant Angelos mortales vel corruptibiles, qvatenus conferuntur cum Dei potentiâ & habent potentiam obedientialem qva mutationem â Deo possunt recipere.

CAP. II.

DE BONORUM ANGELORUM SCIENTIA, POTENTIA AC VOLUNTATE

SCire, intelligere, velle, ac operari bonos Angelos, sacræ paginæ luculenter docent, qvid autem sit illorum intellectus & qvomodo intelligant, qvomodo velint & qvomodo operentur nostra mens vinclis corporeis constricta perfecte non agnoscit. Scholastici differentes de *qvidditate & Modo* intellectus Angelici S. Scripturæ sese non adstringunt, cum disputant 1. *de intellectu Angelico, qvi non potentia cognoscitiva, & qvi realiter idem cum ipsa substantia Angeli*, vel ut aliis placet, *qvi accidens & potentia Substantiæ Angelicæ inhærens.* 2. *de modo intellectionis Angelicæ, utrum intelligant per speciem, an per essentiam? utrum Angelus species intelligibiles acqvirat? utrum vero â Deo inditas habeat? Utrum per species aqve perfectas intelligant? Utrum Angeli intelligant componendo, dividendo & discurrendo &c.* Hæc omnia probabiliter posse ventilari, non imus inficias, in sacris autem literis nihil de iis esse revelatum, certi sumus: Qvapropter optime hujusmodi qvæstionibus respondetur, si dicatur cum Augustino: *Non liqvet* Rationis discursus qvi expetit, inveniet eos ap. *Greg. de Valent. tom. 1. Disp. 4. q. 5. 6. 7. 8. 9. Thom. part. 1. sum. q. 54. 55. 56. 57. 58. Schiebl. l. 2 Me-*

Metaph. c. 4. num. 114. seqq. Zanch. de op 6. Dier. parte 1. libr. 3. cap. 6. 7. & 9. Bonav. in lib. 2. sent. dist. 3. & 4. Discursus Scholasticorum ut plurimum procedunt â Comparatione Intellectus Angelici & Humani: Et sane deneganda non sunt intellectui Angelico, qvæ offenduntur in humano, ob Angelicæ naturæ præstantiam. Sed valde lubricæ sunt illæ Conseqventiæ, qvibus Scholastici argumentantur ab habitudine nostri Intellectus ad habitudinem intellectus Angelici, qvi qvomodo versetur circa sua objecta? nostri Ingenii acies vix penetrat in hac vitâ. Si qvid de intellectionis modo circâ diversa Objecta explicare possumus, illud sit potius per ἄρσιν qvam θέσιν, qvia ea, qvæ in nostro intellectu imperfectionem involvunt, merito removentur ab intellectu Angelorum, qvæ sit autem vera intellectus Angelici perfectio, definire nos mortales haud valemus. Relictis igitur Spinis & tricis Scholasticorum scrutabimur S. Scripturæ theses de Bonorum Angelorum Scientiâ Voluntate ac potentia.

Qv. I. *Qvæ est Doctrina* Θεόπνευστος *de Bonorum Angelorum Intellectu ac Scientia?*

THESES.

I. INtelligere bonos *Angelos*, asserit S. Scriptura, tribuendo ipsis *Sapientiam 2. Sam.* XIV. 20. Ignorantiam *Matth.* XXIV. 36. *Mar.* XIII. 32. agnitionem *Ephes. III.* 10. 1. *Petr. I.* 12. sermonem articulatum vel intelligibilem, qvi præsupponit intellectum *Genes.* XVIII. XIX. *Dan.* VIII. IX. X. XI. XII. *Matth.* XXVIII. *Mar.* XXVI. *Luc.* I. II. XXIV. Consilium *Tob.* VI. 12. *seqq* laudem Dei *Ps.* CIII. 20. *Luc.* II. 13. 14 & adorationem Christi *Esa.* VI. 3. *Hebr.* I. 6.

II. Si qværas; qvidnam intelligunt Angeli? respondet S. Scriptura, eos cognoscere Deum *Matth.* XVIII. 10. *seipsos Apoc.* XIV. 18. 19. Homines, qvibus apparuerunt, uti patet ex singulis apparitionibus *Cap. 1. q. 2. th. 3.* Animas separatas *Luc.* XVI. 12. Animalia *Dan.* VI. 22. Arbores 1. *Reg.* XIX. 4. mysteria sacra patefacta *Matth. I.* 20. *Luc. I.* 13. *Mar.* XVI. 6. *Act. I.* 11. qvatenus autem mysteria nondum patefacta, sed ab æternis temporibus tacita, eatenus, latuerunt etiam Angelos *Ephes.* III. v. 10. Confer. *D. Jac. Mart. in syntag. disp. 8. th. 28. Schiebl. l. 2. Metaphys. cap. 4. n. 130.*

III. *Futura qvæ pendent ex necessariis causis*, ut Eclipses, dierum & noctium vicissitudines &c. non fugiunt humanum, multo ergo minus Angelicum intellectum. *Futura & Cordium cogitationes â Deo revelata* itidem non solum Angelis, sed etiam hominibus patere possunt. *Notitia conjecturali*

lecturali, qvæ ex dispositionibus & Signis hauritur; Itidem cadit in homines, qvi ex dispositione causarum de effectu, & exterioribus signis de Cogitationibus & motibus in mente conjecturas petere possunt, ideo nec hâc conjecturali futurorum Scientia carent boni Angeli.

IV. Omnifcii & καρδιογνώσται non sunt Angeli, qvia *N. Dei* idioma *communicatur Creaturis, extra Dei hypostasin subsistentibus.* At *præcognitio contingentium futurorum & cogitationum nostrarum est Dei* idioma Esa. 42. v. 8, 9. cap. 44, 23. 1. Reg. 8. v. 39. 2. *Chronic.* 6. v. 30. *Jer.* 17. v. 9. 10. *E.* hæc prædicta Notitia creaturis extra Hypostasin Dei subsistentibus non communicatur, & per consequens nec Angelis convenit. Vide *Greg. de Val. tom.* 1. *disp.* 4. *q.* 3. *p.* 4. *Polan. lib.* 5. *Synt. cap.* 11. *Schiebl. lib.* 2. *Metaphys. cap.* 4. *num.* 153. *seqq. Casmann. in* Ἀγγελοχ. *par.* 1. *c.* 11 *par.* 2. *cap.* 3. ANTITHESIS, qvoad futurorum Præscientiam, non occurrit: De cogitationibus autem cognitis ab Intellectu Angelico, diversissimæ sunt Scholasticorum opiniones de qvibus vide *Greg. de Val. d. l.*

HYPOTHESES.

I. Solius Dei proprium est, præscire 1. cujusqve generis futura 2. notitia infallibili & certa. 3. proprio suo Intellectu 4. tum qvoad actus proprios, cum qvoad alienos.

II. Si qvandoqve pios hominum motus in corde agnoverunt Angeli, vel hi â Deo fuerunt revelati, vel ab ipsis Angelis suggesti, vel etiam ex hominum colloqvio, qvod Angeli audiverunt, patefacti.

Qv. II. *Annon Boni Angeli libero Arbitrio vel Voluntate & affectibus gaudent?*

THESES.

I. VOluntas & liberum arbitrium, qvatenus notat Indifferentem facultatem ad agendum & non agendum, ad expetendum & fugiendum, Angelis bonis denegari neqvit, qvalis autem sit modus in volendo, qvid & qvalis itidem sit voluntas, qvoad multa nobis in hac vita manet absconditum.

II. In testimoniis sacris, Bonis Angelis tribuuntur Actiones â libero arbitrio provenientes, qvales sunt, velle & non velle *Genes.* 19. *v.* 2. 3. displicere d. l. *v.* 16. velle id, qvod antea non voluit *ibid. v.* 2, 3. velle ostendere futura *Dan.* 8. *v.* 19. *cap.* 9, 23. *c.* 10, 14. gaudere *Luc.* 15. *v.* 7, 10. desiderare 1 *Pet.* 1. *v.* 12. prohibere aliqvid *Apocal.* 19. *v.* 10. *c.* 22. *v.* 9.

III. Opiniones & probabiles rationes Scholasticorum de *Natura* Voluntatis Angelicæ & de *modo*, qvo volunt Angeli, exposuit *Thom. parte* 1. *summ. q.* 59. *Gregor. de Val. tom.* 1. *disp.* 4. *q.* 10. *Polan. lib.* 5. *Syntagm. c.* 11.

IV. Amorem & odium, gaudium & tristitiam in Bibliis de bonis

Angelis prædicari, novimus, qvomodo autem hi Angelici affectus in Natura Angelica excitentur & moveantur, itidem latere, & non revelatum esse, credimus.

V. S. Scripturæ dicta docent, Angelos gaudere *Luc.* 15. v. 7, 10. *Apocal.* 12. v. 12. conqveri de rebus sibi adversis *Dan.* 10. v. 13. Intervire Deo & piis Hominibus *Ps.* 103. v. 20. *Ps.* 34. v. 8. *Dan.* 10. v. 11, 19. Resistere autem Diabolo & impiis *Dan.* 10. v. 20. *Apocal.* 12. v. 7.

VI. Spes & desiderium in Bonis Angelis non proficiscitur ex Boni alicujus indigentia qvam eorum Beatitudo respuit, sed ex Charitate summa qva aliorum felicitatem desiderant. Bonum enim sibi præsens desiderant etiam piis hominibus, qvibus hoc nondum promissum, qvia hi nondum hoc ita assequti in terris, qvamdiu nondum sunt beati in cælis. Est igitur in bonis Angelis Spes & Desiderium, non respectu sui, sed respectu nostri.

VII. Ut in Angelis est Fortitudo sine molestia, tolerandorum laborum, & Temperantia sine repugnante libidinum, ita in illis est dolor de peccatis nostris, sine passione, sine tristitia, sine afflictione. Et qvemadmodum hujusmodi affectus in Deo sunt Θεοπρεπῶς, ita competunt Angelis pro ratione Angelicæ ac Spiritualis Naturæ, cælestisqve vitæ. Confer *Zanch. par.* 1. *de Op. 6. Dier. l.* 3. *cap.* 12. 13. *Casman. in* Ἀγγελογ. *parte* 1. *cap* 12. *parte* 2. *cap.* 6. ANTITHESIN qvia ignoramus, in ejus confutandis hypothesibus non laboramus.

Qv. III. *Qvid statuendum de Sermone & loqvela Angelorum?*

THESES.

I. FAcultatem Intelligentem & Liberum Arbitrium comitatur in Homine facultas sermocinatrix, qvæ qvomodo exeratur ab Angelis, ingenti sudore scrutantur Scholastici: Nos Loqvelam Angelis bonis concedimus, de *modo* Loqvutionis cum Augustino ex cap. 59. Enchirid. respondentes: *Nec sciri nec affirmari posse, qvanam ratione Angeli vel ad aurem forinsecus vel ad animum hominibus intus loqvantur.*

II. S. literæ affirmant de bonis Angelis, qvod non solum in assumptis corporibus loqvuti sint ad homines nimirum *Genes.* 19. *Dan.* 8. 9. 10. *Luc.* 1. 2. &c. sed etiam in simplici sua Natura alloqvuti sint Deum & se mutuo, uti legimus *Esa.* 6. v. 3. *Zachar.* 2. v. 3. Unde etiam lingvæ Angelorum junguntur ab Apostolo lingvis hominum 1 *Corinth.* 13. v. 1. Confer *Zanch. p.* 1. *de op. 6. dier. l.* 3 *c.* 19. *Casman. d l. par.* 2. *c.* 7. *Gerh. tom.* 2. *L. de Creat.* §. 79.

III. S. literæ obvelant modum, qvo Angeli suos conceptus Deo & alii

aliis Angelis vel etiam Hominibus eorumqve Animabus explicant. Nesciamus idcirco ea, qvæ Deus in hac miseriarum valle voluit esse occulta. Vide de Scholasticorum speculationibus *Thom. part. 1. summ. q. 107. Greg. de Valent. tom. 1. disp. 8. q. 4. p. 2. Bonav. in l. 2. sent. Dist. 10. art. 3 q. 1. 2.*

Qv. IV. *Quanta & qvalis Angelis bonis est tribuenda potentia s. virtus?*

THESES.

I. SCripturæ sacræ Filum si attendamus, Angeli boni præditi sunt potentia 1. *finita.* 2. *excellenti, & humanas vires superante* 3. *applicante salutaria, 4. removente noxia & 5. inferente damna.*

II. Singula puncta profitetur Codex Biblicus, qvi 1. Angelorum potentiam ad qvædam δυνατα se non extendere, fatetur *Rom. 8. v. 38.* qvia superiori potestati subjicitur *Ephes. 1. v. 21. 1. Pet. 3. v. 22.* & dicuntur Angeli virtutis Christi 2. *Thessal. 1. v. 7.* 2. Angelis bonis excellens attribuit robur *Ps. 103. v. 20. 2. Reg. 19. v. 35. Esa. 37. v 36. Dan. 6. v. 22. Actor. 5, v. 19. cap. 12. v. 7. seqq. Apocal. 20. v. 2.* 3. recenset Exempla, qvibus apparet; Bonos Angelos (1) applicasse salutaria 1. *Reg. 19. v. 6. Matth. 4. v. 11.* (2) removisse noxia, *Dan. 3. v. 25. Actor. 12. v. 7.* (3) intulisse damna 2 *Sam. 24. v. 16. 2. Reg. 19, 25. Actor. 12. v. 23.*

III. *D. Brochmand in art. de Angel. cap. 1. sect. 3.* Angelorum bonorum potentiam extendit 1. ad Corpora Elementaria *Genes. XIX. 13. 24. 25. Dan. III. 21. seqq. Apocal. VII. 12.* in Corpora humana *Exod. XII. 29. 2. Reg. XIX. 35. Ezech. VIII. 3. Act. VIII. 39. c. XII. 7.* 3. ad sensus Hominum externos *Genes. XIX. 11. 2. Reg. VI. 18.* & internos, *Matth. II. 13. 16.* 4. ad Angelos malos, qvos fugant *Tob. VIII. 3. 4.*

IV. Hæc de potentia Angelorum revelata nobis sunt: *An autem Angelus Angelum illuminare qveat? An Angelus Angelo imperet? An Angeli possint creando vel generando producere substantiam &c.* nostra non interest, ut sciamus, qvia in Bibliis de his nihil legimus. Vide autem si placet, *Thom. parte 1. sum. q. 106. 108. 109. Gregor. de Valent. tom. 1. disp. 8. q. 4. 5. & 6. Schiebl. lib. 2. Metaph. c. 4. num. 138. seqq. Alsted. lib. 6 Encyclop. part. 2. cap. 3. R. 13. part. 3. cap. 2. R. 9. Lombard. l. 2. dist. 7. lit. H. Zanch. parte 1. de oper. 6. Dier. l. 3. cap. 18. Casman. in Ἀγγελογ. par. 1. c. 6. par. 2. c. 5.*

CAP. III.

DE OFFICIO, ORDINIBUS AC DIGNITATE ANGELORUM BONORUM

NImia Patrum authoritas & Rationis humanæ Sagacitas, postqvam Fidei simplicitatem & verbi patefacti facem oppressit, Scholæ resonuerunt laboriosis disputationibus, de Angelorum *missione, Ordinibus, Confirmatione ac Veneratione*. Perspicue eruditi nos sacræ literæ, de Angelorum *officiis Ordine, confirmatione ac Beatitudine*. Sed qvæ est Ingenii humani curiositas, cæpit qværere: An *Angeli minores mittantur* â *superioribus*? *An Angeli mittantur ad inflammandum nostrum affectum*? *An mittantur ad illuminandum nostrum intellectum*? *An sit certa Hierarchia Angelorum*? *Utrum distincto Ordinum per Naturam sit, an potius per gratiam*? &c. Hæc & similia sine ullo salutis, fidei ac pietatis dispendio modesto silentio mansissent tecta, si maluissent homines dubitare de occultis, qvam litigare de incertis. Viæ hactenus pressæ ut insistamus, certa qvæ sunt, ex verbo patefacto eruemus, & qvæ Deus occulta esse voluit, sepeliemus, ne in his illicite curiosi, in illis damnabiliter inveniamur ingrati.

Qv. I. *An non certus nobis ostenditur Finis, ad qvem ordinati sunt boni Angeli?*

THESES.

S. Scriptura asserit, qvod Angeli boni ministrent Deo *Dan. 7. v. 10.* & Hominibus *Hebr. 1. v. ult.*

II. Officia distincta Bonis Angelis tribuuntur, qvibus Deo serviunt, Laudando *Ps. 103. 20. Ps. 148. 2. Esa. 6. v. 3.* adsistendo *Dan. 7. 10. Luc. 1. v. 19.* Legationes subeundo *Dan. 8. 9. 10. Luc. 1. v. 19. 26. &c.* promulgationi Legis ministrando *Actor. 7. v. 53. Galat. 3. v. 19. Hebr. 2. v. 2.*

III. Officia specialia Bonis Angelis assignantur qvibus serviunt Christo Θεανθρώπῳ, adorantes eum *Hebr. 1. v. 6. Apocal. 5. v. 11. 12.* subjicientes se illi ut excellentiori *Philipp. 2. v. 9, 10. Eph. 1. 22. 1. Petr. 3, 22.* servientes ipsi in Nativitate *Luc. 2, 9, 13.* in Tentatione *Matth. 4. v. 11.* in passione *Luc. 22. v. 43.* in resurrectione *Matth. 28. v. 2.* in Ascensione in cœlum *Dan. 7. v. 13, 14. Actor. 1. v. 11. Johann. 1. v. 52.* in Regimine Ecclesiastico *Apocal. 1. v. 1.* in prælio cum Dracone *Apocal. 12. v. 7.* & in reditu ad Extremum judicium *Matth. 25. 31. 2. Thess. 1. v. 7. Ep. Jud. v. 14.*

IV. Angeli Boni describuntur, ut Piorum 1. Pædagogi

Matth.

Matth. 28. *v.* 10. (2.) Doctores & Præceptores *Dan.* 7. *v.* 16. *cap.* 9. *v.* 21. *cap.* 10. *v.* 11, 12. *Luc.* 1. *v.* 26. *Matth.* 1. *v.* 20. *Luc.* 2. *v.* 8. *Act.* 10, 3. (3.) Assessæ in conventibus Ecclesiasticis 1. *Corinth.* 11. *v.* 10. (4.) consolatores *Esa.* 6. *v.* 6, 7. *Dan.* 10. *v.* 12. *Luc.* 1. *v.* 30. *c.* 2. *v.* 10. *Act.* 27. *v.* 23. (5.) Propugnatores in Republ. *Dan.* 10. *v.* 13. 2. Reg. 1. *v.* 3. (6.) Custodes *Ps.* 91. *v.* 11. *Judith.* 13. *v.* 20; *Ps.* 34. *v.* 9. (7.) Comites in viâ *Genes.* 32. 1, 2. *Tob.* 5. *v.* 10. (8.) Liberatores ex miseriâ *Genes.* 19. *Dan.* 6. *v.* 22 *cap.* 3, 28. 2. *Reg.* 6. *v.* 16. *cap.* 19. 35. *Actor.* 5. *v.* 17. *cap.* 12. 7. (9.) *Proxinetæ in conjugiali Vitâ Genes.* 24. *v.* 7. *Tob.* 7. *v.* 8. (10.) Vindices in impietate puniendâ *Genes.* 19. 2. *Sam.* 24. *v.* 16. 2. *Reg.* 19. 25. *&c.* (11.) Susceptores, quando anima â corpore separata *Luc.* 16, 22, & (12) Separatores â cohorte impiâ *Matth.* 24. *v.* 31. *Marc.* 13. *v.* 22. Vide *D. Sim. Pauli parte* 1. *Method. pag.* 399. *Chemnit. parte* 1. *Locor. p.* 136. *Calv. lib.* 1. *Instit. cap.* 14. *sect.* 6. *Hutter. in Loc. pag.* 206. *Gerhard. tom.* 2. *Loc.* 8. §. 67. 71. *Zanch. par.* 1. *de Op.* 6. *Dier. lib.* 3. *cap.* 14. *Casman in Apy. par* 2. *cap.* 7.

ANTITHESES.

I. Scholastici finxerunt, Deum in salvandis Hominibus, uti ministerio Angelorum, ut nostrum liberum arbitrium, quod pigrum & mutabile, quodam excitetur adjutorio. Vide *Biel.* 2. *sentent. dist.* 10. *q. un. art.* 1.

II. Quidam ex Scholasticis rationabile censent, non nisi Angelos inferiores mitti ad ministerium; Vid. *Lombard. lib.* 2. *sent. dist.* 10. *Bonav. in l.* 2. *sent. dist.* 10. *art.* 1. *q.* 2.

III. Quidam rudes & indocti credunt; Deum ex infirmitate sua, uti ministerio Angelorum, â quibus parum distant Judæi & Photiniani, quando scriptitant: Deum in Creatione Hominis, confusione lingvarum &c. Angelos advocasse in auxilium.

IV. *Thalmud Judæorum* singulis orbibus in cælo duplicem assignat motorem, nempe intelligentiam & animam informantem.

V. *Collegium Conimbric. Comm. in lib.* 2. *de Cælo cap.* 5. *q.* 5. Intelligentias ab Aristotele descriptas, bonos esse Angelos, dictitat.

VI. *Scaliger Exercit.* 359. *sect.* 8. asserit tria esse officia Intelligentiarum, scil. (1.) assistere (2.) mitti ad certa mysteria & ministeria (3.) movere orbes: Conferatur *Perer commentar. in Daniel. lib.* 8. *p.* 365. *lib.* 7 *Phys. cap.* 8. *Jacob. Mart. lib.* 2. *Exercit. Metaph.* 3. *Theor.* 1. *p.* 580. Thomas non dubitat asserere, Fidei sententiam esse, quod substantiæ separatæ sive Angeli moveant corpora cœlestia *Opusc.* 10, *art.* 3. *opusc.* 11. *art.* 2, & *de potent. q.* 6. *art.*

HYPOTHESES.

I. Præstat summam Dei φιλανθρωπίαν in ministerio Angelorum agnoscere qvam non revelata in sacris literis inqvirere.

II. Hypothesis illa falsa est, qvâ statuitur, nostrum liberum arbitrium in salutis nostræ negotio Deo Cooperari.

III. Deum ex infirmitate uti ministerio Angelorum, non potest probari: Distingvenda enim Instrumenta; qvibus utitur causa Principalis. Qvædam sunt necessaria ex *indigentiâ Efficientis*; qvædam adhibentur ex *libera voluntate causæ principalis*. Posterioris generis Instrumenta sunt Angeli qvorum ministerium, si Deum infirmum evincit, plane nullæ causæ Instrumentales, qvibus Deus pro bonâ suâ voluntate utitur, cum Omnipotentiâ Dei possent consistere.

IV. Si maxime qvædam Rationes Philosophorum probarent, esse qvasdam mentes vel intelligentias, qvæ Orbes cœlestes moverent, tamen hasipsas esse bonos Angelos, qvos agnovimus ex sacris literis, nondum esset evictum. Plato qvidem de Geniis & Aristoteles de Intelligentiis disseruit, sed Spiritum S. Magistrum, qvi nos de Angelis erudiit, neuter audivit. Confer. *Casmann. in Ἀγγελ. par. 2 cap. 7. q. 8.*

Qv. II. *Annon cuilibet Homini certus adsistit Angelus?*

THESES.

UNum præcise bonum Angelum ita assistere uni Homini, ut aliorum excludantur ministeria, non legitur in Bibliis: acqviescendum itaqve judicamus, si sciamus, certos nobis esse addictos Angelos, qvorum ministeria ergâ nos sunt conjuncta, licet ministerii qvædam opera interdum ab uno, interdum â Pluribus efficiantur.

II. Introducitur Angelus Persarum, Angelus Græcorum *Dan.* 10. v. 20 Angelus Petri *Actor.* 12. v. 15, &c. sed non excluduntur alii Angeli. Semper enim hujusmodi dictis conferenda verba *Apocal.* 12. v. 7. Michael & Angeli ejus præliabantur: item Angelis suis mandavit de te. *Psalm.* 91. v. 11.

III. *S.* Scripturæ Oracula diligenter collata, utrumqve credere jubent, & *unum* & *plures* piis Hominibus ministrare Angelos: Abraham promittit suo Servo Eliazaro *Angelum* Proxinetam in conciliandis filio Isaako Nuptiis *Genes.* 24. v. 7. Jacobo autem obviam fiunt Angeli DEI *Genes.* 31. v. 56. In *Psalm.* 34. v. 8. testatur Propheta Regius, qvod Deus immittat Angelum suum in circuitu timentium se: Verum *Ps.* 91. v. 11. multis Angelis custodiam piorum esse commissam, idem protestatur: Elisæum comitantur multi Angeli 2. *Reg.* 6. v. 16. Vivos juvenes

aute m

autem ê fornace Babylonica, Danielem â faucibus Leonis & Apostolos è carcere unus liberat Angelus *Dan.* 3, 28. c. 6. v. 22. *Actor.* 5. v. 17. Christus *Matth* 18. *v.* 10. disserit de puerorum Angelis, de Petro autem legitur qvod habeat suum Angelum *Actor.* 12. v. 7. Adversus Principem Persarum præliatur Gabriel. *Dan.* 10. *v.* 20. Contra Draconem insurgit Michael cum Angelis suis *Apocal.* 12. *v.* 7. Lazari anima deportatur ab Angelis *Luc.* 16. *v.* 22. Paulo autem adsistit Angelus Dei *Actor.* 27. v. 23. De Resurrectione Christi concionatur Angelus *Marc.* 16. v. 6. concionantur itidem duo Angeli *Luc.* 24. v. 4, 5.

IV. Ex his recte infertur, ministerium Angelorum, qvo ministrant piis, multis esse commissum, Ministerii autem opera interdum ab uno, interdum â multis dari expedita : Sic plures alimus nos in domibus nostris ministros & ancillas, qvibus omnibus officium ministrandi convenit, ad omnia autem opera domestica non semper omnes confluunt. Vide Casm. in Ἀγγελολογ. par. 2. cap. 7. q. 1, 2.

ANTITHESES.

Lombard lib. 2. sentent. dist. 11. §. 1. docet : Angelos bonos ita deputatos esse ad custodiam Hominum, ut qvisqve Electorum habeat Angelum ad sui protectum atqve custodiam specialiter delegatum. Hausta est hæc sententia ex Patrum opinionibus, qvas tenendas judicat. *Thom. part* 1. *q.* 113. *art.* 2. *Gregor. de Valent. tom.* 1. *disp.* 4. *q.* 1. *punct.* 3. *Zanch. par.* 1. *de Oper.* 6. *Dier. l.* 3. *c.* 15.

HYPOTHESES.

I. Distinguatur 1. inter Patrum *privatas opiniones* & *Scripturæ definitiones* 2. inter Angelorum *ministeria* & ministeriorum opera : *Hæc* interdum ab *uno* provenire concedimus : *Illa* manent conjuncta. 3. inter *operationem* & *denominationem* : *Hæc* interdum uni competit, cui ἐνέργεια tribuitur, vel qvia aliis diligentior fuit, vel qvia magis in ea se patefecit, qvam alii, vel etiam, qvia ratione Ordinis cæteris Angelis præfertur : *Illa* autem non statim illi soli tribuenda, qvi solus nominatur : Gedeon qvidem dicitur devicisse Midianitas, sed milites vicerunt una cum Gedeone : Magistratus nominatur Vindex scelerum, qvæ tamen puniuntur per ejus satellites & ministros. Vide *Gerh. d. l.* §. 72. *Calvin. lib.* 1. *Instit. cap.* 14. *sect.* 7.

II. Ab Angelorum custodiâ penitus & omni officiorum genere nunqvam deseri Homines, docet *Zanch. par.* 1. *de Oper.* 6. *dier. lib.* 3. *Cap.* 17. *Casman. in* Ἀγγελολογ. *par.* 2. *Cap.* 7. *q.* 6. Distingvit autem scriptura

pturâ inter *pios* & *impios*: *Hos* suâ custodiâ qvod dignentur *Angeli*, negat scriptura, cum de impiis tradit, qvod ab iis recedat omne præsidium, qvod iis prævalere qveat Dæmonium *Tob.* VI. 16. 17. qvod ventilabro dispergantur in portis terræ *Jerem.* XV. 7. qvod sint sicut paleæ ante ventum, & sicut qvisqviliæ, qvas turbo dispergit. *Job.* XXI. 18, qvod tentent Deum, cum non ambulant in viis suis, adeoqve Custodes Angelos sibi polliceri neqveant *Matth.* IV. 6. 7. Proinde sicut pii peccata mortalia committentes fidem & gratiosam Spiritûs S. inhabitationem excutiunt; ita etiam custodiam Angelicam, sive illa â multis sive ab uno Angelo proficiscatur, tamdiu â se avertunt, qvamdiu veram pœnitentiam non agunt.

Qv. III. *Qvæ est S. Scripturæ sententia de Numero & distinctis Ordinibus Bonorum Angelorum?*

THESES.

I. INgentem esse Bonorum Angelorum *Numerum*, fatetur Dei Spiritus Offerendo Angelorum castra *Genes.* XXXI. 56. Angelorum Exercitum 1. *Reg. XXII.* 19. millia millium & decies centena millium *Dan. VII.* 10. multitudinem militiæ cœlestis *Luc. II.* 13. legiones Angelorum *Matth.* 26. v. 53. freqventiam multorum millium Angelorum *Hebr.* XII. 22.

II. *Ordinem* inter bonos Angelos retegit S. Scriptura in dictis de Archangelo 1 *Thessal.* IV. 16. de principatibus potestatibus, thronis & dominationibus in cœlestibus *Ephes.* III. 10. *Coloss.* I. 16.

III. Certum Angelorum Numerum non determinat. S. Scriptura, idcirco Angelorum maximum numerum credimus, sed nobis incertum *Biel. l.* 2. *sent. dist.* 9. *q.* 1. *art.* 3. *dub.* 1. *Zanch. par.* 1. *de op.* 6. *Dier. lib.* 2. *cap.* 13.

IV. Intricatis Scholasticorum Disqvisitionibus de Angelorum Ordinibus *l.* 2. *sent. dist.* 9. præferimus Augustini sententiam, qvam ad *Oros. cont. priscill. tom.* 6. *col.* 134. his profert verbis: *Esse sedes sive dominationes, sive principatus & potestates in cœlestibus apparatibus, firmissime credo: Et differre inter se aliquid sed qvo me contemnas, qvem magnum esse Doctorem putas, qvænam ista sint, & qvid inter se differant? nescio: Nec eâ sane ignorantia periclitari me, puto.* Lege eundem in *Enchirid. ad Laurent. cap.* 29. placet hoc pronunciatum *D. Gerh. L. de Creat.* §. 52. *Hutt. in Loc. Theol. pag.* 203. *Zanch. p.* 1. *de op.* 6. *Dier. l.* 2. *Cap.* 14. *P. Mart. in L. C. class.* 1. *c.* 12 *pag.* 80. 81. *Forst. in Elench. Error. de Angel. th.* 134. *seqq.*

ANTI-

HYPOTHESES.

I. *Platonici* tot ſtatuerunt ſubſtantias ſeparatas, qvot ſunt rerum ſenſibilium Species, & tres Dæmonum effinxerunt Ordines; In *primo* collocarunt Deos, propter ſingularem participationem Divinitatis, qvi Deo ſemper adſtent, eumqve celebrent: In *ſecundo* exhibuerunt Orbium cæleſtium motores: *Tertio* Ordini inſeruerunt eos, â qvibus disponuntur ea, qvæ infra Lunam ſunt, uti refert *Zanch. d. l.*

II. *Ariſtoteles* non plures agnovit Intelligentias, qvam ſunt Orbes cæleſtes, & unicuiqve Orbi cæleſti movendo unum ſufficere Angelum opinatus eſt.

III. R. *Moyſes Ægyptius lib. 2. cap. 7.* multa Angelorum Genera introduxit; & tot conſtituit Angelos, qvot ſunt Virtutes rerum ſupra cæleſtium, cælorum, aſtrorum ac ſublunarium.

IV. *Thomas parte 1 ſum. q. 50. art. 3.* multitudine ſuperari omnes ſubſtantias materiales â ſubſtantiis immaterialibus, colligit, qvia Entia eo majora, qvo ſunt perfectiora.

V. Scholaſtici ita de Angelorum Ordinibus diſputant, ac ſi de cælo eſſent delapſi. Videatur *Dionyſ. lib. 1. Hierarch. cap. 6. ſeqq. Lomb. lib. 2. ſent. diſt. 9. Thom. part. 1. q. 50. art. 3. & 4. Gregor. de Val. tom. 1. diſp. 4. q. 1. puncto 3.*

HYPOTHESES.

I. Libros de Hierarchiis, â Dionyſio Areopagita eſſe conſcriptos, non poſſumus admittere: Nam 1. in iis nulla fit mentio Apoſtoli Pauli, â qvo qvod Dionyſius Areopagita fuerit ad Chriſtum converſus, extra litem eſt. 2. his in libris multa continentur, qvæ magis ſuperſtitioſa, qvam fructuoſa 3. Nullus ex cana antiqvitate probatus Author horum librorum facit mentionem. 4. Irenæus *lib. 2. adv. Hæreſ. cap. 55.* reprobat horum librorum argumentum, cum ita inſultat fanaticis: *Dicant nobis, qvæ ſit inviſibilium natura, enarrent numerum Angelorum, & ordinem Archangelorum, demonſtrent thronorum Sacramenta, doceant diverſitates dominationum, principatuum, poteſtatum atqve virtutum; ſed non habent dicere.* Confer *Rivetum in Specim. Crit-ſac. lib. 1. cap. 9. 10.*

II. Deus etſi cauſa eſt Infinita, non tamen ejus Effectus ſunt infiniti, qvia ad infinitatem Cauſæ ſufficit infinita potentia & infinitus modus agendi: Nihil autem efficit Deus, qvod infinitum, qvia hæc ejus gloria eſt, ut ſolus ſit infinitus.

III. Diſtinctionem inter *aſſiſtentes* & *miniſtrantes* Angelos, reprobat Epiſtola ad Hebr. *Cap. 1. v. 14.* qvi πάντας ἀγγέλους appellat πνεύματα λειτουργικά; Nec repugnantiam involvit, ſi dicuntur illi Angeli adſi-

ſtere Deo, qvi miniſtrant Deo, qvia & Chriſtus utrumqve conjungit *Matth. XVIII.* 10. & Angeli qvi Deo aſſiſtunt, non recedunt â Deo, qvando piis miniſtrant, cum Deus omnibus in locis ſit præſens.

IV. Cum plura reperiantur Bonorum Angelorum Nomina officioſa, qvam novem, ſiqvidem & Raphaelis Gabrielis etiam militantium Ordo poſſit conſtitui, infirma eſt illa illatio: *Tot ſunt Angelorum Ordines, qvot ſunt illorum Nomina officioſa*: An propria ſint Angelorum nomina, incertum eſt. Vide ſis *Zanch. part.* 1. *de Op.* 6. *Die lib.* 3. *cap.* 1. *P. Martyr. in L. C. claſſ.* 1. *cap.* 12. *p.* 74.

Qv. IV. *An non Boni Angeli ita ſunt Confirmati in ſua ſanctitate, ut labi & peccare amplius neqveant?*

THESES.

I. COnfirmatam eſſe Bonorum Angelorum ſanctitatem, ut amplius non peccent, ſcriptura *S.* innuit, de modo autem Confirmationis nihil certi eſt revelatum: Continemus itaqve nos hac ſcientia, qvâ novimus, Angelos bonos non peccare; *An autem nulla, vel aliqva ſit δύναμις ad peccandum? An Confirmatio ſit præmium antecedens* vel *ſubſeqvens obedientiam?* haud putamus revelatum.

II. Legimus in Bibliis de voluntate Dei, qvæ ſit in cælis *Matth. 6. v.* 10. de facie Dei, qvam ſemper intuentur Angeli *Matth.* 18. v. 10. de Angelorum freqventia in cæleſti Hieruſalem *Hebr.* 12. *v.* 22. de qva legitur, qvod non intret in eam aliqvid coinqvinatum, aut abominationem faciens, & mendacium *Apocal.* 21. v. 27. Proinde dum vivunt Angeli boni in regno gloriæ & ſtatu Spirituum juſtorum perfectorum, â peccati labe qvod ſint immunes, nemo poteſt dubitare.

III. Deficit Revelatio de his Scholaſticorum effatis (1) *Angeli meruerunt ſuam in bono confirmationem.* Scot. 2. ſent. diſt. 5. q. 2. Thom. part. 1. q. 64. art. 4. (2.) *præmium in Angelis præceſſit meritum* Lomb. lib. 2. ſent. diſt. 5. (3.) *Actus beatificus in Angelis formaliter repugnat omni actui peccati* Thom. part. 1. ſum. q. 62. art. 7. 8. (4.) *Via bonorum Angelorum ante terminum beatitudinis ex una tantum duratione unius operationis meritoriæ conſtitit.* Greg. de Val. tom. 1. diſp. 4 q. 15. p. 2. (5.) *Angeli poſſunt proficere in merito vel præmio* Lomb. lib. 2. ſent. diſt. 11. lit. D. Taceamus de his omnibus, donec Angelorum Choris inferamur, qvia utcunqve ſuas ſpeculationes intenderunt Scholaſtici, nihil tamen certi de his omnibus invenerunt. Conter *Gerh. d. l.* § 64. *Caſman. in Angel. par.* 2. *cap.* 2.

ANTITHESES.

I. *Origenes Homil.* 3. *in Lucam* prodit; Angelos aliqvando peccare

neg

negligenter ea exeqvendo, qvæ illorum curæ divinitus committuntur.

II. *Thalmudistæ* fabulantur de Angelo Gabriele, qvasi fuisset flagello igneo â Deo flagellatus, cum grave aliqvod flagitium commiserat. *Orá. 2. tract. 5 dist. 8.*

III. Scholasticorum Curiositatem approbant *Gregor. de Valent. d. l. Tannerus, Vasqvetz & multi ex Pontificiis.*

IV. *Jacob. Arminius in Declar. sent. art. 20. pag. 278. seqq.* infirmare annititur argumenta th. 2. allata, sed irrito conatu, uti ostendit D. *Brochm. art. de Ang. cap. 2. q. 7.*

HYPOTHESES.

I. *Job. 4. v. 18.* Eliphatz Themanites justitiam Creatoris confert cum justitia Creaturarum, qvæ in comparatione cum Deo semper sunt impuritate qvadam infectæ. Insuper in genere loqvitur de Angelis, non tantum de bonis; de qvibus nostra est Disputatio.

II. Liberum arbitrium in bonis Angelis non est mutatum qvoad *Naturam*, sed qvoad *statum*, qvo per advenientem gratiam ita est perfectum ut non possit deficere vel peccare, licet semper in bono possit agere & non agere *Bonav. l. 2. sent. Dist. 7. art. 2. q. 1.*

QV. V. *Qvia in cæsti gloria versantur Boni Angeli; An non religiose adorandi, vel ut pro nobis intercedant, compellandi?*

THESES

I. DE duplici reverentia bonis Angelis exhibenda agit hæc qvæstio; sc. de *religiosa adoratione*, & *officiosa compellatione*, ut pro nobis intercedant: Utraqve in nostris Ecclesiis Bonis Angelis denegatur.

II. *Prima* Reverentia adversatur scripturæ dictis, qvibus soli Deo religiosa Adoratio vendicatur *Matth. 4. 10. Rom. 10. v. 13.* & ab Angelis recusatur *Apocal. 19. v. 10. cap. 22, 9.* qvia nec Omniscii *Matth. 24, 36.* nec ad dextram Dei evecti. *Hebr. 1. v. 13.* Proinde nec per *Naturam*, nec per *Exaltationis gratiam* cultus religiosæ Adorationis illis competit.

III. Detrita Papicolarum distinctio inter λατρείαν & δουλείαν in sacris literis agnoscitur nulla: Confer loca *Matth. 6. v. 24. Luc. 16. v. 13. Rom. 1. v. 9. cap. 16. v. 18. Actor. 20. v. 19. Rom. 14. v. 18. Galat. 4. v. 9. Colos. 3. v. 24. 1. Thess. 1. v. 9.*

IV. *Secundam* Reverentiam qvum Angelis non exhibemus, permovemur defectu 1. *mandati* 2. *Exempli*, qvo doceatur, compellandos esse Angelos nobis assistentes, ut intercedant pro nobis vel aliis.

V. Ut nostros conservos & commilitones in Ecclesia militante, officiose ad intercedendum invitemus, S. Scripturæ & dicta & Exempla edocent : Angelos autem qvi non minus Ecclesiæ triumphanti atqve militanti adsunt, ut ad Intercessionem pro nobis, sollicitemus, nullo mandato obstringimur, nullo Exemplo tot Sanctorum, in Bibliis occurrentium incitamur. Gerhard. *tom. 8. de Morte §.* 106.

ANTITHESES.

I. *Romanenses & Pontificii* non solum in Litaniis suis *Angelos* tanqvam interc. flores invocant; sed etiam apertis verbis docent, Sanctos sive Angelos sive Homines pie & utiliter invocari *Bellarm. lib. 1. de Beat. Sanct. cap.* 19.

II. Qvidam ex Patribus, ut *Origen. Homil. 1. in Ezechiel. tom. 1. fol. 698. Bernhard. serm. de tripl. custod.* invocant *Angelos*.

III. *Radulphus*, *Monachus Fuldensis*, qvi floruit Circa A. C. 950 docuit; *Angelos* fuisse passos se adorari â Patribus, donec Christus opus redemptionis implevit *Cent. 10. Magdeb. cap. 5. col. 271.* Hæc opinio placet Socinianis *Smaltz. in Exam. 100. Error. p. 48. & in Rfut. l. 1. de Error. Arrian. p.* 142.

IV. Qvidam Fanatici sibi licitum opinantur, ut sesè convertant ad suos *Angelos* eosqve compellent, qvo pro se apud *Deum* & Christum intercedant.

HYPOTHESES.

I. Jacobus Patriarcha *Genes. 48. v. 16.* increatum adorat Angelum, qvi *se liberavit ab omnibus malis* & potens est, *fœcundum efficere Conjugium.*

II. *Job. 5. v. 1.* habetur vox קְרָא qvæ significat *vocare*, *recensere* &c. ut sensus sit: Recense Exempla sanctorum, vel â sanctis qvære, num fuerint absqve tentatione & calamitatibus.

III. *Job. 33. v. 23.* juxta nonnullos de *officio ministrorum verbi*, non de *Patrocinio sanctorum Angelorum* agitur. Mallem intelligere ipsum Messiam.

IV. Non admittimus hanc Conseq. Angeli pro nobis orant, generaliter nimirum, juxta *A. C. & Art. Smalcald.* E. compellandi â nobis; ut faciant, qvod faciunt; Est enim hæc compellatio pars cultus & Religionis, qvæ non est commensuranda nostræ Rationi ejusqve discursibus, sed Verbum Dei deposcere debet, ut tranqvilla & certa sit Conscientia, preces placere Deo, qvibus Angelicam intercessionem efflagitamus.

V Septem Spiritus *Apoc. 1. v. 4.* Ab ipso Johanne explicantur, qvod sint septem lampades Ignis *Cap. 4. v. 5.* & septem oculi in Agno *cap.*

5. v.

5. v. 6. Non autem Creati Angeli possunt esse lampades lucentes ante thronum Dei, cum ipsi potius illuminentur â throno Dei: nec possunt esse oculi Agni, missi in omnem terram: Respicit ergo Johannes ad *perfectissima dona Spiritus S.* quæ fuerunt in Christo, & ad vaticinia in V. T. *Esa.* 11. v. 3. *Zachar.* 4. v. 10.

VI. Angelus, cui dantur incensa Orationum *Apocal.* VIII. 3. 4. increatus est, & ipse Christus, qvia distingvitur â septem creatis Angelis coram Deo stantibus, qvorum fit mentio v. 2. Sacerdotale munus ulli creato Angelo esse commissum, nullibi S. Scriptura affirmat, Christum autem nostris precibus coram throno Dei authoritatem conciliare, ipsemet affirmat, cum in nomine suo petentibus *Exauditionem* promittat *Johann* XIV. 13. *cap.* XV. 7. *cap.* XVI. 23. & Apostolus eum commendat ut summum Sacerdotem coram throno gratiæ *Hebr.* IV. 15. 16. qui intercedit pro nobis *Hebr.* VII. 25. & apparet coram facie DEI pro nobis *Hebr.* IX. 24. Hic est ille Angelus, qvi offert preces Sanctorum in aureo altare ante thronum Dei h. e. suo merito *Hebr. XIII.* 10. 12. 15. & implet thuribulum Igne altaris, h. e. mittit Spiritum gratiæ & precum in nomine suo, ut existant tonitrua, voces, fulgura, ac terræ motus h. e. efficaces Conciones legis ac Evangelii in omnibus linguis, qvibus corda compunguntur. *Zachar.* XII. 10. *Act. II.* 37. 38.

CONTROVERSIA II.

DE MALIS ANGELIS

DE his, qvæ Scriptura patefecit, tendunt ad prælium, qvo Sathanæ insultibus resistendum. Hoc â plerisqve negligitur & alacritate summa moventur Certamina de Angelis malis qvorum non tam perfecta Cognitio, qvam strenua oppugnatio Fidei salvificæ ac sinceræ pietati lucrum affert & subsidium. Proinde nullo dignamur studio scepticas Philosophorum disputationes de Cacodæmonibus & maliis geniis, qvia evidentiora & solidiora invenimus in sacris literis, de malis Angelis, qvæ Ethnicorum tenebras explodunt. Scholastica Curiositas suo loco declinabitur, & occupata erit opera in vestiganda malorum Angelorum 1. *Origine ac Naturâ* 2. *Scientia ac Voluntate* 3. *potentia ac operatione* 4. *Multitudine, Differentia ac Fœdere*

CAP. I.

DE MALORUM ANGELORUM ORIGINE AC NATURA.

VEritatem S. Scripturæ nisi elevare velimus, cogimur confiteri, esse qvosdam Angelos malos, immundos, *Dei* piorumqve Hominum intensissimos Adversarios. Opponit enim S. Scriptura Angelum Domini & Sathan *Zachar. III.* 2. 6. Angelos Christo servientes & Sathanam qvi Christum tentavit *Matth. IV.* 3. 5. 10. 11. Angelos Christi & Angelos Diaboli *Matth.* XXIV 31. c. XXV. 41. Angelum lucis & Sathanam. 2. *Corinth.* XI. 13. Angelos Michaelis, & Angelos Draconis *Apocal.* XII. 7. Insuper appellationes qvorundam Angelorum malitiam & pravitatem eorum retegunt: Vocantur enim Sathan *Job. I.* 6. 9. 12 *Zach. III.* 1. *Apoc. XX.* 2. Diaboli *Apoc. XII.* 9. Dæmones 1. *Corinth. X.* 20. Angeli mali *Ps. LXXVIII.* 19. Angeli peccantes 2. *Pet. II.* 4. Spiritus immundi *Luc. XI.* 24. *&c.* Vide *Zanch. par.* 1. *de op.* 6. *dier. lib.* 4. *cap.* 1. Si addas his ea testimonia de Diabolorum Essentiâ, Scientiâ, operatione &c. qvæ inferius annotanda, nuncium mittes iis Platonicis, qvi omnes *Dæmones* judicarunt bonos, & confutati sunt ab aliis Platonicis discrimen bonorum ac malorum Dæmonum agnoscentibus. Vide *Casman. in Ἀγγελογ. par.* 2. *Cap.* 9. Unde orta sit malitia Angelorum, sola ex revelatione didicimus, â qvâ resilierunt *Magistri* subtilitatum Ingenii acumen exercentes in qvæstionibus de 1. possibilitate lapsus Angelorum 2. Dei potentiâ, an possit intellectualem producere Creaturam, qvæ non possit peccare 3. Objectis, circâ qvæ Angeli possint peccare 4. Naturali inclinatione, qvâ Angeli peccarunt 5. præceptis, adversus qvæ Angeli possint peccare. 6. primo peccato *Diaboli* 7. de Tempore, qvo peccarunt Angeli 8. numero Angelorum, qvi peccarunt 9. Uno Angelo, qvi alios sit exhortatus ad peccandum. 10. de Causis, ob qvas *Deus* non misertus lapsis Angelis, ut misertus est lapso Humano generi. &c. Hæ qvæstiones & similes partim otiosæ, partim Curiosæ; Qvid juvat, inqvirere; An Angeli potuerint peccare? cum constet, qvod peccarint. Ipsi Scholastici omnia dubia non discutiunt, qvæ de qvæstionibus occurrunt. Vide *Bonavent. l.* 2. *sentent. dist.* 3. *art.* 3. *q.* 2. *& dist.* 5. *Thom. par.* 1. *sum. q.* 63. *seqq. Greg. de Valent. Tom. I. Disp.* 4. *q.* 14. *Zanch. par.* 1. *de op.* 6. *Dier. l.* 4. *Cap.* 2. Ad nauseam usqve si rixemur de his qvæstionibus in praxi pietatis nec nos nec alios ædificamus: Idcirco illis eas mittimus, qvi malunt sui Ingenii spectris qvam Verbi divini adhærere

rere paſcuis, & animi cogitata deflectimus ad I. *Originem malitiæ in Angelis, â Spiritus. patefactam II. Veritatem ſubſtantiæ in malis Angelis III. Spiritualem ac incorpoream eorum Naturam IV. Obſtinatam eorum malitiam.*

Qv. I. *Annon libere quidam Angeli lapſi ſunt, & â concreatâ Integritate defecerunt.*

THESES.

I. SAlvator noſter uti expreſſe de Diabolo aſſerit, qvod non ſteterit Ἐν ἀληθείᾳ *Johann VIII. 44.* ita Johannes addit, qvod ab initio peccarit 1. *Johann. III. 8.* Petrus plures nominat, qvi peccarunt 2. *Ep. II. 4* & Judas in ſuâ *Ep. v. 6.* teſtatur, periiſſe ἀγγέλους τοὺς μὴ τηρήσαντας τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, ἀλλὰ ἀπολιπόντας τὸ ἴδιον οἰκητήριον.

II. Anteqvam igitur lapſi ſunt Angeli, fuerunt in Veritate, habuerunt principatum & proprium domicilium. Peccarunt autem 1. *non ſtando, vel non perſeverando in concreatâ juſtitia, ſanctitate ac Integritate.* 2. *non ſervando Originariam eminentiam inter creaturas ac habitationem in cœleſti glôriâ.*

III. Qvod Angeli libere peccarint, ex defectu cauſæ, qvâ Coacti, apparet: Non ſunt â Deo creati, ut proni ad malum, uti patet ex dictis; non deſtinati abſoluto qvodam Decreto Dei ad lapſum, qvia hoc SS. ignorat, nec qvicqvam in Bibliis patefactum, qvo ad lapſum incitati. Principium itaqve lapſus eſt proprium eorum liberum Arbitrium.

ANTITHESES.

I. *Manichæi & Priſcillianiſtæ* dictitarunt; Diabolum non eſſe bonum â Deo creatum, ſed ex tenebris emerſiſſe, adeoqve eſſe principium atqve ſubſtantiam mali, teſte *Concil. Bracar. 1. can. 7. Tom. 2. Concil. f. 747*

II. Zwinglius *lib. de Provid. cap. 5. tom. 1. oper. fol. m. 364.* non exhorreſcit ſcribere, ambitioſum Sathanæ animum Dei fuiſſe impulſorem & inſtrumentum, qvo operatus fuit, qvando Angelum transgreſſorem fecit.

III. *Zanch. par. 1. de Oper. 6. Dier. lib. 3. Cap. 2.* ſtatuit; Qvosdam Angelos ſteriſſe, qvia illis communicata gratia ex DEI beneplacito, qvo electi, & alios cecidiſſe, qvia illis ſubtracta gratia perſeverans ex abſoluto Decreto, qvo reprobati.

HYPOTHESES.

I. In Dicto *Hiob.* 40. v. 14. vel agitur de omnibus animalibus terreſtribus, qvorum Creatorem eſſe Deum, oppido conſtat, vel ſub horum Imagine & figurâ concionatur Dominus de Diabolo, cujus licet Deus

sit Creator qvoad substantiam, non tamen statim seqvitur, qvod ejus creaverit vel excitarit malitiam.

II. In Ps. 104. v. 26. non est sermo de Diabolo, sed de Balæna, Piscē marino, qvia Psaltes in eo totus est, ut ex Creaturis demonstret majestatem Creaturis; Et si vel maxime sub specie hujus Animalis describeretur Sathan, Draco infernalis, nihil tamen amplius seqveretur, qvam Sathanam esse Creaturam DEI, qvod jam ante largiti sumus: Mutabilem autem creare voluit DEUS Sathanam qvia Sapientia ejus vasit, distingvendam esse voluntatem creatam ab increata, qvæ simpliciter immutabilis.

III. In verbis Christi *Johann.* 8. v. 44. particulam ὅτι non necesse est ut accipiamus tanqvam αἰτιολογικὴν; qvasi ideo non stetisset in veritate, qvia nullam possedit veritatem: Sæpissime enim hæc particula saltem est συλλογιστικὴ colligens Antecedens ex conseqventi effectu; Et tali in sensu ut hoc loco hæc particula accipiatur, cogit textus συνέπεια, qvæ evincit, adfuisse veritatem in Diabolo, ê qva cecidit: Qvod enim qvis non habet, in eo qvod non steterit, dici non potest.

IV. Zwinglii Ratio frustra speculatur, de justitiæ divinæ ignorantia, qvæ futura fuisset, si nulla advenisset injustitia: Nulla enim ratio connexionis in hoc discursu obvia. Nos non intelligimus, qvomodo Angeli & homines agnovissent Dei justitiam nisi injustitiæ Exemplum in Creaturis fuisset datum, E. nulla alia via etiam Deo fuit nota, qvâ ad agnitionem suæ justitiæ homines & Angelos potuit perducere.

V. Probandum erit 1. talem justitiæ declarationem qvalis hodie est, simpliciter ante lapsum Angelorum & Hominum fuisse necessariam. 2. Justitiam non nisi per Injustitiam Creaturarum potuisse declarari; 3. Injustitiam non potuisse existere in Angelis, nisi authore & impulsore Deo. 4. Deum absolute qvosdam Angelos elegisse qvosdam absolute reprobasse: Etsi enim Deus ad merita Angelorum non respexerit, qvando qvosdam elegit, tamen Conservationem concessæ gratiæ ac Perfectionis, qvod attenderit non dubitandum.

Qv. II. *Num mali Angeli existunt ut malæ qualitates & pravi motus?*

THESES.

I. ANgelos malos esse substantias s. ὑποστάσεις profitemur ac diserte negamus, eos esse saltem concupiscentias carnis &, pravas cogitationes.

II. No-

Disp. XIV Resp. JOACH. ANDR. BERGMANN. Parchimens. Mecklenburg.

II. Nomina, qvibus insigniuntur mali Spiritus, sunt Personalia. Nam accidentibus non convenit Nomen (1) Diaboli s. calumniatores Ps. 109. v. 6. Habac. 3, 5. Matth. 4. v. 1. seqq. cap. 13, 39. Luc. 4, 2. seqq. c. 8. v. 12. Joh. 8, 44. cap. 13. v. 39. Act. 10, 38. Eph. 6, 11. 1. Timoth. 3, 6, 7. 2. Tim. 2, 26. Jacob. 4, 7. 1. Pet. 5. v. 8. 1. Joh. 3. v. 8. Apocal. 2, 10 c. 12, 9, 12. cap. 20. v. 2, 20. (2) Sathanæ 1. Paral. 21. v. 1. Job. 1 v. 6. seqq. cap. 2. 6 seqq. Zachar. 3. v. 1. 2. Matth. 12, 26. Marc. 1. v. 13. c. 3, 23. 26. cap. 4, 15. Luc. 10, 18. cap. 11. v. 18. cap 13, 16. c. 22. v. 3, 31. Joan. 13. 27. Actor. 5. v. 3. cap. 26, 18. Rom. 16, 20. 1. Cor. 5, 5. c. 7, 5. 2. Cor. 2. v. 11. cap. 11, 14. cap. 12, 7. 1. Thess. 2, 18. 2. Thes. 2, 9. 1. Tim. 1, 20. cap. 5, 15. Apoc. 2. v. 9, 13, 24. cap. 3, 9. c. 12. 9. cap. 20. 2, 7. (3) Dæmonis & Dæmonii Matth. 8. v. 30. c. 9, 34. c. 10, 8. Jac. 2, 19. Levit. 17, 7. Deut. 32, 17. c. 7, 22, c. 9, 32. seqq. cap. 12, 15. cap. 15, 22. Joh. 8, 28. seqq. 1. Cor. 10, 20. seqq. 1. Timoth. 4, 1. Apocal. 16. v. 14. &c. (4) Serpentis & Draconis Esa. 27, 1. Luc. 10. 19. 2. Cor. 11. v. 3. Apoc. 12. v. 9. cap. 20, 2. Ps. 91, 13. Apocal. 12, 3. seqq. cap. 20, 2. (5) Beelzebub i. Principis muscarum 2. Reg. 1, v. 2. seq. Matth. 12, 24. 27. Marc. 3, 22. Luc. 11. v. 15. 18, 19. (6.) Asmo Dei Tob. 3. v. 8. (7) Legionum Marc. 5. v. 9. (8) Principis hujus seculi & Aeris Joan. 14. v. 30. Ephes. 2. v. 2. cap. 6, 12. (9) Dei hujus seculi 2. Cor. 4. v. 4. (10) Principis Persarum Dan. 10, 13, 20. (11) Abaddon & Apollyonis Apocal. 9, 11.

III. Hæc Nomina qvia (1.) *Concreta*, qvæ notant substantiam & formam substantiæ inhærentem (2) *propria*, singularibus substantiis congruentia, & (3) de *substantiis per se agentibus* enunciata, Angelos malos non esse mera accidentia, vel pravos saltem motus, solide evincunt.

IV. Non valet contra hoc argumentum Exceptio, de Peccato, qvod licet sæpe substantialibus & concretis vocibus describitur: tamen Accidens est. Nam 1. peccatum qvibusdam in Scripturæ locis ut Accidens describitur, & ab analogia fidei non admittitur in classem substantiarum. 2. Pleraqve Nomina Diabolorum designant substantiam intelligentem per se subsistentem, si dicta citata aliqvanto diligentius excutiantur: Peccatum autem ut substantiæ intelligenti inhærens morbus ab ipsa substantia distinguitur, uti suo loco docetur.

V. Nuda Accidentia non appellantur Spiritus mali *Jud. 9. v. 23. 1. Sam. 16. v. 14. 15, 23. c. 19, 9. Luc. 7. 21. 8. 2. c. 11. 26. Act. 19. 12. 13.* Spiritus mendaces *1. Reg. 22. 22, 23.* Spiritus immundi *Matth. 10, 1. c. 12, 43. Marc. 1, 23, 26, 27. cap. 3, 30. c. 5, 2, 8, 13. c. 6.*

7. *cap.* 7, 15. *Luc.* 4, 36. *cap.* 6, 18. *cap.* 8, 29. *c.* 9, 42. *c.* 11, 24. &c. Spiritus Pythones *Act.* 16, 16. Spiritus errorum 1. *Timoth.* 4, 11. Angeli mali *Pſ.* 78, 49. Angeli crudeles *Prov.* 27. v. 11. Angeli Diaboli *Matth.* 25, 4. Angeli Sathanæ 2. *Cor.* 12, 7. Angeli Reges Abyſſi *Apocal.* 9, 11. Patres mendacii *Joban.* 8. v. 44. Venatores *Pſ.* 91, 3. Adverſarii & Leones rugientes 1 *Pet.* 5, 8. Hujusmodi Epitheta non poſſent prædicari de malis Angelis, ſi hi eſſent pravæ ſaltem qvalitates qvia duo connotantur in allatis titulis, ſcil. *ſubjectum*, & *prava qualitas*, ſubjecto inhærens.

VI. Apparuerunt Diaboli ut Formæ aſſiſtentes aliorum corporum: Sic in Paradyſo apparuit ut Serpens, in Corpore ſerpentis *Geneſ.* 3. 2. *Corinth.* 11, 3. *Apoc.* 12. 9. *cap.* 20, 2. Sauli apparuit in forma Prophetæ Samuelis 1. *Sam.* 28, 14. Ethnicis apparuit in forma שעירים ſ. Hirci Piloſi *Levit.* 18. v. 7. *Num.* 32, 17. 2. *Paral.* 11, 15.

VII. Huc pertinent varia Exempla obſeſſorum, de qvibus Hiſtoria Evangel. & Actus Apoſtolorum hinc inde relationes memorabiles exhibent: N. autem pravi motus, qvi ſolæ qvalitates, ſubſtantiis aſſiſtunt nec uniuntur corporibus, nec ejiciuntur ex illis, ut poſt ejectionem ſine his ſubſiſtant, uti de malis Angelis legitur. E.

VIII. Qvia carnales Homines vocantur Filii Diaboli 1. *Reg.* 11, 13. *Actor.* 13. v. 10. *Joban.* 8. v. 44. 1. *Joban* 3, 40. ita Inferimus: *Eſſentia Diaboli eſt incommunicabilis eſſentiæ humanæ*, qvia Diabolus nunqvam fit Homo. *At pravi motus non ſunt incommunicabiles humanæ eſſentiæ*, qvia propter horum communicationem, Impii dicuntur Filii Diaboli E. *impiorum eſt adjunctum.* Confer *D. Bald. lib 3. de Caſib. Conſc. cap. 2. caſ. 1.*

ANTITHESES.

Sadducæi *Actor.* 23. v. 8. & qvidam Fanatici Theſin, qvæ noſtræ contradicit, tuentur atqve propugnant: Qvia autem ſolidis deſtituuntur argumentis, ἀλόγως onus à noſtris humeris devolutum... credimus.

Qv. III. *Sunine Diaboli Spiritus completi ſimplices & incorporei?*

THESES.

I. QVamvis Spiritus S. in revelanda natura Dæmonum brevitati ſtudeat; tamen ea, qvæ de hac Natura revelata ſunt, non obſcure indicant, ad præſentem qvæſtionem Theſi Affirmativa eſſe. reſpondendum.

II. In Bibliis Angeli mali ſubſtantiis corporeis opponuntur, qvia nobis

nobis non est ἡ πάλη πρὸς αἷμα καὶ σάρκα sed πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας *Ephes.6.v.12.* Ita igitur argumentamur: *Pugnantes cum substantia corporea intelligente, pugnant cum carne, & sanguine vel alio corpore. At Christiani pugnantes cum Diabolo, non pugnant cum carne, sanguine vel alio corpore. E. Christiani pugnantes cum Diabolo, non pugnant cum substantia corporea intelligente.*

III. Diabolus unitur cum corporibus non συσταπικῶς, sed παρυφαπικῶς, non ἀναγκαίως & inseparabiliter sed ἐνδεχομένως & separabiliter. Dæmones enim exeunt ex Hominibus obsessis in porcos *Matth. 8. v.31.* ambulant loca arida & assumptis 7. aliis Spiritibus intrant in domum, è qva fuerunt ejecti. *Matth.12,v.43.44. Luc.11,24. seqq.* intrant in unum hominem, magno numero, ita ut Legio obsideat Dæmoniacum *Luc. 8. v.30.* & Magdal. â 7. Dæmonibus fuit liberata *Marc.16.v.9.* E qvibus omnibus patet, Diabolos existere extra corpora, assistere corporibus non ad *informationem*, sed *operationem*, & esse Spirituales substantias completas, qvales utcunqve multiplicati, in uno corpore habitant, atqve ex eo egrediuntur.

IV. Arma qvibus Diabolo resistendum, non sunt corporea *Hiob. 41. v.17. seqq.* sed incorporea & Spiritualia *Ephes.6.v.13. seqq. Corporea autem substantia corporalibus etiam armis potest superari. At Diabolus corporeis armis non potest superari* E.

V. Diabolus Animæ Hominis Rationali vim infert, qvatenus eam excæcat *2.Cor.4.v.4.* & corrumpit, ut excidant â simplicitate, qvæ est in Christo Jesu *2. Corinth.11.v.3.* qvatenus etiam aufert â corde verbum *Luc.8.v. 8.* inspirat pravas cogitationes *Johann.13. v.2.* tentat corda *Act.5.v. 3.* gignit errores *1.Timoth.4.v.2.* & seducit gentes *Apocal.20.v.3,8.* Corporeæ autem substantiæ qvia non possunt agere in Intellectum & voluntatem Hominis, Diabolo corporea substantia nullatenus tribuenda ANTITHESIN exosculatus est olim Eugubinus lib.8. de perenni Philos. c.27. 41. & Niphus lib.3. de Dæmonib. cap. 3. qvi nescio. qvæ corpora Diabolis attribuunt.

HYPOTHESES.

I. Diabolos ab Igne torqvendos, concedimus, sed *infernali*, non *Elementari*; Nam Ignis Diabolo & damnatis præparatus describitur ut æternus *Matth.25.v. 41.* torqvens Animas *Luc.16.v.24.* qvi non extinguetur *Esa.66. v.24. Matth.3.v.12.* & cujus fumus ascendet in sæcula sæculorum

Apocal. 14. v. 11. qvæ omnia de Elementari, qvi in fine mundi una cum aliis Elementis tabescet 2. *Pet.* 3. 12. dici non possunt. Nulla ergo consequentia est in hac illatione: *Diaboli torquendi sunt Igne infernali, qvi qvalis sit, exacte non constat. E. sunt corporei.*

II. Sagarum eflatis de Congressu Venereo cum Diabolo & aliis Corporum Idiomatibus, non subest indubia Veritas. Diabolos etiam in assumptis corporibus multa agere, pati & loqvi, nemo negat. Sicuti autem boni *Angeli* non ideo corporei, qvia in assumptis Corporibus corporum edunt actiones: ita nec mali.

III. Odoribus oblectare se Dæmones, Idololatræ inter Gentes, opinati sunt, præstigiis Sathanæ illusi ac fascinati. Non autem qværitur; qvid Homines opinentur, & qvid Sathan simulet, sed qvid agat & revera sentiat?

IV. Corpora, qvæ assumunt Dæmones, non sunt unius generis: Qvædam enim ab ipsis *Diabolis effinguntur*, qvædam ex *Hominum Cadaveribus assumuntur*: *Illa* ex aere vel aliis Elementis pro mirâ suâ sagacitate Diaboli extruunt: *Hæc* animabus separata â Dæmonibus moventur & deinceps deponuntur. Verisimile est, Sathanam tale Corpus assumere non posse, qvale in omnibus sit simile Corpori viventi Animæ unito; Unde *Cajetanus* putavit, Corpora Dæmonum assumpta in duobus deficere ab humanis Corporibus 1. *temperamento Carnis* 2. *Delectatione tactus & concubitus*. Freqventer etiam fascinari nostros exteriores sensus â Dæmonibus, Historiæ & *Experientia* testantur, cum Corporum φαντασματα & apparentes species haud raro exhibuerint.

V. De *Incubis*, hoc est Diabolis, qvi assumtis in Corporibus, cum feminis coëunt, vel *Succubis*, qvi assumptis feminarum corporibus cum Viris rem habent, variæ sunt opiniones: Qvidam credunt, meris præstigiis & Imaginationibus tum Fœminas qvam Viros eludi; Alii putant veram fieri commixtionem, sed fœtum gigni non ex semine Diaboli, qvod nullum habet, neqve ex semine corporis assumti qvod inanimatum, sed ex semine Viri furtim ablato & in uterum mulieb rem transfuso. Vide *Perer. l.* 8. *in Genes. p.* 27, 63. *Zanch. par.* 1. *de op.* 6. *Dier. l.* 4. *c.* 16 *Casmann. in* Ἀγγελοχ. *par.* 2. *Cap.* 21. *pag.* 577. 597. *Zanch. par.* 1. *de op.* 6. *Dur. l.* 4. *cap.* 16. Qvicqvid sit, in Confesso est omnium 1 Diabolos non Commiscere hominibus, in propriis Corporibus. 2. Diabolos non emittere semen humanum, 3. nullum nasci hominem ex semine humano & semine Sathanæ.

Qv. IV. *Annon mali Angeli ita sunt obstinati, ut nunqvam velint bonum?*

THE-

THESES.

I. Disputant Scholastici in *l. 2. sent. dist. 7.* An voluntas Diabolorum possit rectificari? Utrum sit in eis malæ Voluntatis Continuatio? Utrum sit in eis mala voluntatis intensio? Utrum obstinatio tollat liberum Arbitrium? Utrum causa obstinationis sit in ipsa natura Voluntatis Diabolicæ? Utrum Angeli mali nullum plane opus moraliter bonum exercere qveant? &c. Vide *Thom. part. 1. sum. q. 64. Gregor. de Valent. tom. 1. Disp. 4. q. 15. punct. 2.*

II. Certa si seligantur ab incertis ac dubiis, paucis thesibus hæ qvæstiones expediuntur. Diabolos esse in malo obstinatos, docetur scripturæ testimoniis, qvibus asseritur 1. Mendacium esse ἐκ τῶν ἰδίων Diaboli *Johann. 8, 44.* Diabolum esse τὸν πονηρὸν *Matth. 13. v. 19. 1. Joh. 2, 13, 14. C. 3. v. 12.* peccata esse opera Diaboli, peccatores autem filios Diaboli *1. Joban. 3. v. 8, 10.* Qvi igitur ita malus est, ut appropriet qvasi sibi mendacium, & peccatorum qvasi genitor existatis, qvod prorsus in peccatis sit obstinatus, manifestum est.

III. *Pœnam immutabilem* Scriptura Diabolis tribuit, cum docet; Diabolo esse paratum ignem æternum *Matth. 25, 41.* hoc est, Deum non pepercisse Angelis, qvi peccarunt, sed catenis caliginis detrusisse in tartarum & tradidisse servatos in judicium *2. Petr. 2. v. 4. Judæ Ep. v. 6.* Cui autem ignis æternus paratus & cui Deus non pepercit, ille haud dubie salvifica Dei gratia & misericordia est privatus.

IV. Sathanæ & Angelorum ejus nullum amplius esse locum in cœlo, legitur *Apocal. 12. v. 8.* Sathanam seducere οἰκουμένην ὅλην scriptum extat *Apoc. 12. v. 9. c. 20, 2.* & non cessare â malis operibus, nisi Deus pacis conterat eum sub pedibus nostris *Rom. 16. v. 20. v. 2.* & nisi ligetur *Apoc. 20. v. 2.* Ejus deniqve voluntate esse, ut impii maneant in ipsius laqveo ἐζωγρημένοι *2. Timoth. 2. v. 26.* Qvi igitur aliorum Conversionem non vult, qvomodo propriam velle potest? Qvid? qvod tota S. Scriptura testetur Diabolum ex suâ inclinatione nunqvam operari bonum, sed omnia bona opera, qvantum in ipso est, impedire.

V. Obstinatio non tollit liberum arbitrium Dæmonum, in *actu elicito* â *potentiâ*, qvo libere vult eorum Voluntas; Sed in *rectitudine servandâ* qvâ tendere potest in bonum: Necessitas peccandi in malis Angelis non est â *Causa extrinseca cogente*, sed â *dispositione intrinsecâ*, qvæ non tollit liberum arbitrium, qvo Angeli mali hoc peccatum possunt aversari & alterum eligere.

VI. Dominium libertatis vel opponitur *Coactioni*, & Voluntati essen-

tiale, adeoqve per obstinationem in Dæmonibus non tollitur, vel adversatur *subjectioni* & non inest æqvaliter omnibus Intelligentibus; Nam in *Creaturis* subjacet mandatis, in *Creatore* est supra omne mandatum, in *malis Creaturis* subjacet culpæ, in *bonis* eo liberius, qvo magis distat â malo, in *miseris* subjacet miseriæ in *beatis* est liberum, vide *Bonavent. d. l. dist. 7. art. 2. q. 3. Biel. dist. 7. q un.* ANTITHESIN vulgo tribuunt Origeni, qvi lib. 1. περὶ ἀρχῶν Cap. 6. statuit, Dæmones posse redire ad statum beatitudinis; qvod tamen Origenes non determinate & sub specie definiendi, sed Disputandi animo affirmat, uti d. l. seipsum explicat in principio capitis.

HYPOTHESES.

I. Qvamvis infinita sit Dei misericordia, qvâ etiam salvari possent mali Angeli, tamen non qværitur hoc loco, qvid *Deus* possit; sed qvid *velit?* cum ergo ejus voluntas de judicandis malis *Angelis* sit patefacta, occulta & abscondita non est indaganda.

II. Dei judicia non statim accusanda ut injusta, qvando nos causas judicii pervestigare non valemus: Nam justissimæ possunt esse causæ, licet nobis ignotæ.

III. *Thomistæ* & *Scotistæ* suos discursus fulciunt consequentiis minus firmis: Præsupponunt enim *illi* 1. Voluntatem Angelicam ita fixe & immobiliter adhærere uni oppositorum, ut ab illo non dimoveatur. 2. Deum aliqvos Angelos salvasse, si natura sua essent flexibiles ad bonum 3. voluntatem Malorum Angelorum non posse aliqvid expetere, nisi propter ultimum suum finem malum, ad qvem per peccatum fuerunt conversi, ideoqve omnes illorum actus esse malos. E contra *hi* opinantur 1. difficilius per naturam converti posse Angelos ad pœnitentiam salutarem, qvam Homines, si conditio naturæ Angelicæ obstaret pœnitentiæ 2. Voluntatem malorum Angelorum æqve manere liberum ad utrumqve oppositorum, post factam electionem atqve antea. 3. dolere de peccatis admissis esse actum moraliter bonum, qvem etiam Angeli mali possint exerere. Qvæ omnia Speculationibus rationis humanæ, non autem divinis literis commensurantur.

CAP.

CAP. II.

DE MALORUM ANGELORUM INTELLECTU SCIENTIA AC VOLUNTATE.

PEr lapsum maxime corruptam non amissam Scientiam ac Voluntatem, in Angelis malis testatur S. Scriptura. Apostolus Sathanæ tribuit νοήματα 2. *Cor.* 2. v. 11. Insuper depingitur ut Spiritus mendax 1. *Reg.* 22. v. 23, spiritus Pytho *Actor* 16. v. 16. spiritus errorum 1. *Timoth.* 4. v. 1. qvæ Epitheta reqvirunt Intellectum, sine qvo non existunt. Operationibus Creaturæ intelligentis vacant qvi incitant ad malas actiones *Genes.* 3. *v.* 1. *sqq.* 1. *paralip.* 21. *v.* 1. Considerant homines *Jobi* 1. *v.* 8. *cap.* 2. 3. seminant Zizaniam *Matth.* 13, v. 39. tentant Christum *Matth.* 4. 1 auferunt Verbum Dei à cordibus hominum *Luc.* 8. *v.* 12. tentant corda Hominum *Actor.* 5. v. 3. decipiunt 2. *Cor.* 11. v. 3. transfigurant se in Angelos lucis 2. *Cor.* 11. v. 14. struunt Insidias vel μεθοδειας *Ephes.* 6. *v.* 11. qværunt qvem devorent 1. *Pet.* 5. *v.* 8. credunt *Jacob.* 2. *v.* 19. doctrinas spargunt 1. *Timoth.* 4. *v.* 1. habent Synagogas *Apocal.* 2. 9. *cap.* 3, 9. sciunt, se breve habere tempus. *Apoc.* 12. *v.* 12. accusant homines *Apocal.* 12. v. 10. & seducunt gentes *Apocal.* 20. v. 8. Qvæ opera qvod absqve intellectu perfici neqveant, in aprico est. In Obsessis qvia Diabolus loqvitur *Genes.* 3. v. 1. *Matth.* 8. v. 29. *Marc.* 1. *v.* 24. *Luc.* 4. v. 41. *Actor.* 16. v. 17. *Actor.* 19. v. 15. non solum articulatam formatvocem more Intelligentium, sed etiam fatetur, qvod aliqvid sciat & cognoscat. Scientiam Diabolorum esse corruptam attestantur 1. Hypocriticæ illorum confessiones de Deo excelso *Actor.* 16. v. 17. de Christo *Marc.* 1. v. 24. *cap.* 5. *v* 3. *Luc.* 4. *v.* 4 41. *Actor* 19, 15. de promissionibus Dei Matth. 4. v. 6 de via æternæ salutis *Actor.* 16. v. 17. (2 dicta de seducente Sathana & Fide, qva contremiscit *Jac* 2. v 19. 1. *Timoth.* 4. 1. *Actor.* 13. v. 8. artibus qvibus nocet perspiciendo elementa eorumq; qvalitates *Job.* 2. v. 16. 19. Confer v. 12. præced. *Ephes.* 2. v. 2. c. 6. *v.* 12. Animalia *Genes.* 3 v. 1. Hominum inclinationes & temperamenta *Job.* 2 v. 4. *seqq.* 1. *Corinth.* 7. v. 5. *Luc.* 11. v. 25. plantas arbores & terræ fruges *Jerem.* 44. v. 17. metalla, gemmas & alios hujus mundi thesauros, qvorum accuratam qvod habeat scientiam, patet ex titulo, qvo vocatur Deus hujus sæculi 2 *Corinth.* 4. *v.* 4. (4. machinationes in Regnis hujus mundi *Dan.* 10. v. 13. *Luc.* 4. *v.* 6. unde & Princeps mundi vocatur Johann 14. v. 30. (5. Virtutes simulatæ 2. *Corinth.* XI. 14. *Coloss.* II. 23. 2. Tim. III 5. & vitia qvæ suadet *Matth.* 4. v. 6, 10. *Actor* 5. v. 3. (6.) Ministrorum Sathanæ, qvi abutuntur ductu Sathanæ Logica 1. *Timoth* 6. v.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1011896508/phys_0435
DFG

6. v. 20. Rhethorica Rom 16 v. 18. Philosophia *Colos.* 2. *v.* 8. Jurisprudentia qva pervertunt lucem in tenebras, ut egrediatur Judicium perversum *Esa.* 5. v. 20. *Habac.* 1. v. 4. arte Medica 2. *Reg.* 1. 2. & Omni alia scientia qva Diabolus μυριοτεχνίτης, Dei gloriam & hominum salutem evertere allaborat ut suam Regnum amplificet. Scholastici distinguunt inter triplicem cognitionem Veritatis: Unam vocant cognitionem veritatis *naturalem*; secundam *supernaturalem speculativam*, & tertiam *supernaturalem practicam*. *Hanc* & *illam* in Diabolo diminutam, *justam* neqve detractam neqve diminutam, asserunt. Vide *Zanch. par.* 1. *de op.* 6. *Dier. lib.* 4. c. 7. *Thom. part.* 1. *sum. q.* 64. *art.* 1. *Gregor. de Valent. q.* 15. *puncto* 1. *Disp.* 4. *tom.* 1. Voluntatem non sublatam sed depravatum esse per lapsum Angelorum, unanimiter docent Ecclesiæ Doctores qvi informati â sacris literis, qvæ tribuunt malis Angelis θέλημα 2. *Timoth. II.* 26. actus, qvo libere eligunt malam actionem unam præ aliâ 1. *Reg. XXII.* 21. *Matth. VIII* 31. *Job II.* 5. 6. *Luc. XI.* 24. desiderium nocendi *Luc.* XXII. 31. *Johann. IIX.* 44. Timorem *Philip. II.* 10. tremorem *Jac. II.* 19. Furorem erga pios *Apocal. XII.* 12. 17. & summum studium perdendi 1. *Pet. V.* 8. De Objectis Scientiæ Diabolicæ, quia discrepant Sententiæ Docentium una alterave qvæstio evolvenda.

Qv. I. *Annon etiam futura præcognoscere valent mali Angeli?*

THESES

I. QVædam Futura præcognosci â malis Angelis, probant Exempla Pythonum, qvorum mentio fit in Bibliis *Levit.* 20. *v.* 27. *Cap.* 18. *v.* 11. 1. *Sam.* 28, 3, 7, 8. 2. *Reg.* 25. v. 6. cap. 23. 24. *Esa.* 8. v. 19. 3. *Cap.* 29, 4. 1. *Parali* 10, *v.* 13. *Act.* 16. v. 16. In his fuisse Spiritum malum, ex citatis locis apparet, â qvo tamen homines futurorum scientiam qvod sperarent, itidem textus notati edocent.

II. Qvi de arcanis & futuris consuluerunt Aruspices, Ariolos, Magos etiam incantatores, uti legitur de Balack *Num.* 22. v. 5. *Jos.* 13. v. 22. Manasse 2. *Reg.* 21. v. 6. Nebucadnezare *Dan.* 2. v. 2. *seqq. cap.* 4. v. 4. Balthasare *Dan.* 5. *v* 7. *seqq.* Servis Diaboli prædictionem futurorum qvæsiverunt, qvæ qvod aliqvando data fuerit â Servis Diaboli, liqvet ex divinis interdictis, qvibus prohibentur Ariolorum, Aruspicum & Magorum artes *Levit.* 19 v. 31. *cap.* 20. v. 6. *Esa.* 44. 25.

III. Pseudo Prophetæ licet plerumqve mendaces ab eventu fuerint convicti; tamen nullum plane assensum obtinuissent, si non qvædam futura

futura prædixiſſent: Hos autem mali Spiritus fuiſſe miniſtros paſſim teſtatur ſcriptura ſacra *Deut.* 13. v. 1. 2. *ſeqq.* 1. *Reg.* 18. v. 19. *cap.* 22. v. 10, 13. 13. *Jerem.* 14. v. 15. *ſeqq cap.* 23. v. 9. *ſeqq.*

IV. Vaticinia Prophetica, de Fatis Eccleſiæ & Imperiorum, qvod non lateant Diabolum, oſtendit *Peuc. lib. de Divin. p.* 26.

V. Futura ex cauſſis naturalibus nota Hominibus, qvod accurate proſpicere etiam poſſit Diabolus, fuſe docet *Peuc. d. l. p.* 29. *ſeqq.* & *Auguſt. lib. de Divinat. Damon. tom.* 3. *col.* 844.

VI. Multiplex eſt differentia præſcientiæ *divinæ* & *Diabolicæ*. *Illa* eſt univerſalis; *hæc* particularis, uti paulo poſt demonſtrabitur: *Illa* infiniti, *hæc* finiti intellectus; *Illa* infallibilis & immutabilis; *Hæc* fallibilis, uti patet ex Pſeudo-Prophetarum prædictionibus vanis & nullo eventu comprobatis 1. *Reg.* 22. Jerem. 28. &c.

VII. Non omnia præſciunt Diaboli, qvæ prævidet Deus. Hic enim ſolus præcognoſcit Somniorum qvorundam Interpretationes *Geneſ.* 41. v. 8. *Dan.* 2, v. 10. 11. *cap.* 4, v. 4. Futura in ſe, *Eſa.* 41. v. 22. *ſeqq.* myſteria æternis temporibus tacita *Rom.* 16. v. 25. patientiam Hiobi *Iob.* 1, v. 11, *c.* 2. v. 3. Scripturam â Daniele expoſitam *Dan.* 5. v. 13, 25. contingentia Hominum fata de qvibus Diabolus per oracula dubie & ambigue reſpondit, ſatis aperte ſignificans, certam de his præſcientiam ſibi non competere. Vide *Peucer. d. l. p.* 85. *ſeqq. Bald. lib.* 3. *Caſ. Conſc. Cap.* 2. *Caſ.* 2. *Zanch. par.* 1. *de op.* 6. *Dier. lib.* 4 *cap.* 8.

ANTITHESES.

I. Ethnici prædictiones de futuris ab Idolis & ipſo Sathana poſtularunt, nec dubitarunt, Dæmones ſine Diſcrimine omnia prænunciare poſſe futura.

II. Superſtitio qvosdam vexat in gremio Eccleſiæ, & ad Magicas invitat Divinationes, qvarum multas ſpecies recenſet *Caſmann. par.* 2. *Ἄγγελος. cap.* 13. *pag.* 445.

HYPOTHESES.

I. Futura prævidere in ſe & ſimpliciter nemo poteſt niſi Deus, in cauſis autem prævident futura & Angeli & Homines, qvando vel ex cauſis neceſſario agentibus prænunciant effectus, ut Eclipſes, diem, noctem, Ver, ætatem, vel ex iis, qvæ incipiunt fieri, probabiliter colligunt, qvid futurum?

II. Etſi ea, qvæ contingenter futura, & fieri æqve poſſunt ac non fieri, Diabolus exacte non præſciat, tamen facilius ea aſſeqvitur qvam Homines, qvia 1. citius obſervat propter aciem ſui Intellectus, qvando inci-

piunt fieri. 2. propter agilitatem suam brevissimo tempore dissita pertransit loca, & vestigat Hominum acta 3. propter diurnam Experientiam ex observatione gestuum & actionum multa addiscit, qvæ homines fugiunt.

III. Ex Dei permissu Diaboli multa efficiunt, alterant aerem, excitant ventos, cient tempestates, agitant mare &c. qvæ anteqvam eveniant, interdum prænunciant.

IV. Sicut per Bileam & Caipham ipse Dei *Spiritus* loqvutus, ita Deus per Sibyllas & fatidicas Personas Gentilium, vera interdum prænunciavit, ut gentiles suorum Hominum testimoniis convincerentur: Nos autem credimus hisce vaticiniis, non propter authoritatem Personarum, â qvibus prolata, sed propter Convenientiam cum sacris literis.

V. Sathanam suis præsagiis sæpe homines decepisse, vel ambiguitate sermonis Eventum distinctum significasse, tam notum est ex Historiis, qvam, qvod notissimum. Confer *Bonavent. l. 2. sent. Dist. 7. art. 3. q. 3.*

Qv. II. *Num etiam mali Angeli interna Hominum Cogitata intuentur?*

THESES.

I. QVasdam Hominum Cogitationes malis Angelis innotescere patet 1. ex malis cogitationibus â Diabolo suggestis, qvæ qvod notæ sint Diabolo, in propatulo est. 1. *Paralip.* 21. v. 1. *Iohan.* 13. v. 2. 2. ex Historia Jobi qvæ edocet, Diabolum ex temperamento Hominis & aliis exterioribus signis agnoscere inclinationem, qva homo pellem pro pelle & cuncta qvæ habet, pro anima sua dabit. *Iob.* 2. v. 4. 3. ex comparatione prudentiæ *Humanæ* & *Diabolicæ*, qvia *illa* ex exterioribus qvibusdam indiciis de Interioribus animi affectionibus Judicare potest, cur non multo magis *hæc* simile qvid præstaret?

II. Qvia solus Deus ut καρδιογνώστης describitur, Cogitationes Hominum uti in se considerantur & externis signis non manifestantur, Diabolo ut Creaturæ innotescere neqveunt: Hinc Arioli & Magi non potuerunt recensere Somnium, cujus oblivio ceperat Regem Nebucadnetzar *Dan.* 2. Qvando Christum tentabat Sathanas colloqvium expetiit, ut de mente Christi fieret certior *Matth.* 4. Sic etiam Evæ mentem per sermonem sibi aperuit *Genes.* 3. Christum sibi velle permittere, ut introiret in gregem porcorum, non agnovit, anteqvam â Christo responsum impetravit *Matth.* 8. v. 31, 32. Si vidisset Spiritus Pytho cogitationes Pauli, haud dubie â clamore sibi temperasset, ne fuisset ejectus *Act.* 16. v. 17. 18. Vide *Zaneh. par.* 1. *de op. 6. Dier. lib.* 4. *cap.* 9. *Casmann. in Ἀγγελολ. parte* 2. *cap.* 14. *Bonav. l.* 2. *sent. dist.* 8. *art.* 3 *q.* 6. ANTITHESIS, qvæ refutatione indigeat, hactenus non innotuit.

CAP.

CAP. III.

DE POTENTIA AC OPERATIONE DÆMONUM.

POtentia malorum Angelorum â Spiritu Veritatis delineatur ut 1. *magna* 2. *finita & limitata* 3. *ampla* & 4. *perniciosissima* Propter magnam Potentiam confertur Sathanas Leviathan *Iob.*41 forti armato *Luc.*11 v.21. Leoni 1 *Pet.*5.v.8. Vocantur etiam mali Angeli ἀρχαὶ, ἐξουσίαι, κοσμοκράτορες, qvi ἰσχύι καὶ δυνάμει μείζονες, qvam Homines *Ephes.*6. v.12. 2. *Pet* 2.v.11. *Finitam & limitatam* rationem Potentiæ Diabolicæ demonstrat Scriptura 1. *dictis* qvibus Diaboli potestas ut certis divinæ voluntatis & permissionis legibus circumscripta ostenditur *Job.*1.v.12. *cap.* 2. v. 6. 1 *Reg.* 22. v.21. *seqq. Matth.*8.v.31,32. 2. *Exemplis*, qvibus apparet, Diaboli potestatem â Deo esse impeditam *Apocal.* 12.v.13. Vide passim in Historia Evangelica Exempla obsessorum, qvos â Diaboli furore liberavit Salvator mundi. Paulus etiam orat, ut Deus pacis conterat Sathanam sub pedibus Christianorum *Rom* 16.v.20. 3 *testimoniis de Christi beneficiis*, inter qvæ non postremum Liberatio â potestate tenebrarum & Diaboli *Matth.* 12.v.29. *Joh.*12.v.31. *Coloss.*1.v.13. *c.*2.v.15. *Eph.*4.v.8. *Hebr.*2.v.14.1. *Joh.*3.v.8. qvibus omnibus lux affertur Protevangelio *Genes.*3, 15. *Amplitudo dictæ* potentiæ elucet 1. In *Hominibus*, qvorum (1.) Intellectum excæcat 2. *Corinth.*4.v.4. decipit *Osea* 4.v.12. corrumpit 2. *Cor.*11.v.3. & tentationibus ceu ignitis telis & colaphis percutit 2. *Cor.*12.v.7. *Ephes.*6.v.16. (2) Voluntatem incitat & movet ad peccandum 2. *Paral.*21. v. 1. *Iohan.* 13.v. 2. *Actor.*5.v.3. (3) interiores sensus Somniis terret *Sap.*18.v.17. (4) Sensus exteriores allicit ad expetenda illicita objecta *Genes.*3.v.2. (5.) facultate loco motiva abutitur *Marc.* 5.v.3,4 *Matth.*17.v.15. (6) facultatem fermocinatricem inhibet *Luc* 11. *v.*14. *Mart.* 9, 17. (7.) potentias vegetantes debilitat vel corrumpit ut qvidam in Voluptate venerea fiant incontinentes 1. *Corinth.*7.v.5 alii non nutriantur sed arescant *Marc.* 9.v. 18. (8) bonas actiones impedit 1 *Thessal.*2.v.18: *Actor.*13.v.8. & malas promovet *Ephes.* 2.v.2. (9) corpora vel obsidet, uti passim legitur in *Historia* Christi & Apostolorum vel affligit & misere cruciat *Iob.*2.v.7. *Matth.*15.v.22. *Luc.*13. v. 11, &c. 2. in *Elementis*, qvando exerit ἐξουσίαν τῦ ἀέρος *Ephes.*2 *v* 2. Ignem spargit de cælo *Iob.*2.v *16.* aqvas sanguineo colore pingit *Exod.*7.v.22. & è terra ascendit, 1. *Sam.*28.v.13. (3. in *meteoris* excitando ventum *Job.*2.v.19. tonitrua fulmina & similia, qvæ dum fiunt in Aere, mirum non est, eum qvi in

cælestibus & aëre dominatur, aërea hæc corpora constituere posse 4. in *metallis* qvando catenas & compedes dirumpit *Luc.* 8. v. 29. & ferri duritiem floccipendit *Iob.* 41. v. 17, 18. *seqq.* 5. in *Vegetabilibus*, Plantis, sc. & terræ frugibus, qvæ ministerio malorum Angelorum qvod interdum perdantur, haud obscure colligitur ex *Ps.* 78. v. 47. *seqq.* & 6. in *Sentientibus*, 1. Brutis animantibus, qvæ vel obsidet *Genes.* 3. v. 1. vel peregrino in habitu introducit *Exod.* 7. v. 15. vel variis ex locis advehit *Exod.* 8. v. 7. vel etiam misere occidit *Matth.* 8, 32. *Iob.* 1. v. 15. *seqq.* *Perniciem* Potestatis Diabolicæ ex dictis facile eruimus, qvando attendimus, Diabolum omnibus ferme Dei creaturis, exceptis bonis Angelis, plurima inferre posse damna: Idcirco etiam describitur ut πόνηρος. *Matth.* 13, 19. *Luc.* 7. 21. *cap.* 8. *v.* 2. *Actor.* 19, 13, 15, 16. *Ephes.* 6, 16. 1. *Johann.* 2, 13. *cap.* 3. 12. *cap.* 5 *v.* 18. Ἀνθρωποκτόνος *Johann.* 8. *v.* 44. & Dominus mortis qvi accepit τὸ κράτος θανάτου *Hebr.* 2. *v.* 14. Confer *Polani in Syntagm. Theolog. lib.* 1 *cap.* 13. *Zanch. par.* 1. *de Op.* 6. *Dier.* l. 4. *cap.* 10. 11. 13. 14. De variis Effectis Diabolorum vide *D. Chemnit. par.* 1. *Loc. de Creat. pag.* 134. *Sim. Pauli par.* 1. *Meth. pag.* 201. Solidis non sunt infixa fundamentis Scholasticorum dissertationes de modo, qvo Sathanas eludit sensus, & de illapsu in *Animam*. Vide *Bonav. l.* 2. *sent. dist.* 8. *art.* 3. *q.* 2. 3. *Greg. de Valentia tom.* 1. *Disp.* 8. *q.* 5 6. De Magia Obsessis & Spectris ex professo docendum in Theologia Practica. Docentium liti qvæ subsunt, nostrum ad dementum proprie spectant, & diffundunt qvæstiones jam sane enodandas.

Qv. I. *Num mali Angeli vera & proprie dicta miracula possunt edere?*

THESES.

I. Diabolum posse mira qvædam opera & effecta edere, qvæ Hominum vires & cogitationes excedunt, certum est; Fiunt autem miracula Diaboli vel κατὰ δόξαν vel κατ' ἀλήθειαν, finita tamen semper Virtute eo fine, ut Homines decipiantur vel in Errore obfirmentur.

II. Miracula *Anti*-Christi 2 *Thessal.* 2. *v.* 9, 10. Apocal. 13. *v.* 13. qvod a Diabolo proveniant Apostolus Paulus d. l. fatetur. *Et* miracula Pseudo-Prophetarum *Deuteron.* 13. *v.* 1. 2. 3. *Matth.* 24. v. 24. Eo fine leguntur edita, ut in Errorem vel peccatum Homines inciderent.

III. Miracula Magorum in Ægypto *Exod. cap.* 7. & 8. tem Simonis Magi *Actor.* 8. *v.* 9, 10. *seqq.* Diabolum agnoscunt authorem, qvorum Finis itidem Hominum seductio.

IV. Non semper edidisse Sathanam miracula, constat ex Variis

Præst.-

Præstigiis, qvibus hominum oculos fascinavit, uti refert *Camerar. Cent.* 1. *Medit. Histor. cap.* 73 *D. Balduinus in Casib. Consc. lib.* 3. *cap.* 2. *cas.* 4. *Zanch. par.* 1. *de op.* 6. *Dier. l.* 4. *cap.* 12.

V. Proinde certum est, Diaboli cooperatione qvædam mira opera effici, qvorum causas nos pervestigare haud valemus, qvædam autem opera Diaboli κατὰ δόξαν & non κατ' ἀλήθειαν esse miracula.

VI. Cum S. Spiritus Soli Deo vera & proprie dicta miracula adjudicat. *Ps.* 72. v. 18. *Ps.* 136. v. 4. *Dan.* 6. v. 27. qvædam miracula, â Solo Deo originem fortiuntur ejusqve infinitam majestatem attestantur, & hæc Diabolum in *modo agendi* non posse imitari, nec ad eum *finem* dirigere, qvem intendit Deus, manifestum est.

VII. Insignes defectus in Diabolicis miraculis sese produnt, qvoties cum divinis conferuntur: E contra tanta est Excellentia qvorundam miraculorum â Deo editorum, qvanta in Diabolicis unqvam refulsit miraculis: Non enim legitur in Bibliis vel aliis probatis Historicis, Diabolum 1. novas substantias revera creasse. 2. Astra & corpora ætherea in motu suo correxisse vel impedivisse 3. mortuos resuscitasse 4. Steriles & senio confectas fœminas fœcundasse. 5. generale Diluvium immisisse 6. Homines vivos in cælum transtulisse. Qvæ omnia & similia sicuti Deum authorem, teste Scriptura, agnoscunt, ita per Diaboli potentiam qvod aliqvando effecta sint, nullibi legitur. Confer *Bald. d. l. Zanch. d. l. Casmann. in Ἀγγελογραφ. par.* 2. *c.* 18. *q.* 3.

ANTITHESES.

I. *Manichæi* finxerunt â Diabolo qvasdam Creaturas esse conditas.

II. Pontificii etiam inclinant in ANTITHESIN, qvando qvævis mira opera Deo adscribunt, qvasi ea â Diabolo effici non possent: Vide controv. de Eccles. q. de mirac.

HYPOTHESES.

I. Pater impiorum appellatur Diabolus *Iohann.* 8. v. 44. non ratione *essentiæ*, sed *malitiæ*, qvam qvi facit, ex Diabolo esse, dicitur 1 *Iohann.* 3. v. 7, 10. Distinguimus igitur inter Patrem *Naturæ* & *status*: *Ille* est *vel* creans ut Deus, vel *gignens*, uti Pater naturalis. *Hic* est *vel* in statu justitiæ uti Deus, *vel* in statu injustitiæ uti Diabolus.

II. In miraculis Diabolicis non attendenda nuda externa species, in qva interdum divinis perqvam similia apparent, sed, qvia ineffabilis est Sathanæ σοφία, sedulo inqvirendum, 1. qvibus causis ministerialibus 2. qvo ordine, & 3. qvo fine facta sint miracula; Diligenter etiam

adverratur; Num vere fiant in *re*, qvæ conſpiciuntur *ſpecie*, & num tale opus adſit, qvale non niſi divina virtute poſſit effici.

III. Miraculis Magorum in Ægypto Virtutem infinitam ſubtrahit Apoſtolus, qvi Magorum ἀποτελέσματα ἐυδηλα factam ſcribit 2 Tim. III. 9. 2. Deſcriptio Moyſaica, qva monſtrantur Virgæ Magorum â Virga Aaronis devoratæ. *Exod.* VII. 12. Ægyptii fodientes circa circuitum fluminis, cum Magi non potuerunt ſanguinem convertere in aqvam *Exod. VII.* 22, 24. Ranæ, qvas non potuerunt abigere Magi *Exod. VIII.* 8 9. Ciniphi, qvos Magi non valuerunt provocare v. 18. & ulcera, qvæ & Magos afflixerunt, *Exod.* IX. 11. Vide *Caſman. d. l. q.* 4.

IV. A divinis miraculis diſtinguuntur Miracula 1. *Pſeudo Prophetarum*, qvia tendunt ad deceptionem, & alios finis Deo inviſos 2. *Simonis Magi*, qvia & hic Homines dementavit. *Act.* VIII. 11. 3. *Anti-Chriſti*, qvia hic oſtendit τέρατα ψευδη 2. *Theſſal. II.* 9. h. e. prodigia vel mendaciis perſvadendis deſtinata, vel etiam fraude, dolo & præſtigiis evocata.

V. Verum Samuelem non fuiſſe ſuſcitatum â Pythoniſſa 1. *Sam.* 28. v. 12, probat 1. ex v. 6. qvo negatur, Deum voluiſſe amplius reſpondere per Prophetam Sauli. Qvod ſi per viventem Prophetam noluit reſpondere, veriſimile non eſt, qvod per mortuum reſpondiderit, qvia mortuos conſulere, Deus prohibuit. *Deuteron.* XVIII. 11. 2. ex v. 15. qvo conqværitur Perſonatus Samuel, ſe inqvietatum; Deus autem non permittit, ut pii poſt mortem â Sathana in qviete turbentur *Sap.* III. 1. *Apocal.* XIV. 13. 3. ex Deſperatione, qvam perſonatus Samuel in Saule excitat nullo verbo admonens, ut Saul agat pœnitentiam, & cum Deo reconcilietur, qvod veri Prophetæ ſemper urgent. 4. ex v. 19. qvo ſibi Saulem morte ſociandum prædicit. Qvia autem mortuus Saul in peccatis ſuis 1. *Paral.* X. 13. ad ſtatum beatorum non venit, qvo Samuelis Anima haud dubie poſt mortem vixit 5. ex hoc Dilemmate: *Aut* ſola Anima Samuelis apparuit; *Aut* ſolum Corpus; *Aut* Corpus anima unitum. Non *iſta*, qvia hæc non apparet in forma ſenis pallio amicta v. 19. cum ſit Spiritus inviſibilis. Non *illud*; qvia Diabolus mortua Corpora ſuſcitare non poteſt, Deus autem per Pythoniſſas ſuſcitare non vult. Non *hoc*; qvia vel denuo eſſet Samuelis Corpus mortuum, vel arte magica glorificatum. Utrumqve ab Analogia Fidei alienum. 6. ex Perſonati Samuelis prædictione, qva de mortuis prædicit, hos fore ſecum. *Aut* ergo bis fuit mortuus, aut vere non revixit: Non *illud*, qvia ſtatutum eſt Homini ἅπαξ ἀποθανεῖν. *Hebr.* IX. 27. E. *Hoc.*

VI.

VI. Verum Samuelem arte Diabolica fuisse revocatum, non probat 1. *Nomen Samuelis* Spectro vendicatum: Sæpe enim in Scripturis imaginibus rerum harum adscribuntur Nomina teste *August. l. 2. ad Simplic. q. 3.* Sic in visionibus nominantur Arbores *Dan. 4.* Bestiæ *Dan. 7.* Viri *Dan. 8. 9.* & duntaxat harum imagines intelliguntur. 2. Testimonium *Sirac. cap. XLVI. 23.* qvod Apocryphum & respicit ad opinionem tam Saulis qvam Pythonissæ 3. *Confessio Saulis*, qvia hic justo Dei judicio fuit occæcatus. 4. *Prædictio futurorum*, qvæ Sathanæ ut Executori sententiæ à Deo latæ, non fuerunt ignota 5. *querela de turbata qviete*, qvam Sathanas ut versipellis Spiritus simulat, ut Sauli & Pythonissæ persvadeat, se esse verum Samuelem 6. *Reprehensio defectionis* â *Deo*, qva Saul peccarat, qvia & hæc dolosa & hypocritica est.

VII. Qvod Spiritus mali Corpora per aerem celerrime ducant, Experientia docuit, qvomodo autem illi qvi incorporei absqve Corpore possint movere corpora exacte non intelligimus. *Casman. d. l. cap. 19. q. 2.*

IIX. Multa facere *videtur* Sathanas, qvæ *revera non facit*; Corpus densum solidum & natura sua visibile non potest facere invisibile, sed vel Corpus agili sua velocitate subtrahit, vel interjicit aliqvid qvod corpus tegat, vel perstringit oculos videntium. Sic statuas & alias res inanimatas movet, ut ambulantes vel mobiles videantur:

IX. Miraculis vere divinis accensere non possumus motus Sathanæ imperscrutabiles, qvibus vel per statuas, arbores & bestias loqvitur, vel varias formas ac figuras repræsentat, vel fascinat Imaginationem, visum, tactum & vocem. Experientissimi Physici & vaferrimi artificis hæc sunt opera, non autem proprie dicta miracula. Vide *Casm. par. 2 Ἀγγελ. cap. 24.*

Qv. II. *Num Dæmones Creaturas possunt transformare, ut e. g. ex Homine fiat Lupus? &c.*

THESES.

I. SApientia Prophetica & Apostolica Diabolis nullibi vendicat potestatem mutandi unam speciem in aliam, vel transformandi Creaturas. Ad Divinam potius virtutem nos remittit, cum Uxor Lothi mutata in statuam Salis *Genes.* XIX. 26. Baculus Moysis mutatus in Serpentem *Exod.* IV. 3. Aqva mutata in sangvinem *Exod.* VII. 20. Colocynthides venenatæ conversæ in cibum salubrem. 1. *Reg.* IV. 39. 40, 41. aqva facta est Vinum. *Johann.* II. 9. 10.

II. Qvia ejusdem Virtutis species immutare & species creare; æqve per spe-

ſpecierum μεταμόρφωσιν diſtinguendus verus Deus â Diis Gentilium, qvi fuerunt Dæmones, atqve ab his diſtinguitur per totius Univerſi, Creationem *Jerem.* X. 11. 12.

III. Sathan ipſe Chriſtum tentans, opus Filio DEi proprium fatetur, transformare lapides in panem *Matth.* IV. 3. Qvam Confeſſionem Chriſtus non improbat, ſed Filios Dei ſolo pane vivere negat, qvod Sathan præſupponebat verum. Vide *Wier. lib. 3. de præſtig. Dæmon. cap.* 10. *Zanch. par.* 1. *de Op.* 6. *Dier. lib.* 4. *cap.* 10. *D. Balduin. in Caſib. Conſc. l.* 3. *cap.* 5. *caſ.* 8. *Caſman. par.* 2. *Ἀγγελολογ. cap.* 18 *q.* 6.

ANTITHESES.

I. *Bodinus l.* 2. *de Dæmon. cap.* 6. aſſerit, qvod Homines arte magica alios Homines transformare qveant in lupos, feles, aſinos &c. Conſentit *Olaus M. Paracelſus &c.*

II. *D. Jacobus Weckerus* Sathanam confert Figulo & Lamiam luto, qvum hæc modo in Capram, modo in felem, modo in aliud Animal mutetur, qvemadmodum ex eadem luti maſſa vas varium effingere, illudqve corrumpere & ex corrupto aliud formare poteſt Figulus.

HYPOTHESES.

I. Ad argumenta qvæ ex Hiſtoriis afferuntur, obveniet reſponſum, ſi notaveris μεταμορφώσεων Differentias. Qvædam transformationes ſunt â Poetis *confictæ*, qvales ſunt Homeri, de ſociis Ulyſſis fingentis, qvod hi â Circe ſint in bruta transformati. Vide etiam Ovid. in libr. Metamorphoſ. Aliæ ſunt *veræ*, & ſolum Deum agnoſcunt authorem de qvibus th. 1. Aliæ ſunt *Phyſicæ*, ut qvando ex putredine pulices, ex foliis Erucæ & ex his Papiliones generantur. Cujus generis multiplex apparet transmutatio in Bombycibus. Deniqve ſunt *Magicæ* vel *Diabolicæ* transmutationes, qvibus non una Creatura vertitur in alteram; ſed vel una Creatura velociſſime abripitur & alia ſubſtituitur, ut Exemplis probat *Auguſt. l.* 18. *de C. D. cap.* 18. vel ſenſus decipiuntur, ut qvis ſe lupum, felem, Capram videre credat, cum ſpeciem ejus duntaxat aſpiciat, & magi Phantaſia turbata ſibi imaginentur, ſe in ſylvis curſitare, homines devorare &c. cum alto ſomno ſopiti jaceant domo.

II. Diaboli multa poſſunt, qvorum rationem non comprehendimus, qvia 1. naturalium Cauſarum vires penitius cognoſcunt, qvam Homines. 2. velocius qvam homines has poſſunt componere vel reſolvere 3. ad plures effectus, qvam Homines, eas poſſunt extendere.

III. Ab *alteratione*, *Generatione* & *Corruptione* Phyſica ad transformationem ſpecierum Diabolicam non valet Conſeq. *Illa* enim fiunt ex

ex principiis Naturæ insitis: *Hæc* nullum in Natura habet principium, sed si revera fit, est actio miraculosa Omnipotentis DEi.

V. Nabuchodonosaris transformatio *Dan. IV.* DEum principalem causam refert, non Diabolum, & Circumstantiæ textus svadent, non tam Corpus Regis mutatum, qvam Rationis usum subtractum, ut phreneſi correptus vestes abjecerit, sub dio jacuerit, & cum feris cibum sumpserit. Hinc absente Corporis cultu, horrendam eam figuram attraxit, qvâ monstro qvam Homini similior.

Qv. III: *Qualis est Diabolorum potestas in Animas Hominum?*

THESES.

I. QVicqvid mali Angeli vel in Corpora, vel in Animas Hominum obtinent potestatis, totum provenit ex peccato, qvo suppresso per gratiam regenerantem, Hominem ὁ πονηρὸς non tangit 1. *Johan. V.18.*

II. Qvomodo Sathan agat in Intellectum & Voluntatem nostram, dictum in præf. hujus Cap. Experientia testatur, qvod dominetur 1. *sensibus externis*, ut videamur videre, audire, qvæ non videmus ac audimus, vel odoratu, gustu ac tactu objecta sentiamus imaginaria 2. *Sensibus internis*, cum phantasmata commovet, memoriam turbat & per somnia animum terret. 3. *Intellectui*, inspirando cogitationes, qvas pii abhorrent 4. *affectibus*, pravam Concupiscentiam illis adhærentem irritando, commovendo, inflammando. 5. *Voluntati*, per adhærens peccatum alliciendo ad expetenda Vitia & fugienda sancta Opera. Confer *Zanch. par. 1. de op. 6. Dier. lib. 4. cap. 11.*

CAP. IV.

DE MULTITUDINE, DIFFERENTIA AC PÆNA MALORUM ANGELORUM.

NOvem Diabolorum Ordines, qvi novem beatorum Spiritibus opponunt cerebri sui Spectris sese oblectant. *Finitum* S. Scriptura revelat numerum Dæmonum, sed *ordinatum* & *copiosum*, qvem determinare & definire, temerarium est. Christus Genera Dæmoniorum esse, subindicare videtur *Matth. XVII. 21.* Confer *Tob. VI. 8.* De Beelzebub Diabolorum Principe verba faciunt Pharisæi *Matth. XII. 24.* Legiones Dæmonum numerantur *Marc. V. 9.* Diabolum conjungit cum Angelis suis Christus *Matth. XXV. 41.* & Johannes *Apoc. XII. 7.* à septem Dæmonibus liberata legitur Maria Magdalena *Luc. VIII. 2. Marc. XVI. 9.* unum malum Spiritum assumere septem alios, Salvator affirmat *Matth. XII. 45. Luc. XI. 26.* Petrus & Judas multos

nominant Angelos, qvj peccarunt 2. *Pet.* II. 4. *Epist. Jud.* v. 6. Exercitum Spirituum in aere pugnantium patefacit Paulus *Eph. VI* 12. Aliqvem esse Ordinem Dæmones, nemo dubitat, qvalis autem sit & qvænam sit eorum distinctio? absqve temeritate non qværitur & absqve impietate non definitur. Non magni momenti sunt *Dubia*, qvæ moventur de Malorum Angelorum Officiis ac Pœnis, qvæ explanare jam annitemur.

Qv. I. *Annon ad certa officia mali Angeli à DEo destinati?*

THESES.

I. PRavos Dæmonum actus S. literæ nullibi salutant officia, nec ad hos absoluto Dei beneplacito destinatos, affirmant.

II. Qvæ agit Sathanas, Deus odio justo prosequitur, qvia Principem hujus mundi foras ejicit Johan. XII. 31. & mittit Filium, ut destruat Opera Diaboli 1. Johann. III. 8. Unde nulla συμφωνησις Χριστῶ πρὸς Βιλιαλ 2. Corinth. VI. 15.

III. Cum Deus permisit lapsum malorum Angelorum, decrevit, ut ob antecedentia peccata reserventur judicio & detracti in tartarum Catenis Noctis vincirentur. 2. Pet. II. 4.

IV. Cum Deus adhuc permittit, ut Diaboli noceant, & pessima qvævis patrent, dirigit eorum malitiam ad 1. patientiæ in piis manifestationem, uti patet ex *Historia Jobi*. 2. excitandam Humilitatem 2. Corinth. XII. 7. 3. expellendam securitatem 1. Pet. V. 8. 4. justa supplicia Impiorum Judic. IX. 29. 1. Sam. XVI. v 14. 1. Reg. XXII. 23. Zanchius par. 1. de op. 6. Dier. lib. 4. cap. 18. scribit: Omnes Dæmones ad duo officia esse destinatos, sc. ad salutem piorum, & perditionem *Impiorum*: Ex utroqve gloriam DEi, Justitiam sc. & misericordiam mirum in modum illustrari. Qvale ὕστερον hic lateat, elucet ex *Antith.* II. q. 1. in *Cap.* 1. hujus Sect.

Qv. II. *Num exqvisite & plene revelatum est, qvalis sit pœna Diabolorum?*

THESES.

I. GRavissima tormenta, eaqve æterna ab *Angelis* malis in Igne infernali esse sustinenda, Fides catholica credit; modus autem & ratio pœnæ Diabolis destinatæ in hac vita perfecte & exqvisite non potest cognosci.

II. Testimonia sacra asserunt; Diabolos esse torqvendos in abysso *Luc.* 8. v. 31. paratum esse Diabolo ejusqve *Angelis* ignem æternum *Matth.* 25. v. 41. Deum *Angelis* peccantibus non pepercisse, sed rudentibus Inferni detractos in tartarum tradidisse cruciandos, & reservare judicio

2. Pet.

2. Pet. 2. v. 14. Angelos malos vinculis æternis sub caligine reservari in judicium magni Dei *Ep. Judæ v.* 6. Diabolum fuisse missum in stagnum ignis & sulphuris, ubi cruciabitur die ac nocte per secula seculorum *Apocal.* 20. v. 10. Hæc sunt aperta testimonia Spiritus *S.* qvæ affirmant, pœnam Diabolo ejusqve Angelis esse destinatam judicio 1. *maximam & horrendam* 2. *æternam*, nullisqve sæculis terminandam, & 3. *In Igne & caligine sufferendam.*

III. Scriptura tacet de *modo*, qvo puniuntur mali Angeli, & Naturam Angelorum malorum, ut spiritualem qvia non perfecte agnoscimus, qvomodo possit ea torqveri accurate non perspicimus.

IV. Natura Ignis infernalis, nobis in hac vita occulta manet & abscondita. Noster enim Intellectus ut contradictoria concipit Ignem, in qvo tenebræ & caligo, cujus flammæ etiam Spiritus possint torqvere. Hinc ipse *Gregor. de Valent. disp. 4. q. 15.* punct. 3. fateri cogitur, non satis nobis constare *modum*, qvo per ignem Inferni Dæmones puniuntur.

V. Sententia *Dominici Soti*, qvam defendit *Valentian. d. l.* de *modo*, qvo puniuntur Dæmones, nullo scripturæ testimonio potest demonstrari: Nullibi enim legitur: Spiritus malos ea ratione ab igne torqveri, qvatenus, cum cogitatione apprehendunt, se in illo velut in carcere detineri, seqvitur eam apprehensionem virtute divina in illorum voluntatibus afflictio qvædam, illi afflictioni similis, qvam solet anima nostra in voluntate percipere, cum corpus ei naturaliter unitum comburitur.

VI. De differentia præsentis supplicii, & futuri, qvo torqvendi sunt in consummatione sæculi Dæmones, docte & vere Dn. D. *Gerhardus tom. 9. L. Theol. de Extr. Judic. §. 46.* scripsit: *Vincula & catenæ caliginis qvibus ante extremum judicium Diaboli tenentur captivi, nunc sunt illis ad custodiam, tunc erunt ad supplicium & pœnam; nunc sunt laxiora, tunc erunt arctissima; nunc ipsorum latet culpa, tunc publice manifestabitur ipsorum culpa & pœna.*

VII. Fulcit hanc Doctrinam metus Dæmonum, qvo metuebant, ne cogerentur abire in abyssum, ut torqverentur ante tempus *Matth. 8. v. 29. Luc. 8. v. 31.* Tempus itaqve plenariæ torturæ nondum adesse intellexerunt, qvamvis non dubitarunt, sibi ad abyssum esse redeundum, si Christus ita juberet.

IIX. Distincta est assertio Apostoli Petri 2. *Ep. cap. 2. v. 4.* qvia (1) aliqvod judicium nominat, cui *reservantur* mali Angeli, (2.) asserit, illos jam modo in tartarum esse traditos cruciandos, & non portare execrabile judicium adversum se v. 4. 11. Confer *Gerh. d. l.*

ANTITHESES.

I. Qvidam Patres opinati sunt, Diabolos ante extremum judicium simpliciter & absolute ab omni pœna esse immunes, Vide *Iren. lib. 5. pag. 332.* Justinus Martyr. in Apolog. 1. &c.

II. Qvi Corpora vendicant Angelis, statuunt, eos â rebus Corporeis, Aere, Igne, ferro &c. multa passos esse & adhuc pati posse Vide *Psellum in lib. de Dæmonibus, Cæl. Rhodig. l. 1. Antiq. cap.* 19.

III. Qvidam Corpora aërea attribuun Diabolis, & Ignem Infernalem censent Corporeum, qvi torqveat etiam Dæmones, si maxime sint simpliciter incorporei, & Animas â Corporibus separatas *August. l. 21. de C. D. cap.* 10, *Zanch. par. 1. de Op. 6. Dier. lib. 4. cap.* 19.

IV. *Greg. de Valent. d. l.* existimat, qvosdam Dæmones puniri in hoc Aëre, alios autem in Inferno.

HYPOTHESES.

I. Sicuti *Cap. Iiq. 3.* incorpoream Dæmonum Naturam evicta; ita non præscribimus limites divinæ potentiæ, qva efficere potest, ut mirabilibus modis Res Corporeæ Spiritibus multiplicem inferant dolorem; sed de Voluntate Dei qvia nihil patefactum, non scrutamur ea, qvorum â Cognitione prohibemur.

II. Qvando Scriptura affirmat, Dæmones adhuc in libero Aëre versari, coram Deo se sistere &c. non ab omni pœna eximit eosdem sed ostendit istius pœnæ hoc tempore posse heri aliqvam remissionem vel dilationem, qvæ in fine mundi nulla erit.

III. Distinctio Valentiani caret fundamento: Simplicior est Bedæ sententia Comm. in cap. 3. Jacobi, qva statuit, Dæmones, qvocunqve abeant, semper secum circumferre suum infernum.

FINIS LIBRI V.

SOLI DEO GLORIA.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1011896508/phys_0448
DFG

Regional-
bibliothek
Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1011896508/phys_0452
DFG

ANTITHESES.

vidam Patres opinati sunt, Diabolos ante extremum judicium sim-
absolute ab omni pœna esse immunes, Vide *Iren. lib. 5. pag. 332.*
tyr. in Apolog. 1. &c.

orpora vendicant Angelis, statuunt, eos â rebus Corporeis,
&c. multa passos esse & adhuc pati posse Vide *Psellum in*
el. Rhodig. l. 1. Antiq. cap. 19.

rpora aërea attribuun Diabolis, & Ignem Infernalem
vi torqveat etiam Dæmones, si maxime sint simpli-
citer in as â Corporibus separatas *August. l. 21. de C. D. cap.*
10. *Zanch. r. lib. 4. cap.* 19.

IV. existimat, qvosdam Dæmones puniri in hoc
Aëre, alios a

YPOTHESES.

I. Sicuti *Cap* ea Dæmonum Natura evicta; ita non præ-
scribimus limites qva efficere potest, ut mirabilibus mo-
dis Res Corporeæ Sp cem inferant dolorem; sed de Volun-
tate Dei qvia nihil pate tamur ea, qvorum â Cognitione
prohibemur.

II. Qvando Scriptu ones adhuc in libero Aëre ver-
sari, coram Deo se sistere & œna eximit eosdem sed osten-
dit istius pœnæ hoc tempore pe emissionem vel dilationem,
qvæ in fine mundi nulla erit.

III. Distinctio Valentiani : Simplicior est Beda
sententia Comm. in cap. 3. Jacobi emones, qvocunqve
abeant, semper se
suum infe

FINIS LIBR

SOLI DEO GL

UB Rostock 051400

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1011896508/phys_0453
DFG